
FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI ORDINIS PRAEDICATORUM ... DE IRREFORMABILI...




VITT. EMANUELE
37
47 B
5





FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI
ORDINIS PRAEDICATORUM

SAC. INDICIS CONGREGATIONIS A SECRETIS, DEIN SAC. PAL. AP. MAGISTRI
ET S. R. E. CARDINALIS

DE IRREFORMABILI
ROMANI PONTIFICIS
IN DEFINIENDIS
FIDEI CONTROVERSIIS
JUDICIO
TOMUS SECUNDUS.



TUES PETRUS, ET SUPER HANC PETRĀ ÆDIFICABO ECCLESIĀ MEAM Mat. 16.

ROMAE MDCCLXXII.

TYPIS PAULI JUNCHI, PROVISORIS LIBROR. BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Sumptibus Natalis, & Caroli Barbiellini Bibliopol.
in Foro Pasquini.

SUPERIORUM FACULTATE.

TOMUS SECUNDUS.

De quaestionibus, praesertim Fidei, unius Sedis Apostolicae suprema auctoritate sancitis. Quo sensu Fides Petri nunquam deficiat: ejusque Sedes a nemine judicetur?

LIBER TERTIUS

Quo Meldensis Episcopi liber decimus quartus examinatur & confutatur. pag. 1.

AR-

CA.

AR-

LIBER QUARTUS

CA-

CA-



L I-



LIBER TERTIUS

QUO

MELDENSIS EPISCOPI

DECIMUS QUARTUS

Examinatur & confutatur.

CAPUT PRIMUM.

„ Consensionis universalis vis & authoritas ante omne judicium „ Ecclesiasticum : Multo major, cum Romani Pontificis „ decreta, nullo reclamante, obtinent.



Uid gestum sit in Synodis Oecumenicis, maxime ad dijudicandas fidei quaestiones, Synodica hactenus acta docuerunt. Nunc quomodo sine Synodis Oecumenicis subortae quaestiones terminari potuerint, eadem, quam secuti sumus, traditione Patrum, facile expediemus. Hoc breve Prooemium in nostrum perinde propositum convenit atque Illustrissimi Adversarii, qui statim subjungit : „ Et quidem nostri „ Censores eo maxime se efferunt, „ quod haereses, sine Concilii uni„ versalis examine, sola Romani „ Pontificis authoritate, damnatae, „ summam ejus & ineluctabilem au„ thoritatem probent ; qui nec illud „ advertunt, ut sine Conciliis Oe„ cumenicis, ita sine speciali Ro„ mani Pontificis definitione damna-

 „ tas

„ tas atque exſtinctas fuiſſe .... „ Neque enim Eccleſiae talem (*Romani Pontificis*) ſententiam exſpectarunt, ut Manichaeos, Ophitas, Collyridianos, Tertullianiſtas, aliaſve ſive manifeſte impias, ſive obſcuras leveſque ſectas, per loca excitatas, aut horrerent, aut contemnerent. Neque dignae ſunt habitae, propter quas Romani ſe Pontifices commoverent. Ergone ſingulares Eccleſiae, a quibus ſtatim rejectae, aut etiam oppreſſae ſunt, ineluctabili authoritate gaudebant? Minime. Sed profecto ſic habet: Semel conſtituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam & ineluctabilem unitate & conſenſione conſtare, id quoque valere, quocumque modo ſe illa conſenſio declaraverit, ſive Concilia congregentur, ſive non congregentur. Vult, ergo, particularium Eccleſiarum, Synodorum, & Epiſcoporum adverſus erumpentes haereſes judicia ſummae & ineluctabilis auctoritatis robur obtinuiſſe propter univerſalis Eccleſiae conſenſionem, quae aliquando etiam abſque Synodis Oecumenicis innoteſcit. Porro tantum abeſſe docet, ut ex earum haereſeon abſque Conciliorum generalium interventu damnatione, ſumma & indeclinabilis Romani Pontificis auctoritas demonſtretur; ut, quemadmodum nullius Synodi generalis, ita nec ullius Romani Pontificis, in iis damnandis & opprimendis ſententia & auctoritas interceſſerit. Unde, ex ipſius Auctoris mente colligere eſt, nec opus eſſe haereſibus profligandis ſpeciali Romani Pontificis definitione, quum illae univerſalis Eccleſiae conſenſione damnantur; nec ſufficere iis evertendis Eccleſiae Romanae decreta, niſi illis univerſalis Eccleſiae conſenſus acceſſerit. Quibus ſemel conſtitutis, una jam erit in hoc negotio Eccleſiae Romanae & cujuſcumque alterius Eccleſiae conditio. Nam neque cujuſlibet particularis Eccleſiae expreſſa definitio requiritur, nec ea ſufficit, niſi conſenſus Eccleſiae univerſalis acceſſerit; iſque ſatis eſt, ut Eccleſiae particularis judicium in ſummae auctoritatis arcem invadat. Quo ergo Eccleſiae Romanae ſuper alias eminet auctoritas? Id ſequentibus verbis exponere velle Illuſtriſſimus Adverſarius videtur: „ Scilicet divino Numine conſtitutus Petri ſucceſſor Romanus Pontifex, Epiſcopalis Collegii totiuſque Catholicae communionis Princeps, ubi res tanta eſt, atque ipſi videtur, ejuſdem Eccleſiae tuba factus, Fratrum omnium Coëpiſcoporum ſenſum, in eoque communem omnium Eccleſiarum traditionem ab Apoſtolica Sede annuntiat illis, qui longe ſunt; & illis, qui ſunt prope: quo plane ritu Petrus, rogante Domino Apoſtolos: *Quem vos me eſſe dicitis?* unus pro omnibus reſpondit: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*. Verba haec ſane magnifica ſunt, & niſi ſtatim in alienum ſenſum detorquerentur, plane ac dilucide exponerent, qua in re ceteris Eccleſiis & Epiſcopis Eccleſiae Romanae Romanique Pontificis praecellat auctoritas. Quum enim eodem Spiritu, qui viget in capite, etiam reliquum corpus animetur ac vegetetur; ſatis eſſe ducimus, quod ſuam

suam caput sententiam & judicium proferat, ut de reliqui corporis judicio atque sententia securi simus, nec aliud quidquam requiramus. Quo sane caput ceteris particularibus membris praestat, quae tantum de se ipsis suaque fide testimonium perhibere possunt. Verum Adversarius postquam relata verba ad fucum faciendum praemisit, statim eorum vim sequentibus verbis infregit: „ Cum „ ergo Petri successor ita ex com- „ muni traditione pronuntiat, ut in „ ejus sententia *recognoscant omnes* „ *fidei suae sensum*, ut in Leonis Epi- „ stola quondam Gallicani Patres (a); „ tum sit illa consensio, quae judi- „ ciis Pontificiis firmum & indeclinabile robur conciliet. Sed res eo iterum recidit, ut re ipsa nihil singulare, nihil eximium prae ceteris Episcopis Romano Pontifici tribuatur. Nam & quilibet Episcopus, & quaelibet particularis Synodus quum ita ex communi traditione pronuntiat, ut in ejus sententia *recognoscant omnes fidei suae sensum*, statim adest illa consensio, quae illius judiciis firmum & ineluctabile robur adjungit. Ita in Cyrilli Alexandrini ad Nestorium Epistola statim atque Ephesini Patres recognoverunt fidei suae sensum, illa ineluctabilis auctoritatis robur obtinuit. Ita in litteris Tarasii, & Orientis Patriarcharum ad ipsum, statim atque Septimae Synodi Patres recognoverunt fidei suae sensum, & ipsae in summae auctoritatis arcem invaserunt. Quid ergo singulare & eximium Romano Pontifici prae aliis Episcopis tribuitur, praeter verba in Adversariorum libris sensu & spiritu vacua, & solum ad faciendum fucum idonea?

Neque profecto negamus, quin totius Ecclesiae cum Romana Sede consensio opprimendis haeresibus vim summam & ineluctabilem habeat: sed in eo controversia tota versatur, quod Bossuetius aliique Parisienses Theologi, non ante firmiter & immobiliter, & tanquam certae & irreformabili fidei regulae, Apostolicae Sedis judicio adherendum censent, quam aliarum Ecclesiarum consensum exploratum habeant. Nos vero, quoniam eodem spiritu, qui primum in capite velut in arce dominatur & viget, universum corpus agi & permoveri, minime dubitamus; statim atque de aliqua quaestione Capitis sensum & judicium accipimus, cujusmodi sit atque esse debeat totius Corporis de eadem quaestione sensus & judicium, pariter certi sumus atque exploratum habemus; ac proinde nihil cunctandum existimamus, sed Capitis sententiae, statim atque illa innotuit, tanquam certissimae regulae immotae atque indeclinabiliter adhaerendum.

Quaestione ergo ita clare proposita & constituta, Patrum de illa judicium explorare debemus; num videlicet iis haeresibus debellandis, quae sine Concilii universalis examine damnatae sunt, satis inesse crediderint Apostolicae Sedi vigoris, roboris, auctoritatis; ac satis esse judicarint, ut ea incunctanter ab omnibus pro damnatis & reprobis haberentur, quod a Sede Apostolica proscriberentur.

(a) Epist. Episcop. Gall. ad S. Leon.

ARTICULUS UNICUS.

Insignis de proposita quaestione Sancti Irenaei locus; cui Tertulliani, & SS. Optati Milevitani, & Augustini testimonia adfinia & consentanea sunt.

QUod refellendis ac profligandis haereticis & quibuscumque erroribus satis omnino sit ac sufficiat Ecclesiae Romanae traditionem atque doctrinam perspectam & exploratam habere; & perinde sit hujus unius Ecclesiae, ac ceterarum omnium Ecclesiarum de aliquo dogmate sensum & judicium cognoscere, propterea quod reliquae omnes cum hac una velut omnium capite, principe, ac matrice, propter ejus in omnes amplissimam jurisdictionem, principatum, & auctoritatem, in rebus fidei & morum concordare & consentire tenentur; tam clare, tam diserte docet S. Irenaeus Gallicanae Ecclesiae lumen, ut ex eo non modo Haeretici & novatores, verum & Parisienses Theologi & plerique Galliarum Episcopi facile intelligere possint, quam ab avita & primaeva Ecclesiae suae traditione deflexerint. Quum enim S. Doctor Apostolicam universalis Ecclesiae traditionem sui temporis haereticis Cerinthianis, Ebionitis, Valentinianis, Basilidianis, Cerdonianis, Marcionitis, aliisque omnibus humani generis id genus pestibus objecisset, eamque probari dixisset per continuam in singulis Ecclesiis Apostolicis & minime interruptam Episcoporum ab Apostolis successionem, qui in unam eamdemque sententiam atque doctrinam ubique gentium adhuc conspirabant; ut id planum & apertum faceret „ necesse sibi esse non du„ xit, ut etiam Cl. Massuetius ob„ servat (a), adire singulas Eccle„ sias, ut successionis catalogos in „ Archivis earum asservatos evol„ veret, & singularum sententiam „ exploraret: longius id fuisset, „ multisque difficultatibus obnoxium: „ expeditiori ac breviori via proce„ dit. Unius Ecclesiae Romanae „ traditionem per continuam Episco„ porum successionem in ea conser„ vatam consulere satis habuit, ut „ haereticos omnes confunderet; ra„ tus jure merito, ea semel cognita, „ illico aliarum omnium Ecclesiarum „ traditionem, sententiam atque do„ ctrinam cognosci. Quum enim „ Ecclesia Romana omnium princeps, „ caput & prima sit, omnium ma„ xima, antiquissima, & maxime „ cognita, ab Apostolorum Princi„ pe Petro, ejusque socio Paulo „ fundata, quae ceteris omnibus pro „ suo jure praesit & dominetur, & „ cum qua omnes omnino Fideles „ unius & ejusdem fidei & com„ munionis vinculis colligari necesse „ sit; inde liquido patet, aliam es„ se non posse aliarum Ecclesiarum „ traditionem & fidem a fide & „ traditione Romanae Ecclesiae. „ Praetermissis itaque totius orbis „ Ecclesiarum Episcoporum Catalo„ gis, illius unius continuam Epi„ scoporum successionem recensere

„ ac

(a) Dissert. III. in Lib. Iren. art. IV.

„ ac quae per hunc veluti canalem „ manavit usque ad nos, traditionem „ Apostolorum declarare satis est, „ ut ex comuni omnium Ecclesiarum, quae cum Romana consentire debent, sententia & traditione devincantur omnes haeretici. En S. Doctoris verba (a): *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximae, & antiquissimae, & omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romae fundatae, & constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem & malam sententiam, praeter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (al. *potentiorem*) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio*: deductaque ab Apostolis usque ad Eleutherium, qui tunc duodecimo loco Episcopatum Romae tenebat, Episcoporum successione, subjungit: *Hac ordinatione & successione ea, quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos: Et est plenissima haec ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate.*

„ Locus hic Irenaei, inquit Cl. „ ejus editor Massuetius, male habet eos omnes, qui *per cecitatem, & malam sententiam, praeter quam oportet, collegerunt*, id „ est qui Catholicae fidei simul & „ obedientiae, quam exhibere Romanae tenebantur Ecclesiae, jugum excusserunt, ut ἀκέφαλα sibi „ ad arbitrium conventicula constituerent. Quare ne turpissimam „ schismatis ac haereseos labem incurrant Protestantes, nullum lapidem non movent, ut importunissimi loci pondus declinent. Sed „ tam parum sibi in hoc explicando, quam in fidei dogmatibus „ consentiunt. Salmasius ad clarissimae lucis fulgorem oculos claudere non valens, fateri coactus „ est, Irenaei verborum sensum esse *necesse esse omnem Ecclesiam convenire & concordare in rebus fidei ac doctrina cum Romana Ecclesia*. Id ipsum est, quod ex eo „ Irenaei loco inferunt Catholici omnes. Fateatur igitur necesse est „ Salmasius, eam omnem Ecclesiam, „ quae a Romana discrepabit ac dissentiet in rebus fidei ac doctrina, „ eo ipso schismatis ac haereseos „ cul-

(a) Lib. III. adv. Haeref. cap. III.

„ culpa teneri . Videant proinde „ Salmasii asseclae, Calviniani om- „ nes, & quicumque a Romana „ Ecclesia in rebus fidei dissentiunt, „ quo pacto culpam hanc a se amo- „ liantur . Neque enim quod secun- „ do Ecclesiae saeculo, Salmasio fa- „ tente, necesse erat, posterioribus „ his saeculis minus necesse est . Et infra disputans idem Cl. Editor adversus Grabium, qui ineptum & ridiculum sensum Irenaei verbis, ut quocumque modo evaderet, affingebat : „ negare, inquit, nec potest, „ nec audet Grabius, quin Irenaei „ toto hoc capite scopus sit proba- „ re, unam & eamdem in omni „ Ecclesia traditionem Apostolicam „ & fidem esse, qua confundantur „ omnes haeretici ; eam vero pu- „ ram & illibatam per continuam „ Episcoporum successionem ad suam „ usque aetatem manasse . Quia ve- „ ro longius & molestius fuisset, „ omnium & singularum Ecclesia- „ rum successiones Episcopales enu- „ merare, sufficere, si unius Eccle- „ siae Romanae successio, per quam „ Apostolica traditio pervenit us- „ que ad illud aevum, recenseatur : „ quia eadem est aliarum omnium „ Ecclesiarum cum Romana fides „ & traditio . Quamobrem recensi- „ ta Episcoporum Romanorum suc- „ cessione concludit: *Hac ordinatio- „ ne & successione &c.* ut supra . „ Eamdem autem aliarum Ecclesia- „ rum cum Romana fidem & tradi- „ tionem esse, ex eo probat Ire- „ naeus, quod ad Romanam Ec- „ clesiam propter potiorem princi- „ palitatem necesse sit omnem Ec- „ clesiam convenire. Et paullo post hoc modo procedere, docet Massuetius, S. Doctoris argumentum . „ Ea- „ rum Ecclesiarum una & eadem „ est cum Romana fides, & tradi- „ tio, quas necesse est cum capite, „ duce & principe Romana, cete- „ ris regendis a Deo praefecta, con- „ sentire in rebus fidei atque do- „ ctrina : Atqui necesse est, omnes „ Ecclesias, seu, quod idem est, „ Fideles omnes, ex quocumque lo- „ co, regione, aut gente sint, cum „ Romana Ecclesia, omnium capi- „ te, duce ac principe, regendis „ omnibus a Deo praefecta consenti- „ re : Omnium igitur Ecclesiarum „ eadem est cum Romana fides & „ traditio : ac proinde quum ex tra- „ ditione hujus Ecclesiae confundan- „ tur, haeretici omnes & schismati- „ ci, ex consensu omnium Eccle- „ siarum confundi, necessario conse- „ quitur .

Quid huic argumento reponere possint non modo haeretici, verum & Parisienses Theologi, profecto non video . Ecclesiae Romanae doctrinam & traditionem non ideo Irenaeus docet esse regulam fidei immobilem & irreformabilem, a qua sine haereseos labe dissentiri non possit, propterea quod ad ipsam reliquae Ecclesiae conveniant, hoc est, in rebus fidei atque doctrinae concordent : alioquin exploranda esset omnium Ecclesiarum sententia, antequam ex Romanae Ecclesiae judicio quisquam haereticus haberetur : Sed ideo docet Irenaeus, omnes Ecclesias in rebus fidei atque doctrina cum Ecclesia Romana consentire, quoniam ad eam necesse est, propter potiorem ejus principalitatem,

tem,

tem, hoc est principatum & summam auctoritatem, omnes Ecclesias convenire: ideoque sufficere ait Ecclesiae Romanae traditionem atque doctrinam exploratam habere, ut omnium Ecclesiarum traditionem teneamus: quoniam necesse est, quod earum omnium una eademque sit cum Romana Ecclesia traditio. Quod perinde est ac si diserte doceret, non ideo Ecclesiae Romanae de aliquo dogmate traditionem immobilem esse & irreformabilem fidei regulam, quod ad eam Ecclesiae consensus accedat; sed ideo ad eam Ecclesiae consensum accedere, quoniam immobilis est suapte vi & irreformabilis fidei regula.

Eadem methodo & Tertullianus usus est in omnibus haereticis uno simul impetu conterendis. Statuit enim, illam esse veram & genuinam Christianae Religionis doctrinam, quam Deus Christo, quam Christus Apostolis, quam Ecclesiae Apostoli tradiderunt. Quid vero Ecclesiae Apostoli tanquam a Christo Deoque acceptum tradiderint, colligendum esse decernit ex doctrina illarum Ecclesiarum, quas Apostolicas vocat & matrices & originales fidei, propterea quod ab Apostolis fundatae & institutae, ceteras fundaverunt & instituerunt, & in eas traducem fidei, & Apostolicae doctrinae semina derivarunt; quae proinde aliter Apostolicae dici non possunt aut par est credere eas doctrinam Apostolicam profiteri, quam quod cum illis communicant eamdem dogmata tenent, quas proxime Apostoli instituerunt (a): *Hinc igitur dirigimus praescriptionem, si D. J. Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos Praedicatores, quam quos Christus instituit..... Quid autem praedicaverint, id est; quid illis Christus revelaverit, & hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per Epistolas postea. Si haec ita sint, constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Superest ergo uti demonstremus, an haec nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditionem censeatur, & ex hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.*

Porro in Ecclesiis Apostolicis eamdem servari doctrinam, quam ab Apostolis acceperunt, haud luculentiori argumento probari posse Tertullianus docet, quam quod suppetit Episcoporum ab ipsis Apostolis derivata, & non interrupta successio. Inde enim probat, haereses falso sibi ac temere nomen Apostolicum usurpare,

(a) Lib. de Praescript. cap. XXI.

re, aut se se pro Apostolicis venditare; quod suam originem referre non possint ad aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis Viris, qui tamen ab Apostolis non desciverunt, sed cum iisdem constanter perseverarunt. Quomodo Ecclesiae vere Apostolicae se se reapse tales esse probabant, suorum Episcoporum census & catalogos proferendo, qui linea & propagatione nusquam interpolata ad ipsos usque Apostolos ascendebant (a): *Ceterum, inquit, si quae audent interserere se aetati Apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. Sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum ab Johanne consecratum refert. Sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique & ceterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant.*

In his ergo Ecclesiis, quae per non interruptam suorum Episcoporum propagationem suam ad Apostolos originem referunt, quaerendam esse contendit Apostolorum doctrinam & Apostolicam traditionem. Quamquam autem plures ejusmodi Ecclesias nominet, satis tamen habet, quemadmodum & S. Irenaeus, unius Ecclesiae Romanae doctrinam & traditionem exponere; ob eamdem utique, ut deinde probabimus, atque laudatus Irenaeus, rationem, quod nimirum ad Ecclesiam Romanam velut omnium matricem & originalem, reliquas omnes convenire oporteat, id est in fidei rebus atque doctrina concordare, vel ex ea traducem fidei ac doctrinae semina derivare (b): *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesidentur, apud quas ipse authenticae literae eorum recitantur, sonantes vocem, & repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur: ubi Paulus Johannis exitu coronatur: ubi Apostolus Johannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in Insulam relegatur.* Hujus ergo tantum Ecclesiæ, cujus præ ceteris gloriam & dignitatem prædicat & extollit, doctrinam & traditionem speciatim exponit, perinde atque omnibus haereticis opprimendis auctoritas ejus sola sufficeret. Quare statim subjungit: *Videamus quid di-* dice-

(a) Ubi sup. cap. XXXII.

(b) Ibid. cap. XXXVI.

dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit Creatorem Universitatis, & Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem. Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem: Eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit: Martyrium exhortatur; & ita adversus hanc Institutionem neminem recipit. Quibus verbis praecipua dogmata designat, quae Sedes Apostolica adversus illius temporis haereticos propugnabat. Quod sufficere Tertullianus existimabat, ut qui ab hac doctrina & institutione desciverant, incunctanter pro haereticis haberentur.

Et merito quidem; nam quemadmodum idem Auctor post S. Irenaeum observat, quod maxime Catholicam doctrinam commendat, ejus est unitas in tam dissitis regionibus & Ecclesiis. Hujus porro unitatis fundamentum in eo statuit, quod omnes per orbem Ecclesiae cum iis consentire & conspirare debent, quas Apostoli condiderunt, quas propterea matrices & originales appellat (a): *Ecclesias apud unamquamque Civitatem* (Apostoli) *condiderunt, a quibus traducem fidei & semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiae fiant; ac per hoc & ipsae Apostolicae deputantur, soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam recenseatur necesse est. Itaque tot ac tantae Ecclesiae una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae, & Apostolicae, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis: quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti* (hoc est eorumdem mysteriorum & dogmatum) *una traditio.* At quemadmodum plures Ecclesiae ex aliqua Apostolicarum Ecclesiarum propagatae cum ea consentire debent, a qua fidei traducem, & doctrinae semine receperunt; ita & ipsae Apostolicae, hoc est, quas Apostoli instituerunt, ad eam convenire debent, hoc est, in fidei rebus concordare, quam Princeps Apostolorum instituit, in qua suam Cathedram collocavit, cui totam doctrinam cum sanguine suo profudit; & propterea Catholicae unitatis & communionis centrum & radix, & absolute omnium princeps & matrix, a Sancto Martyre Cypriano aliisque Patribus dicta est. Hinc aliis Apostolicis Ecclesiis, aut earum Episcopis ab avita doctrina & Apostolica traditione excidentibus, ad hanc velut omnium caput & communem originem, & sacrorum dogmatum jugiter manantem & limpidissimum fontem confugere Catholici consueverunt. Ita, referente S. Athanasio (b), quum S. Dionysius Alexandrinus Episcopus nefaria Sabellii dogmata impetens, in adversum errorem declinare, quibusdam

(a) Ubi sup. cap. XX.
(b) Epist. de sent. Dionys. Alex. Episc. & lib. de Synodis.

dam visus esset; hi *Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum Episcopum accusaverunt*. Ita quum Paulus Antiochenus Episcopus sententia Synodi Antiochenae dejectus ob prava dogmata & exauctoratus fuisset, nec tamen Episcopali domo exire vellet, & cum Domno, in ejus locum ejusdem Synodi decreto suffecto, de Episcopatu contendere videretur; *Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissime*, inquit Eusebius (*a*), *quid esset agendum decrevit. Praecepit enim, ut domus Ecclesiae illis tribueretur, quibus Christiani Italiae, & Urbis Romae Episcopi per literas tribuendam praescriberent*: hoc est, ut ille pro Episcopo haberetur, quem Romanus Antistes cum domestica & sibi jugiter adhaerente Episcoporum Italiae Synodo pro Episcopo haberet, & ad quem litteras pacis & communicationis dirigeret. Sic demum & Montanistae, ut est apud eumdem Eusebium (*b*), quum per Asiaticas Synodos, cujus tractus nobilissimae Ecclesiae Apostolicae institutionis erant, *Ecclesia extrusi, & a communione penitus exclusi fuissent*; in Ecclesiae Romanae communionem obrepere fategerunt. Quare de Praxea Tertullianus conqueritur (*c*), quod *Episcopum Romanum, agnoscentem jam prophetias Montani, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiae & Phrygiae inferentem, coegit literas pacis revocare jam emissas*. Ex quibus constat, eatenus retinendam fuisse ceterarum Ecclesiarum, quae Apostolicae dicebantur, communionem, quatenus & ipsae cum Ecclesia Romana communicabant; quae proinde totius Ecclesiasticae communionis fons & origo habebatur, ad quam propterea convenire oportebat omnes per orbem Ecclesias.

Idem argumentum adversus Donatistas saepius urget & Sanctus Optatus Milevitanus, eoque probat, cum Donatistas ab universae Ecclesiae communione excidisse, tum sese in eadem perseverare; quod illi cum Romanis Pontificibus, Apostolorum Principis per non interruptam seriem in Sede Apostolica successoribus, societatem & consortium non haberent; ipse vero eorumdem communione frueretur (*d*): *Igitur negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus ..... in qua una Cathedra Unitas ab omnibus servaretur; ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent ..... Ergo Cathedram unicam, quae est prima de totibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus &c. Damaso Siricius, hodie qui noster est socius; cum quo nobiscum totus orbis commercio Formatarum, in una communionis societate concordat. Vestrae Cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare. Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis; ramus est vestri erroris, proten-*

(*a*) Lib. VII. Hist. Eccles. cap. XXIV.
(*b*) Lib. V. cap. XV
(*c*) Lib. adv. Praxeam cap. I.
(*d*) Lib. II. de schism. Donatist. cap. III.

rotentus de mendacio non de radice veitatis. Quamquam plures Ecclesias ıpostoli condiderunt; unicam tamen sse Cathedram docet, Romae ab postolorum Principe collocatam, in ıa unitas ab omnibus servaretur, : quis temere judicaret, tot prias, & singulares, & ab omni subjeione liberas singulos Apostolos Caiedras erexisse, quot ab ipsis Eccleıe conditae & institutae sunt.

Idem telum adversus eosdem Dotillas & Manichaeos, imo & genetim adversus omnes haereticos haud nel S. Augustinus intorsit. Ita im in Psalmo contra Partem Doti:

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa
Petri Sede,
Et in ordine illo Patrum quis cui
successit, videte:
Ipsa est Petra, quam non vincunt
superbae inferorum portae [a].

libro contra Epistolam Fundamencap. IV. inter plura *nominis Chrini carissima vincula*, quibus in :lesia Catholica retinebatur, hanc ım non interruptam Episcoporum Ecclesia Romana ab ipso Apostoım Principe successionem haud tremo loco recenset: *Multa sunt*, *e in ejus* (Ecclesiae Catholicae) *mio me justissime tenent .... Tenet ipsa Sede Petri Apostoli, cui padas oves suas post resurrectionem ninus commendavit, usque ad praeem Episcopatum successio Sacerdo*. Et libro de utilitate credendi . XVII. eodem argumento Maıaeos, & alios quoscumque haecos ad Ecclesiae Catholicae pacem & communionem invitat; quod nempe illa per Apostolicam Sedem, & Apostolicorum Praesulum successionem culmen & apicem auctoritatis obtineat: *Dubitabimus, nos ejus Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* Sic Sanctus Doctor ideo quascumque haereticas sectas detestabatur, & Ecclesiae Catholicae indivulse adhaerebat, quoniam haec super illam petram erat aedificata, quam evertere non possunt superbae inferorum portae: & quoniam in ea eminebat Episcoporum ab ipso Petro, cui Dominus universi gregis curam commiserat, nusquam interpolata successio: ab hujus autem aedificii compage, ab hujus unius Pastoris cura se se schismatici & haeretici omnes subtraxerant.

Ex his porro S. Irenaei, Tertulliani, & SS. Optati Milevitani & Augustini testimoniis illud omnino consequens est, quod initio Capitis constituimus; nempe omnibus haereticis absque Synodi generalis examine profligandis solam sufficere Sedis Apostolicae auctoritatem; quum ad eam ut omnium caput, principem & matricem, propter *potiorem principalitatem*, convenire oporteat omnem Ecclesiam, hoc est in fidei rebus atque doctrina concordare; tum etiam aliarum Ecclesiarum, Episco-

(a) Vid. & Epist. LIII. al. CLXV. ad Generosum cap. I.

ſcoporum, & Synodorum adverſus quaſcumque haereſes judiciis haud aliunde acceſſiſſe indeclinabilem auctoritatem, quam ex Sedis Apoſtolicae praeeunte vel ſubſequente, diſerta vel tacita earumdem haereſeon damnatione. Id non minus erudite quam eleganter docet ſequentibus verbis Cl. Thomaſſinus: Conſtat, inquit [a], abunde tot teſtimoniis [quae plena manu congeſſerat] Eccleſiis Epiſcopiſque omnibus ſive Synodice, ſive extra Synodos ſola exſecratione novitatis haereſes exorientes damnantibus, vel praeiſſe, vel acceſſiſſe, vel ſucceſſiſſe Sedem Apoſtolicam, & ſummum authoritatis pondus, & vim ineluctabilem atque univerſalem adjeciſſe. Si quid aliae Eccleſiae Synodive perficere non poterant, ipſa efficiebat: ſi quid effecerant, perficiebat: ſi quid privatim ſanxerant, id ipſa toto orbe Catholico authorabat. Nunc quod ceterae ſequerentur, ipſa dictare occupabat, certa de membrorum ſuorum conſenſu & obſequio. Nunc reliquas in impietatis apud ſe exortae damnationem praecurrentes, ipſa lubens ſequebatur, confirmabat; & ſin minus tempore, certe conſenſu, dignitate, authoritate antecedebat. Ita ſive praefinirent aliae Synodi, quod, ut ajebat Proſper, *Regna ſequerentur* tum demum quum *Roma probaſſet*; ſive praeciperet Romana Eccleſia fidem omnibus amplectendam ſcribere; plerumque temporis, ſemper authoritatis ordine caput membris anteibat. Cumque fides commune ſit Eccleſiarum omnium decus, non poterat illa a privatis vel Eccleſiis vel Conciliis ſanciri, niſi praeſumto vel adhibito conſenſu ſuffragioque principis Eccleſiae, cujus unius jus erat confirmare & promulgare, quod omnes Eccleſiae ſequerentur. Quod ille pluribus exemplis confirmare pergit, de quibus nos in ſequentibus Capitibus diſſeremus. Quae enim in praeſenti articulo adtulimus & enucleavimus teſtimonia, ſatis aperte demonſtrant, hanc olim fuiſſe veterum Patrum adverſus omnes haereſes praeſcriptionem, quod a Sedis Apoſtolicae communione ob diverſitatem dogmatum excidiſſent, ſive ſua ipſi ſe ſponte ab ea ſeparaſſent, ſive illos ipſa abjeciſſet: perinde enim eſt; dum tamen eis non conſtaret cum Eccleſia Romana, *communicatio pacis*, ut ait Tertullianus, *& appellatio fraternitatis*, *& conteſſeratio hoſpitalitatis*; hoc eſt, dum Sedi Apoſtolicae ſollenniter, & anathematis poena propoſita quidquam definienti, temere ac pertinaciter refragarentur.

C A-

(a) Diſſert. IV. in Synod. Gangrenſ. num. XXXVI.

CAPUT II.

„ Locus Augustini de Pelagianis, „ *caussa finita est*: quaenam illae „ caussae sint, quae sine Synodis finitae intelligantur: duo „ Actorum loci comparantur: „ Caussae Pelagianae status ex „ Augustino: Sufficiens judicium „ eidem Augustino quid sit: Capreoli Carthaginensis locus: „ Concilii Ephesini de Pelagianis decretum.

MIrum quantum hic S. Augustini locus; *ab Apostolica Sede rescripta venerunt, caussa finita est &c.* nostros torqueat Adversarios; adeoque nil etiam mirum, si ad ejusdem loci vim elevandam, in omnem partem se verterint, & nullum non moverint lapidem. At verba Sancti Doctoris magis clara & aperta sunt, quam ut possint quibuscumque commentis, aut notarum & observationum nebulis obscurari. Plura enim Adversarii comminiscuntur, adnotant, observant, non ut textui lucem adferant, qua profecto non indiget, quum ex sese perspicuus sit & luculentus; verum ut ejus nativam lucem & claritatem obruant, ne tam diserte tam perspicue tantus Doctor nostram tenuisse ac docuisse sententiam videatur. Plures ejusmodi observationes in hoc & sequentia Capita Meldensis Episcopus congessit, quas minimum ad Augustini mentem quadrare, dilucide ostendam; ita mque faciam, hoc textu invicte probari, adhuc non explorato Ecclesiae consensu, firmum esse & indeclinabile, quod adversus quascumque haereses profertur ab Apostolica Sede sollenne judicium.

ARTICULUS UNICUS.

Sancti Augustini verba adversus Pelagianos: Caussa finita est, *ad certas haereses coërceri non debent; sed generatim in omnes haereticos intorqueri possunt, quos Petri Sede damnavit.*

SAnctus Augustinus in pluribus suorum Operum locis Pelagianis objicit, jamdudum fuisse ipsorum caussam finitam, quoniam missis ex duplici Africae Synodo ad Sedem Apostolicam relationibus, inde rescripta venerant, quibus Africanorum Patrum de illorum haeresi judicia confirmabantur. Unde illud sponte & aperte fluere videtur, de quo cum Parisiensibus Theologis & Gallicanis Patribus disceptamus; nempe vi sua & antequam ipsi universae Ecclesiae consensus accedat, esse prorsus irreformabile Apostolicae Sedis judicium.

Haud me latet, quid Adversarii respondeant. 1. Enim ajunt, non opus esse Synodi generalis examine, quum aliunde constat de totius Ecclesiae consensu. 2. Non esse pariter universi orbis Episcopos sollicitandos, quum agitur de haeresi, cujus est aperta pernicies. Denique multo minus esse ad Synodum oecumenicam provocandum, quum nefaria doctrina paucos habet & obscuri nominis defensores.

At primum plures in Sancto Doctore textu occurrunt, in quibus ab-

solu-

soluta & indefinita summae Sedis auctoritas nullis ejusmodi terminis circumscribitur. Ita sermone CXXXI. al. II. de verbis Apostol. cap. X. *Jam enim de hac caussa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Caussa finita est: utinam aliquando finiatur error*. Ita & lib. III. cont. Julian. cap. I. *Vestra vero apud competens judicium communium Episcoporum modo caussa finita est: nec amplius vobiscum agendum est: quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini: quod si nolueritis, a turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini*. Competens judicium appellat, quod in duplici Africana Synodo latum fuerat, & a Sede Apostolica confirmatum. Ita denique & lib. I. Oper. imperf. adversus eumdem Julian. num. CIII. *Quid adhuc quaeris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? .... Damnata ergo haeresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coërcenda est a potestatibus Christianis*. In quibus omnibus locis Augustini sententia nullis ejusmodi finibus coërcetur, quibus eam Parisienses Theologi circumscribunt; ac proinde in omnes haereses valet, quas Sedes Apostolica sollenni judicio damnaverit.

Deinde non modo S. Augustinus universae Ecclesiae consensus in citatis locis non meminit; verum & alibi diserte docet, sufficere debuisse Pelagianis, quod eorum haeresim Apostolica Sedes damnasset. Inde enim Ecclesiae Occidentalis judicio arcessit indeclinabilem auctoritatem, quod in ea quemadmodum alibi scribit (a), Apostolicae Cathedrae vigeat principatus [b]: *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, quum illi Graeci sint, nos Latini? Puto, tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronari. Cui Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit ille Vir sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia?* Subjungit, frustra Julianum ad Orientis Antistites provocare, quum alia esse non possit in Oriente, alia in Occidente Christianorum fides; ipsum autem Occidentalis Ecclesia regenerasset, cujus proinde fidem atque doctrinam illibatam & incorruptam tueri & conservare deberet: *Non est ergo cur provoces ad Orientis Antistites; quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est; quia & fides ista Christiana est: & te certe Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Ecclesia. Quid ei quaeris inferre, quod in ea non invenisti, quando in ejus membra venisti? Imo quid ei quaeris auferre, quod in ea tu quoque accepisti?* Non ergo sollicitos nos esse jubet de Orientalis Ecclesiae

(a) Epist. XLIII. al. CLXII. cap. III.
(b) Lib. I. cont. Julian. cap. IV.

clesiae consensu, aut a nobis explorari vult, quid Orientales sentiant, postquam nobis innotuit Occidentalis Ecclesiae fides; propterea quod in hac parte Christiani orbis primus Apostolorum primam & singularem Cathedram sanguine suo dedicarit.

Et haec rursus ad omnes haereses pertinere, perspicuum esse putamus. Nam quod Adversarii contendunt, haec ideo in Pelagianam haeresim juremerito intorqueri, quod ejus sit aperta pernicies; idque ipsius S. Augustini auctoritate confirmare nituntur, ab ejus mente prorsus alienum esse videtur. Locus S. Doctoris, quem Adversarii proferunt, ex lib. IV. cont. duas Epistolas Pelagianorum capite ult. depromtus est: *An vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit: quum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt. Verum istorum superbia ... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: quum potius vigilantia & diligentia pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint.*

Quum haec scriberet Augustinus, duae tantum oecumenicae Synodi numerabantur, Nicaena & Constantinopolitana, quarum altera Ariana, altera Macedonia haeresis damnata fuerat. An illarum minus aperta pernicies, quam Pelagianae? Statim post Augustini obitum Ephesina Synodus habita est, & paucorum annorum intervallo Chalcedonensis; quarum prior Nestorianam, altera Eutychianam haeresim confixit. An illarum pariter minus aperta pernicies, quam Pelagianae? Imo an illarum minus aperta pernicies, quam tot illarum incomparabiliter plurium, quibus opprimendis congregatione Synodi, generalis utique, opus non fuit? Quis certo definire & adfirmare audeat? Ergo quemadmodum illae *incomparabiliter plures*, & Pelagiana; ita & Ariana, & Macedoniana, & Nestoriana, & Eutychiana absque Synodi generalis congregatione damnari absolute atque opprimi potuissent; imo & reapse Sedis Apostolicae auctoritate damnatae atque oppressae fuissent, nisi Constantino, & duobus Theodosiis visum fuisset Synodorum generalium congregationes indici. Nam quod pertinet ad Romanos Pontifices, quamquam ut Synodi generales haberentur, facile consenserunt, non ideo sentiebant, Synodis generalibus opus esse, ut fidei caussa ab ipsis definita terminaretur. Hanc enim, ut saepius animadvertimus, constanter illi graviterque vetabant, in ejusmodi Synodis retractari. Ergo & Ariana, & Macedoniana, & Nestoriana, & Eutychiana, ubi exstiterunt, illic ab Alexandro, Cyrillo, Flaviano, & aliis

aliis improbatae, & jure meritoque damnatae, *inde per ceteras terras devitandae*, Sedis Apostolicae interposita auctoritate, *innotescere potuerunt*. Factum id est in Pelagianae haereseos per Sedem Apostolicam damnatione; cui propterea domiti hujus teterrimi monstri primas partes & primam gloriam vindicat S. Prosper in Carmine de Ingratis.

. . . . . Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Relligione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit &c.
Tu caussam fidei flagrantius Africa nostra
Exsequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis & lato prosternis limite victos
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque Senum celeberrima coetu
Decernis quod Roma probet, quod Regna sequantur.

Ergo Synodis Africanis ad debellandos fidei Catholicae hostes, & nefariam haeresim conficiendam, dedit juris Apostolici solium invictam & inexpugnabilem auctoritatem; & earum decreta prius Roma probavit, quam Regna sequerentur. Ita difficillimum bellum absque Synodi generalis examine, & unius Sedis Apostolicae auctoritate confectum est, *quando*, ut ait idem S. Prosper (a) *Africanorum Conciliorum decretis beatae recordationis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum*. Ita Sedis Apostolicae decreta non ex Africanarum Synodorum, non ex aliorum Antistitum consensione vim ineluctabilem acceperunt; sed ipsa potius Synodis vigorem dederunt, ipsa eis robur adnexuerunt, & adversus impios gladio Petri, hoc est, illius auctoritate omnium dexteras armaverunt.

Satis id fuit, inquiunt, ob hostium paucitatem: „ Cur Pelagiani, „ ait Meldensis Episcopus, non eam „ (habendae Synodi generalis) Ec„ clesiae necessitatem inferrent, eo„ rum paucitas faciebat; quorum „ scilicet, Augustino teste, *profanas* „ *novitates Catholicae aures, quae* „ *ubique sunt, horruerunt*. Horruerunt quidem; sed ob Apostolicae Sedis exemplum, & tali exemplo conjunctam auctoritatem, quemadmodum testatur Auctor Epistolae ad Demetriadem cap. X. *Sacerdotes & plebes Apostolicae Sedis exemplo, insaniam novi dogmatis horruerunt*.

Deinde, ut ex S. Augustino constat lib. I. cont. duas Epist. Pelagianorum cap. I. Pelagiani octodecim Episcopos in suas partes traxerunt; quorum nomine ad Rufum Thessalonicensem Episcopum una ex iis Epistolis scripta est, quas S. Doctor quatuor ad Bonifacium libris refellit.

(a) Lib. cont. Collat. cap. XXI. al. XLI.

lit. Sed, ais, octodecim Episcopi pauci erant adversus totius orbis Episcopos, a quibus Pelagiana haeresis damnabatur. Verum id quidem: sed & adjungo, paucos adhuc visos fuisse Ephesini Concilii Patribus, postquam Ephesi Orientalibus Schismaticis octodecim ejusmodi Episcopi se se adjunxerunt, cum iisque quadragenarium fere numerum impleverunt: qui tamen omnes Concilii Patribus non erant, nisi paucorum hominum factiosa coitio, ut ex eorum ad Imperatores Relatione compertum est (a); in qua & suam Synodum oecumenicam vocant, & ex universo orbe collectam, quamvis ab ea cum Pelagianis Orientales Episcopi dissentirent. Addo etiam, ipsi S. Augustino paucos fuisse visos *quinquaginta Episcopos Orientalium cum septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus* in explodendo haereticorum Baptismate conjunctos, *contra tot millia Episcoporum, quibus*, inquit, (b) *hic error in toto orbe displicuit*. Quare si paucitas Pelagianorum faciebat, cur non eam habendae Synodi generalis Ecclesiae necessitatem inferrent; pariter nulla fuit simplex & absoluta necessitas, cur Nestorianorum paucitati, cur etiam paucitati illorum, qui datum ab Haereticis Baptismum rejiciebant, Oecumenicae Synodi objicerentur. Sed de his, quae pertinent ad celebrem de Haereticorum Baptismate controversiam, ad sequentia Capita differemus.

Hic autem solvenda superest difficultas, quam Illustrissimus Adversarius objicit ex Epistola Sancti Capreoli Carthaginensis Episcopi ad Synodum Ephesinam. Observat enim aliter loqui Capreolum de Pelagianis & eorum erroribus jamdudum ab Ecclesia confossis; aliter de controversia, quam Nestorius nuper invexerat, & Caelestinus damnaverat. Nam Pelagianos (c), *quos*, inquit, *pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes, Apostolicae Sedis auctoritas, Sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit*; ad novam disputationem admittendos non esse contendit. Ac statim subjungit, quod, *si quid forte novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur oportet: ut vel recte dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur*. Quae verba ad Nestorianam haeresim Bossuetius refert. Ait enim: „ Dogma „ Pelagianum jam ubique damnatum ad examen Synodi revocari „ vetat. At cur Nestorianum a Caelestino damnatum examini subjicit? Nempe quod nondum Nestorianos oppresserat ea, quam Capreolus adversus Pelagianos commendaverat, *Apostolicae Sedis auctoritas, & Sacerdotum omnium consonans sententia*.

Verum, unde habet Illustrissimus Adversarius, perspectam fuisse Capreolo peractam a Caelestino Nestoriani dogmatis damnationem? Mihi enim contra videtur, ne tum quidem gnarum fuisse Capreolum controversiae quae Cyrillum inter & Nestorium

(a) Act. V. Conc. Ephes.
(b) Lib. III. cont. Crescon. cap. III.
(c) Act. I. Conc. Ephes.

storium exarserat, propter quam Ephesina Synodus indicebatur. Nam litterae Imperatoris ad Augustinum directae, & quae, ipso jam mortuo, Capreolo redditae sunt, haud aliae fuisse videntur, quam quae ad omnes Metropolitanos ab eodem Imperatore missae sunt, exstantque 1. Par. Concilii Ephesini cap. XXXII. In his porro litteris Imperator nihil speciatim significat de contentione, ad quam sopiendam, opportunam esse Synodum judicabat. Nestorianum dogma tamquam certissimam & exploratissimam haeresim paucis ante annis Aurelius Carthaginensis Episcopus Capreoli decessor, & S. Augustinus, & Africa universa in Leporio damnaverat; ut constat ex Epistola Episcoporum Africae ad Episcopos Galliae, & ex Libello emendationis, confessionem fidei Catholicae continente de Mysterio Incarnationis Christi cum erroris pristini detestatione, quem ab Aurelio, Augustino, aliisque Episcopis Africanis subscriptum, Leporius ipse Gallicanis Episcopis obtulit. Quapropter de controversia, propter quam Ephesina Synodus celebrabatur, haec nunquam scripsisset Capreolus: *Si quid forte novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur oportet: ut vel recte dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur*; haec, inquam, nunquam scripsisset Capreolus, si perspectum habuisset, perniciosissimam haeresim ab Africanis Patribus in Leporio, & a Leporio ipso damnatam, per Nestorium iterum excitari, & in Ecclesiam invehi, atque impiis ejus conatibus, cum ceteris ferme totius orbis Episcopis obsistere Caelestinum. Quo fiebat, ut non meliore loco Nestorianorum ac Pelagianorum dogmata essent; etsi adhuc aulae & Imperatoris gratia & favore Regiae Urbis thronum impius Haeresiarches occuparet. Quare, quod ad dogmata pertinet, de utrisque dici aequo jure poterat: *Caussa finita est: utinam aliquando finiatur error.*

CAPUT III.

„ Quae caussae sine Synodis finiri
„ possint, quae finiri non possint;
„ ex S. Augustino, & quaestione
„ Rebaptizationis ostenditur.

Qui in veterum Patrum, & Monumentorum lectione, & sacrorum dogmatum historia, & controversiarum tractatione versati sunt, ignorare non possunt, imo & perspectum & exploratum habent, nullum fere esse Christianae fidei mysterium, nullam Catholicam veritatem, quae non gravissimis obsepta sit ac pulsetur difficultatibus: Nec eas tantum difficultates intelligo, quae ex humanae rationis, adsurgere non valentis ad caelestium Mysteriorum altitudinem adsequendam, imbecillitate proficiscuntur; verum & quae ex iisdem fontibus manant, per quos divina Providentia in nos derivari voluit puram & illibatam sacrorum dogmatum intelligentiam. Quis enim nesciat, quas Sociniani adversus Mysterium Trinitatis, quas Semipelagiani adversus Catholicam de Christi gratia doctrinam, quas Calviniani adversus realem Corporis Christi in Sacramento praesentiam, quas iidem

ac Lutherani adversus conversionem substantiae panis & vini in Christi Corpus & Sanguinem, non modo ex naturali ratione, verum & ex sacris litteris, & ex antiquis Patribus excitant objectiones? Quid ergo mirum, si & adversum summam & ineluctabilem, quam propugnamus Romani Pontificis auctoritatem, non desunt Parisiensibus Theologis quae objiciant Patrum testimonia? Ea siquidem nec Protestantibus nec quibuscumque Novatoribus desunt adversus ejusdem Romani Pontificis primatum, quem nobiscum Galli Theologi tamquam fidei dogma propugnant. Imo eadem fere sunt loca, ex quibus Protestantes & quicumque Novatores ac Refractarii adversus Catholicos, & ex quibus Parisienses adversus nostram doctrinam validiora argumenta depromunt. Quare illis aeque ac nobis solvenda sunt. Nam si ad extremum urgeantur, & nisi ejusmodi veterum Patrum testimoniis pia & aequa interpretatio adhibeatur; non ea tantum, de quibus inter nos disceptamus, sed ipsa quoque, de quibus inter nos convenit, Catholica dogmata funditus labefactabunt.

Porro doctiores Theologi & eruditionis laude praestantes, & criticae artis usu & exercitatione subacti, merito observant ac monent (a), judicium de veteris Ecclesiae doctrina ferendum non esse ex aliquot Patrum auctoritatibus divisim ab aliis & seorsim spectatis; sed operae pretium esse, ut omnia invicem conferantur, quae tum in aliorum, tum in uniuscujusque Patrum quibuslibet lucubrationibus occurrunt, quae ad argumentum, de quo agimus, referri possunt; ut ex iis una simulque collatis qui candide ac sincere & ex animo veritatem quaerit, perspicere atque intelligere valeat, quaenam accipi debeant tamquam communis traditionis & fidei praeclara & illustria monumenta, quae vero debeant inter objecta recenseri, quibus quandoque traditionis fulgor veluti quibusdam nebulis obscuratur. Quum igitur & in eo, quod in praesentia versamus argumento, utrinque veterum Patrum proferantur testimonia, illud imprimis perspiciendum est, an avita Ecclesiae traditio atque doctrina ex iis potissimum locis petenda sit, quae ab Adversariis in medium producuntur: vel contra, an non sint aliquae rationes, quae suadeant, non esse nimium urgenda ejusmodi testimonia, neque iis communis traditionis & fidei vim totam & amplitudinem repraesentari, sed potius infringi quodammodo & hebetari; ac proinde spectanda ea non esse ut certam & immobilem regulam, ad quam exigere oporteat Theologorum de auctoritate Romani Pontificis opiniones; quum in iis potius ad Scripturarum, & communis fidei ac traditionis amussim dirigendis ac retorquendis se se exerere debeat & exercere Theologorum industria & eruditio.

(a). Perpetuité de la foi Tom. I.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae SS. Cyprianus & Augustinus in celebri illa de Haereticorum baptismate controversia literis mandaverunt, regulae & normae instar haberi non debent, ad quam veteris Ecclesiae de Romani Pontificis auctoritate traditio atque doctrina exigatur.

SAnctum Martyrem Cyprianum Operum Tertulliani perquam studiosum fuisse, ex S. Hieronymo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis constat. Plura quoque fuisse utrique Scriptori communia, ex eorum Operum lectione compertum est. Ipsorum libri in iisdem ferme argumentis versantur: uterque Gentiles, Judaeos, & Haereticos acerrimis scriptis exagitavit: Nemo e Latinis illius aevi Scriptoribus fidei Catholicae dogmata, & Ecclesiae disciplinam, & Christianae Ethices regulas, totamque morum oeconomiam aut graviori, aut luculentiori stylo & oratione disseruit. At quemadmodum habent communes laudes, ita habent quosdam communes naevos, ac de utroque dici potest, quod de solo Tertulliano Hilarius in Caput V. Matthaei quod consequens eorum error ademit quodammodo, quantum in ipsis erat, scriptis quibusdam eorum probabilibus auctoritatem. Quis enim, ubi de Valentinianis, Cerdonianis, Marcionitis, aliisque ejusmodi acrioribus ac nocentioribus pestibus agebatur, Ecclesiarum Apostolicarum atque imprimis Romanae, auctoritatem vehementius quam Tertullianus aut magnificentius commendavit? Qui tamen ubi in Montani haeresim, ac deliramenta deflexit, vel ubi adversus Catholicos pro suo Paracleto ejusque vanissimis institutionibus disputat, plane oblitus esse videtur, aut omnino revocat, aut ad arbitrium certis limitibus circumscribit, quod toties & tam graviter alibi inculcat, salutem obtineri non posse, nisi communio cum Ecclesiis Apostolicis foveatur? Pariter quis Romanos Pontifices eorumque auctoritatem impensius coluit, quam S. Cyprianus, ubi de sancienda circa Lapsos disciplina, & comprimendis Romae & in Africa schismaticis agebatur? Verum ubi & ipse semel circa Haereticorum baptismum ab avita traditione deflexit, & in transversum abreptus est, haud secus ac Tertullianus, retexere aperte visus est quae antea summo conatu firmaverat, & nihil plane deferre summae ac divinae Romanorum Pontificum potestati. Ut qui ex iis, quae Sanctus Martyr a veritatis semita abreptus, & in Stephanum, qui illum revocare satagebat, irritatus effudit, de veris ac genuinis veteris Ecclesiae, imo & ipsius Sancti Martyris sensibus dijudicari volunt, perinde facere mihi videntur, atque illi, qui de Apostolicarum Ecclesiarum auctoritate, juxta veteris Ecclesiae sensum, ex iis statuere vellent, quae Tertullianus in Catholicos scripsit, postquam ad Montani castra defecit. Quod sane absonum ac perabsurdum est. Quis enim unquam de cujusquam mente ex iis potius judicavit, quae ille in errorem actus & affectibus perturbatus effutiit, quam quae pacato ac tran-

quillo

quillo animo, & serena mente pro veritate conscripsit? Libet hic paullulum immorari, ut res isthaec Lectorum oculis subijciatur.

Epistola LV. Cornelio scribens adversus Fortunatum, & Felicissimum, aliosque Africae schismaticos & haereticos, qui *Romam cum mendaciorum suorum merce*, ad fallendum Pontificem, *navigaverunt*; eorum insaniam atque temeritatem his S. Cyprianus verbis castigat: *Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent & ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo praedicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum*. Haec conciliari non possunt cum iis, quae postmodum Epist. 74. ad Pompeium in Stephanum iratus effudit: In ea enim non modo Stephano, subindeque & Romanis exprobat, quod haereticae perfidiae ad se accessum praeberent; verum & in eos perinde invehitur, ac si haereticis manus darent, eosque foverent & amice complecterentur, atque adversus Ecclesiam omnes omnino haereses vindicarent: *Misi tibi rescripti ejus* (Stephani) *exemplum; quo lecto, magis ac magis errorem ejus denotabis, qui haereticorum caussam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei adserere conatur*. Et infra: *Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, haereses contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui haereticorum amicus, & inimicus Christianorum, Sacerdotes Dei veritatem Christi, & Ecclesiae unitatem tenentes, abstinendos putat?* Praeterea in hac Epistola non modo Romanos non laudat, quasi adhuc fidem retinerent Apostolo praedicante laudatam; verum & iis indignatur, quod a doctrina per Apostolos tradita descivissent. Expendens enim illa Stephani verba: ,, Nihil innovetur, nisi quod traditum est. *Unde est*, inquit, *ista traditio? Utrumne de Dominica & Evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? .... Ut nemo infamare Apostolos debeat, quasi illi haereticorum baptismata probaverint, aut eis sine Ecclesiae baptismo communicaverint*: Et infra veterem consuetudinem, quam Stephanus objiciebat, vetustum errorem, seu vetustatem erroris appellat: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est*; quam corrigendam esse contendit, ad divinae & Apostolicae traditionis caput & originem recurrendo; *ut si in aliquo*, inquit, *nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & ad Evangelicam atque Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit*. Quibus palam & aperte docet, non modo Stephanum, verum & Ecclesiam Romanam, Evangelicam & Apostolicam deseruisse traditionem. Nam dubitare non poterat, ejusmodi in Ecclesia Romana vigere consuetudinem, quam veluti Evangelicae & Apostolicae traditioni contrariam exagitabat. Denique in hac eadem Epistola non modo pudoris & officii, verum & sui oblitus esse, & a se ipse suaque

indole

indole plane excidisse videtur. Nam laudata Epistola quinquagesima quinta ad Cornelium hanc vere Christianam regulam & aureum monitum cum sibi, tum aliis praescripserat de moderatione servanda in ipsis quoque Schismaticis & Haereticis refellendis: *Quum*, inquit, *considerandum sit nobis, quid proferre & scribere Sacerdotes Dei oporteat, nec tam dolor apud nos debeat, quam pudor loqui, & ne videar provocatus, maledicta potius quam crimina, & peccata congerere.* Hanc certe regulam ipse non tenuit in illa adversus Stephanum ad Pompejum Epistola. Nam eum statim superbiae & imperitiae arguit, ac passim veluti Christianorum & Ecclesiae hostem, haereticorum autem veluti vindicem & amicum traduxit. Quare is profecto non cogitavit, quid Sacerdotem Dei de totius Ecclesiae Principe scribere & proferre oportebat, ne magis dolor quam pudor loqui, & ne provocatus maledicta potius, quam bonas rationes congerere videretur.

Conferantur etiam quae idem Sanctus Cyprianus ad ipsum Stephanum Epist. 68. al. 67. de Marciano Episcopo Arelatensi conscripsit cum iis, quae tertii Concilii Carthaginensis exordio praefatus est. Epistola enim illa palam agnoscit, Romanum Pontificem Episcoporum supremum judicem esse, cujus muneris & officii sit a fide devios Episcopos revocare, & in errore obfirmatos & contumaces exauctorare, suisque sedibus propria auctoritate dejicere: *Facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos; ne ultra Marcianum pervicacem & superbum, & divinae pietatis ac fraternae salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur.* Et rursum: *Dirigantur in Provinciam, & ad Plebem Arelate consistentem a te literae, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.* „ Nulla industria, inquit Illustrissimus „ Petrus de Marca (a), novatores „ hoc testimonium Cypriani elevare „ possunt. Futilis est enim illa responsio, non deponi a Stephano Marcianum sed deponendum declarari. „ Quinimo conceptis verbis Cyprianus exigit a Stephano, ut suis literis Marcianum damnet, atque „ adeo alium substituendum decernat. Quare nihil hoc testimonio luculentius ad probandum Romani Pontificis primatum, & in ceteros Episcopos potestatem, jurisdictionem, auctoritatem. Porro sub Epistolae finem adhuc disertius exponit, quare vellet tam severa & gravi censura in Marcianum animadverti; quod nimirum vindicandus esset Romanorum Pontificum honor, a quorum ille de recipiendis Lapsis decretis pertinaciter dissentiebat: *Servandus est enim Antecessorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor gloriosus; quorum memoriam quum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare & servare gravitate & auctoritate tua debes, qui Vicarius & Successor eorum factus es. Illi enim pleni spiritu Dei, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse Lapsis pacem censuerunt, & poeniten-*

tia

(a) De Concord. Sac. & Imp. cap. X. §. VIII.

tia acta, fructum communicationis & pacis negandum non esse, literis suis signaverunt. Quam rem omnes omnino ubique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diversus, in quibus unus est spiritus.

Haec S. Cyprianus in illa ad Stephanum Epistola: at in allocutione ad Synodum Carthaginensem quaedam illi exciderunt, quibus oblique Stephanum vellicat, eique, si verba ipsa spectentur & crude ac simpliciter accipiantur, primatum jurisdictionis & potestatis abrogare videtur: *Neque enim*, inquit, *quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare. Sed exspectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione, & de actu nostro judicandi*. His verbis oblique Stephanum vellicari, qui loci sedisque suae auctoritate & potestate fretus Africanos Episcopos ad avitam & Apostolicam consuetudinem minacibus litteris revocabat, jam dudum Viris eruditis observatum est. Quid ergo? An nullus est in Ecclesia Episcopus Episcoporum, & Pater Patrum, & Pastorum supremus Pastor? Nullus, qui alios Episcopos si ab Apostolica traditione exorbitent, corrigere, & judicare de illis valeat, eosque ad obsequendi necessitatem adigere? Nullus ne, qui beatorum Martyrum Cornelii & Lucii, totque aliorum Pontificum Martyrio pariter & gloria confessionis insignium honorem gravitate & auctoritate sua vindicaret? In eos enim recidebant probra & contumeliae, quas in Stephanum Cyprianus & Firmilianus jactabant. Haud me latet, non deesse rationes, quibus haec S. Martyris verba cum Catholico dogmate concilientur. Suas proferunt Adversarii: sinant ergo, ut & nos nostras proferamus; neque iis, quae certe ad Catholicam normam exacta non sunt, tamquam decretoriis utantur.

Utcunque sit, inquis, haec nunquam S. Cypriano excidissent, nec adeo abrupte fuisset unquam Stephano refragatus, si Romanos Pontifices ab errandi periculo immunes judicasset. Sed vide, ne pari jure Protestantes jactitent, quod haec nunquam Cypriano excidissent &c. Si quem Romano Pontifici vindicamus jurisdictionis & auctoritatis primatum in Stephano coluisset. Quare, si verum amamus, dicamus potius, quod haec nunquam Cypriano excidissent, si ἀκολύθως & consequenter egisset. At quam Stephano perperam exprobrabat & in se non agnoscebat, dura obstinatio ipsum in transversum egerat, nec sinebat attendere, quid ex iis consequens esset, quae alibi ipse posuerat, quum Ecclesiam Romanam matricem & radicem appellabat & Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, AD QUAM PERFIDIA ACCESSUM HABERE NON POSSIT, quae fidem integram servet Apostoli ore laudatam, quae suorum Pontificum honorem ab aliis Episcopis laesum sua debeat gravitate

tate & auctoritate vindicare.

Ut id minus de Cypriano miremur, facit, ut jam superius indicavimus, exemplum Tertulliani, qui ubi se se ad Montanistas contulit, perditaeque sectae defensione implicuit misereque constrinxit; Montani, & paucorum Pseudoprophetarum, insanarumque mulierum communioni, Apostolicarum Ecclesiarum ac totius Ecclesiae Catholicae communionem auctoritatemque posthabuit. Quid ergo? an inde consequens erit, non agnovisse Tertullianum, summam esse & ineluctabilem Ecclesiarum Apostolicarum ac totius Ecclesiae Catholicae auctoritatem? Sed quum ipse ceteris sectis hinc de mendacio praejudicet, quod ab Ecclesiarum Apostolicarum communione exciderant; dicamus potius eum non sibi constare, quum Montanistas defendit; quibus utique sciebat, non esse cum Ecclesiis Apostolicis communicationem pacis & appellationem fraternitatis. Quum in quoscumque alios haereticos impetum faciebat, Ecclesiarum Apostolicarum communionem & consensionem velut invictum argumentum intorquebat: *Constat*, inquit [a], *omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam ..... Omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum .... communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis*. Quo profecto argumento nullum praeclarius ac luculentius, non modo adversus Valentinianos, & Marcionitas, verum & adversus Montanistas: ad quos tamen Tertullianus veluti quadam tempestate delatus, ad eorumque segregem sectam velut ad saxum adhaerens, quid ex iis principiis sponte flueret, videre non potuit; quamquam nihil intellectu facilius, & Montanisticam sectam fuisse de mendacio praejudicandam, quod ab Apostolicarum Ecclesiarum communione excidisset. Quod ergo Tertulliano, hoc & Cypriano accidit, ut a se ipse descisceret, ubi a veritatis orbita declinavit: adeoque de veteris Ecclesiae, imo & de ipsorum sensibus haud ex iis judicium ferendum, quae illis erroris defensione implicitis improvide & minus caute exciderunt. Quamquam hic longe dispar meliorque sit Cypriani, quam Tertulliani caussa, quod ille in Ecclesiae communione permansit, & pulverem seu maculam, quae illi ex hoc certamine adhaeserat, Martyrii gloria purgavit, ac pio cruore detersit.

Quod autem ad S. Augustinum & ad ea pertinet, quae Sanctus Doctor de hac S. Cypriani controversia & cum Stephano concertatione conscripsit; dicimus spectandum esse imprimis S. Doctoris scopum, qui in eo aperte versabatur, ut Cypriani auctoritatem Donatistis eriperet, ostenderetque, quam illi perperam nefario schismati pravisque suis opinationibus S. Martyris nomen & exemplum obtenderent. Quod ut adsequeretur; & Donatistarum caussam teterrimam, & Cypriani, quam potuit

(a) Lib. de Praescript. cap. XXI.

tuit optimam facere debuit; ac proinde & Concilii generalis, cui Donatistae refragabantur auctoritatem, & quaestionis, ad aevum Cypriani relatae, obscuritatem amplificare. His enim tribus S. Augustinus Donatistarum deteriorem Cypriani caussa faciebat. 1. Quod eorum aevo quaestio de Baptismo jam esset eliquata, quae dum viveret Cyprianus, magnis erat altercationum nebulis involuta. 2. Quod Cypriani aetate nondum fuerat haec quaestio plenariae Synodi auctoritate finita. 3. Quod S. Cyprianus in communione permansit cum iis, qui Haereticorum baptismum ratum habebant; a quibus tamen sacrilego schismate se se Donatistae disjunxerant. Quamquam autem in elevando & extenuando S. Martyris errore laudandum sit S. Augustini propositum; ei tamen ad hoc intento aliqua exciderunt, quae si ad extremum urgeantur, non modo quae nos adversus Parisienses Theologos propugnamus, verum & quae omnes Theologi adversus Protestantes & Novatores tuentur Catholica dogmata labefactare posse videntur. Quare ex illis seorsim spectatis elicienda non est veteris Ecclesiae, imo nec ipsiusmet Augustini vera & genuina sententia.

Primum ergo inde parat Augustinus S. Martyri defensionem, quod ea quaestio nondum fuisset illius aevo diligenter pertractata, & nondum sublatae difficultates, ac solutae rationes, quibus veluti nebulis involvebatur; sed nulla reddita ratione Catholicum dogma sola consuetudine nitebatur: (a) *Quia tunc non exstiterant, nisi qui ei consuetudinem opponerent; defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent, quibus talis anima moveretur: noluit Vir gravissimus rationes suas, etsi non veras, (quod eum latebat,) sed tamen non victas, veraci quidem, sed tamen nondum assertae consuetudini cedere*. Hanc tamen consuetudinem eodem loco fuisse fatetur etiam aetate Cypriani consuetudinem orbis terrarum, (b) *quam ex Apostolica traditione venientem* ante Agrippinum universa tenebat Ecclesia: (c) *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & haec sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem*. An ergo ob quaslibet rationes, quibus aliquis moveatur, licebit veterem, & Apostolicam, & orbis terrarum, & Ecclesiae Catholicae consuetudinem deserere, & immutare? An non ejusmodi consuetudini ex Apostolica traditione venienti etiam nulla reddita ratione cedendum est? Id sane alibi docet disertis verbis Sanctus ipse Augustinus, nimirum lib. VI. cont. Julian. cap. V. ubi ait, quod etsi nulla ratione probetur, firmiter tamen credendum est, erui parvulos per baptismum e potestate tenebrarum, quoniam id suadeat in exorcizandis & exsufflandis parvulis Ecclesiae consuetudo: *Sed etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est quod antiquitus veraci fide Catholica praedicatur & creditur per*

(a) Lib. II. de Baptism. cap. VIII.
(b) Ibid. cap. VII. (c) Ibid. cap. IX.

Ecclesiam totam; *quae filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & a principe mortis erueret*. Eccur ergo, etsi nulla ratione indagaretur, nullo sermone explicaretur; non esset tamen firmiter retinendum, quod antiquitus per totam credebatur & praedicabatur Ecclesiam; quae ab haereticis baptizatos non sola manuum impositione recepisset, si non in eis verum Christi Sacramentum & characterem agnovisset? Et sane si rationum obtentu licitum esset aliquando veteres convellere Ecclesiae Catholicae consuetudines, jam nihil ab audacia Novatorum tutum in Ecclesia esset. Nunquam enim temerariis hominibus rationes deerunt, quibus freti Ecclesiae ritus ac traditiones velut inanes futilesque, & ratione vacuas traducant.

Alteram, ut jam diximus, defendendi sive excusandi S. Martyris rationem inde S. Augustinus quam saepissime repetit, quod ejus aevo nondum ea de Haereticorum baptismate controversia fuerat plenarii Concilii auctoritate sancita. Ita enim, ut alia innumera loca praeteream, lib. II. de Baptismo cap. IV. *Satis*, inquit, *ostendit* (Sanctus Cyprianus) *facillime se correcturum fuisse sententiam suam ..... si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat & praedicat ab uno posteriore collega patienter concorditerque correctum; quanto citius ipse cum Concilio provinciae suae universi orbis auctoritati, patefacta veritate, cessisset?* Quibus addendum & quod habet lib. III. cap. IV. *profecto issem in eamdem* (Cypriani) *sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinae, vel etiam fortasse doctiores per tot gentes, Latinas, Graecas, Barbaras, & ipsam Hebraeam, Ecclesia tota orbe diffusa parere potuit, quae ipsum quoque pepererat; qui mihi nullo modo videri potuerunt, frustra noluisse istam tenere sententiam: non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus paucive sentirent; sed quia non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi doctrina praeditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sententia est.* Qui haec & alia ejusmodi loca nobis objiciunt, non utique perpendunt, ut eis quoque exponenda sunt, & aliquo temperamento lenienda, nisi Ecclesiae caussam prodere velint, & Augustinum facere illius auctorem sententiae, quam hodie Novatores tanto studio propugnant; nimirum fieri posse aliquando, ut pauci vel unus adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, qui Romanum Pontificem ducem auctoremque sequantur, Catholicam veritatem propugnet: a qua certe absurdissima opinione longe aberat Sanctus Doctor, qui lib. II. de Doctrina Christiana cap. VIII. in discernendis libris Canonicis hanc nos regulam sequi jubet, ut quos omnes, & imprimis Apostolicae Ecclesiae recipiunt; imo quos plures graviores que amplectuntur, pro Canonicis absque ulla haesitatione habeamus, etsi a quibusdam,

sed

ſed numero & auctoritate minus praeſtantibus, rejiciantur: *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur; inter quas ſane illae ſunt, quae Apoſtolicas Sedes habere & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quae ab omnibus accipiantur Eccleſiis Catholicis, praeponat eis, quas quaedam non accipiunt: in eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioreſque accipiunt, eis, quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiae tenent.*

Denique, inde probat S. Auguſtinus, Cypriani exemplo non juvari cauſſam Donatiſtarum, quod quamquam Stephano & Epiſcoporum per orbem multitudini de haereticorum Baptiſmo refragabatur; tamen in unitate permanſit, nec ſe ab eorum ſocietate & communione ſubtraxit. Quod eo trahunt Novatores, ut quis inter Eccleſiae membra cenſeri debeat, quamquam a Romano Pontifice, conſentiente multitudine Epiſcoporum, anathemate percellatur, dum ſententiam excommunicationis aequo animo ferat; dum ipſe tamen Catholicam diligat & teneat unitatem. A qua tamen mente quam longiſſime abfuiſſe Sanctum Doctorem inde perſpicue colligitur, quod Pelagianos tamdiu (*a*) ad Eccleſiam quoddammodo pertinere credidit, quamdiu illos Sedes Apoſtolica in ipſius Eccleſiae communione ſuſtinuit. At poſt factum de illis (*b*) *apud Sedem Apoſtolicam* (*c*) *ſufficiens competenſque judicium*, eos tamquam lupos ubique vitandos conterendoſque traduxit.

Ex quibus omnibus conſtare arbitror, de veteris Eccleſiae, imo & de ipſorum Cypriani & Auguſtini ſenſibus circa Pontificis auctoritatem, judicandum non eſſe ex iis, quae vel S. Cyprianus in Stphanum irritatus effudit; vel S. Auguſtinus, ut S. Martyris erratum, quoad potuit, elevaret, de eadem controverſia conſcripſit. Quum ejumodi ſint, ut ſi crude ac ſimpliciter accipiantur, Haereticis potius ac Novatoribus, quam Gallicanis Patribus ac Theologis faveant. Si autem aliquo temperamento mollienda ſunt; quemadmodum Adverſarii ſuas interpetationes, ita nos & noſtras adferemus. Interim vero haud parum profecimus demonſtrando, quod ea, quae nobis objiciunt, tamquam Catholicorum dogmatum regulae ſpectari non debent, ſed tamquam difficultates, quae adverſus commune & Catholicum dogma ab haereticis & Novatoribus producuntur.

D 2 AR-

(*a*) Vid. Epiſtolas Conciliorum Afric. ad Innocent. inter Auguſtin. & ſeqq. num. CXXXV.

(*b*) Lib. II. Oper. Imperf. cont. Julian. num. CIII.

(*c*) Lib. IV. cont. duas Epiſt. Pelagianor. cap. ult.

ARTICULUS II.

S. Augustinus in sua cum Donatistis de Haereticorum Baptismate controversia expendere noluit, nec debuit, quantum olim Catholicorum sententia ex Stephani decreto obtinuisset auctoritatis.

HAnc viam conciliandi S. Augustinum cum nostro, imo & cum communi & Catholico dogmate, ipse nobis aperit Illustrissimus Bossuetius superioris Libri Capite XVIII. ubi quemdam Sancti Doctoris locum versat, qui Conciliorum generalium, etiam in caussis fidei, indeclinabili auctoritati prima fronte refragari videtur. Extat is locus lib. II. de Bapt. cap. III. ubi S. Augustinus tamquam rem notissimam jactat, priora Concilia, etiam quae ex universo orbe congregantur, posterioribus emendari; quod quum dicat occasione fidei ab haereticis laesae; inde palam sequi videtur, quod etiam in caussis fidei Conciliorum generalium decreta retractationi & emendationi obnoxia sint: *Quis nesciat*, inquit Sanctus Doctor, *& ipsa Concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, quum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, vel cognoscitur quod latebat.* Haec S. Augustini verba Auctor Anonymus Tractatus de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae (*Antonius Charlas*) lib. X. cap. IX. quum objecisset, hanc illi Gallicanae Declarationis Illustrissimus Defensor obduxit Capite mox citato responsionem: „ Verba quidem Augustini, quae Anonymus „ urget, occasione fidei esse prolata: Nihil tamen prohibere, quominus occasione capta, de Conciliorum decretis universim tractet, „ atque ab uno casu transeat ad alios, „ quibus priora Concilia, etiam plenaria, a posterioribus emendari „ possint. Agebat enim adversus Donatistas universalis Ecclesiae contemtores, qui proinde Conciliorum autoritatem, non ex illa „ Christo Ecclesiae universali facta „ promissione, sed humano more „ aestimabant: qua quidem intentione, sufficit, ut probet Donatistis, anterius habitum Cypriani „ Concilium objicientibus, posteriora Concilia anterioribus merito anteponi, iis certe casibus, in quibus esse possit emendationi locus. „ Ceterum cum eos casus ad rerum „ experimenta restringit, id diligentissime cavet, ne ad ipsam „ fidem invariabilem protendantur.

Eamdem responsionem obducere oportet & alteri loco, quem superiori Articulo descripsi, ubi Sanctus Doctor disertis conceptisque verbis testatur, quod & ipse in eamdem isset cum Cypriano sententiam, nisi tanta eum Ecclesiae fere universae revocasset auctoritas; *non quia*, inquit, *fieri non potuit, ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus paucive sentirent; sed quia non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi doctrina praeditos, nisi pertractatis*

pro

pro viribus atque perspectis rebus, *ferenda sententia est*. Quibus verbis palam docere videtur fieri aliquando & evenire posse, ut in rebus ad religionem pertinentibus, ut in illa de haereticorum baptismate controversia, veritatem pauci potius aut etiam unus, quam innumerabiles, Capiti Ecclesiae adhaerentes, adsequantur ac teneant. Quod certe Christi promissionibus, qui Ecclesiae Catholicae sive in Synodis Oecumenicis repraesentatae, sive per orbem dispersae se se adfuturum promisit, & Spiritum veritatis missurum, qui eam ab errandi periculo tutam praestaret, apertissime refragatur. Verum quum ejusmodi ex Christi promissionibus in Ecclesia Catholica auctoritatem non agnoscerent Donatistae; S. Augustinus cum eis, vel eis se se adtemperans, ac morem gerens, & humano more rem aestimans, ait, non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles, per tot Gentes, Latinam, Graecam, Barbaram, & ipsam Hebraeam, & magno ingenio praeditos, & uberi doctrina celebres, ferendam esse sententiam.

Pariter humano more S. Augustinus rem aestimare censendus est, quum in eodem lib. cap. IV. profert verba, quae Bossuetius in praesenti Capite objicit: *Neque nos tale aliquid auderemus asserere* (quale Stephanus jussit) *nisi Ecclesiae Catholicae concordissima auctoritate firmati*; *cui & ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet*, *si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur*. Verba illa, quae parenthesi inclusimus; *quale Stephanus jussit*; eodem ac Augustiniana cursivo, ut vocant, charactere apud Bossuetium errore, ut puto, Typographi impressa sunt. Nam S. Augustinus Stephani hoc loco non meminit, ut neque meminit, ubicumque huic sententiae aliae similes & adfines occurrunt. Ubi etiam notandum est, quod in his aliisque similibus locis, debitum parendi Ecclesiae universalis auctoritati non ex eo repetit, quod Ecclesia propter Christi promissiones, & inhabitantem in ea Spiritum veritatis, absolute errare non possit: sed quoniam *moraliter*, ut ajunt, & humano more rem aestimando, fieri non potest, ut erret, quum post diuturnas per varias regiones Episcoporum & Synodorum de aliquo argumento conflictationes veritas eliquata, & ad Concilium generale perducta, summa omnium Episcoporum & unanimi consensione firmatur. Idque sibi vult Sanctus Doctor, quum paullo inferius eodem loco subjungit: *Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* Sensus est, quod in ejusmodi quaestionibus, quae salva pace in Ecclesia disceptari sinuntur, nunquam in unam eamdemque sententiam omnes tamdem Episcopi conspirarent, nisi post diuturnas disceptationes & collationes, illos in unum eumdemque sensum veritas eliquata compelleret. Itaque S. Augustinus in hoc aliisque similibus locis, quae tanto stre-

strepitu & contentione a Refractariis objiciuntur, Conciliorum generalium auctoritatem non adscribit praesentiae & inspirationi Spiritus Sancti, qua multitudo & corpus Episcoporum sub uno Capite regitur & gubernatur; sed manifestationi veritatis; quae, humano more rem aestimando (*a*), *post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta* nunquam fuisset; nisi (*b*) *remotis dubitationibus*, & ambagibus (*c*) *eliquatissima perspectione* discussis, (*d*) *ad verum liquidum* perventum aliquando fuisset, & nisi (*e*) *unum aliquid eliquatum sincerumque* omnibus *placuisset*. Quum igitur dupliciter spectari & aestimari possit Conciliorum auctoritas, nimirum vel humano more, vel divinis regulis, & ex illa a Christo Ecclesiae universali facta promissione, S. Augustinus in suis adversus Donatistas libris, ubi de haereticorum baptismate differit, Conciliorum generalium auctoritatem ut plurimum priori modo spectavit, quoniam Donatistae Ecclesiae universalis contemtores etsi divinam in Synodis generalibus auctoritatem agnoscere recusabant; eam tamen adimere non poterant, quae iisdem Synodis humanis saltem rationibus vindicatur.

Non modo adversus Donatistas, verum etiam adversus Manichaeos eadem methodo usum esse S. Augustinum, sequentibus verbis egregie docet Eminentissimus Cardinalis Perronius (*f*): „ S. Augustin employe „ l'argument de l'Eglise autrement „ contre les Manichéens, & il s'en „ sert autrement pour luy. Contre „ les Manichéens il ne le met en „ oeuvre que comme un argument „ probable, ny plus ny moins que „ celuy du consentement de l'Eco„ le pour verifier les livres de Pla„ ton ou d'Aristote; d'autant que „ les Manichéens ne reconnoissent pas „ la société Catolique pour vraye „ Eglise, & pour une compagnie „ perpetuellement & infailliblement „ assistée de l'esprit de Dieu, là „ ou pour son particulier il le prend „ pour un moyen, non seulement „ conjectural, mais necessaire & pro„ pre à faire une Foy non seulement „ humaine, mais divine, d'autant „ qu'il reconnoissoit & reveroit l' „ Eglise en cette qualité; quand il „ parloit de soy, il disoit, je ne „ croiray point à l'Evangile si l' „ autorité de l'Eglise ny m'emou„ voit: quand il parloit à Eux, il „ disoit, de quel livre tiendrat' on „ l'auteur pour certain, si l'on dou„ te que les lettres que l'Eglise „ tiens des Apostres soient d'eux? „ qui est comme s'il eust distribué „ son discours ainsi, a moy qui tiens „ la société Catholique composée du „ consentement de tous les peuples „ pour estre l'Eglise de Dieu, la „ colomne de verité, ce m'est un „ argument institué de Dieu, une „ autorité surnaturelle, un moyen „ de foy divine; a vous qui ne la „ tenez pas en cette qualité, pre„ nez la pour un moyen de foy hu„ mai-

(*a*) Lib. II. de Bapt. cap. VII.
(*b*) Ibid. lib. I. cap. VII.
(*c*) Lib. III. cap. III.
(*d*) Lib. II. cap. IV.
(*e*) Lib. I. cap. XVIII.
(*f*) Perroniana, verbo *Eglise*.

„ maine, pour un argument probable, pour une autorité profane & feculiere; l' un me rend coupable d' infidelité, si je n'y adjoute foy, que l' autre vous rende pour le moins couplabes d' opiniastreté. Quae omnia nemo non videt a Manichaeis ad Donatistas, solis mutatis nominibus, facile posse transferri.

Porro ob eamdem rationem multo magis S. Doctor abstinere debuit ab adducenda in medium Romani Pontificis auctoritate, quae unice ex divinis promissionibus pendet, neque ut illa generalium Conciliorum humanis etiam momentis ac rationibus aestimari potest. Quinimo si res ad humanae prudentiae regulas exigitur, plane absurdum videtur, ut unus certusque aliquis homo ab errandi periculo immunis tutusque omnino habeatur. Non ergo debuit S. Augustinus in hac de haereticorum baptismo adversus Donatistas disputatione, ut Conciliorum generalium, ita Stephani auctoritatem urgere: nam rem humano more aestimando, ut absurdum est totius orbis Episcoporum, post diutinas de aliquo argumento conflictationes in unam eamdemque sententiam in plenaria Synodo conspirantium multitudini refragari: ita rationi consonum non esse videtur, ut unius hominis auctoritati & judicio, in re multis adhuc altercationum nebulis involuta, universus orbis cedere debeat.

Deinde e re S. Augustini & Catholicorum erat, Cypriani erratum in illa de Baptismo disputatione, quoad fieri poterat, elevare & extenuare, non autem amplificare & exaggerare. Nam quo levius S. Cyprianus erraverat, & quo plures rationes ad ejus reatum extenuandum adferebantur, eo minus ejus auctoritate & exemplo Donatistarum caussa juvari poterat: eaque tanto magis inde firmari videbatur, quanto legitimae auctoritatis contemtus utrimque similior fuisse demonstrabatur. Non ergo debuit S. Augustinus Stephani in hoc negotio auctoritatem obtrudere, eamque suis momentis expendere: nam illam Donatistae cum generatim contemnebant, tum ad illam in hac quaestione repudiandam, suo illis exemplo Cyprianus praeivisse videbatur. Igitur humano more de hac tota controversia disputans, nusquam Romani Pontificis, nusquam Sedis Apostolicae, nusquam Ecclesiae Romanae auctoritatem Donatistis opposuit; etsi in re obscura maximi saltem instar praejudicii haberi debuisset, nec potuisset sine peccato a Cypriano cum suis Afris, & a Firmiliano aliisque Orientalibus tanta contentione & obstinatione repelli. Stephanum ergo & Cyprianum repraesentat Augustinus veluti *duos eminentissimarum Ecclesiarum, Romanae scilicet & Carthaginensis Episcopos* (a); sed quis eorum auctoritate praestaret, minime exponit. Subjungit, multos sensisse cum Stephano, quosdam cum Cypriano; sed quantum valeat multitudinis Episcoporum capiti adhaerentium auctoritas, non expendit. Ait alio in loco (b), Cypriano *Stephanum praecepisse*, ne Haereti-

(a) Lib. de unic. Baptism. cont. Pet. cap. XIV.
(b) Lib. V. de Bapt. cap. XXIII.

reticorum baptismus veluti profanus & irritus haberetur; sed neque Stephanum arguit velut auctoritatis suae limites praetergressum, neque Cyprianum ab inobedientiae crimine absolvit. Ait praeterea (a), Stephanum *etiam abstinendos putasse, qui de suscipiendis haereticis priscam consuetudinem convellere niterentur*. Et laudat quidem, ac plurimum celebrat Cyprianum, quod non sese ab Ecclesiae communione nefario schismate separaverit: laudat etiam Stephanum, quod mitiora consilia sequutus sit; nullibi tamen vel levissime indicat, quod tamquam potestate abusus errantes Afros & Orientales, suaeque voluntati repugnantes, gravissimae poenae minis intentis, ad obsequium flectere voluisset. Denique S. Doctor apertissime profitetur (b), se nolle ea retractare, quae Stephanum inter & Cyprianum peracta sunt. Quare ipsius menti palam adversatur, quod Adversarii contendunt, eum judicem esse debere contentionis, quae inter illos exarsit, ex eoque petendum, num Stephanus suae limites potestatis excesserit, quum gravissimis poenis intentatis Cyprianum ad avitam & Apostolicam traditionem revocare voluit; & num Cyprianus Stephano parere debuerit jubenti, ut consuetudinem revocaret, quae ante Agrippinum etiam in Africa obtinuerat.

CAPUT V.

„ Sancti Stephani Papae contra rebaptizationem decretum tota Sedis Apostolicae autoritate factum; & tamen Concilii generalis sententiam merito exspectatam. S. Augustini loci.

ARTICULUS UNICUS.

Nullo certe aut probabili argumento demonstratur, Stephani decretum de Haereticorum Baptismo fuisse dogmaticam, Sedis Apostolicae definitionem. Imo graves conjecturae non desunt, quibus contraria sententia solide stabiliatur.

Dogmaticam Sedis Apostolicae aut Romani Pontificis definitionem, illam in praesentia esse dicimus, cui qui pertinaciter refragaretur, haereticus, juxta nostram opinionem, censeri & judicari deberet. Porro Theologi communiter varias conditiones requirunt, ut Romani Pontificis, imo & Conciliorum generalium definitiones hunc gradum summae auctoritatis obtineant, cui absque nota & infamia haereticae pravitatis obsisti & contradici non possit. Has conditiones nisi exponamus, quaestio quam versamus, clare ac dilucide definiri non poterit. Eas ex Cellotio & Bannesio Turnelius refert (c); ad easque libet expendere Stephani decretum. Sic enim constabit, num tale fuerit, ut ei repugnare & obniti, haereticum faceret;

ret;

(a) Ibid. cap. XXV. (b) Ibidem.
(c) De Eccl. quaest. V. ar. III.

ret; adeoque num inter eas Sedis Apostolicae definitiones habendum sit, quas in praesentia spectamus.

Primum signum, quo discernere possumus, an aliquod decretum Pontifici tamquam privato Doctori, vel tamquam Pontifici sollenniter quidquam & ex Cathedra pronuncianti tribuendum sit, hoc ex Bannesio refert Turnelius, si a Pontifice in suo decreto aut constitutione dicatur (*a*): *Qui oppositum senserit aut dixerit, anathema sit*. Hanc eamdem notam discernendis Conciliorum de fide judicis proponit etiam latiusque exponit eruditissimus Canus: „ Altera, *iniquit* (*b*), nota est, cum in hanc „ formam Synodus decreta praescribit: si quis hoc aut illud senserit, „ anathema sit.... *aut*, si in eos, „ qui contradixerint, excommunica„ tionis sententia ipso jure feratur. Observat tamen in Concilio Tridentino sessione habita XI. Octobris an. 1551. definitum esse, Confessionem Sacramentalem Eucharistiae praemittendam esse, si conscientia peccati mortalis gravat: & protinus addi: *Si quis contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumserit, eo ipso excommunicatus exsistat.* „ Sed hoc, subjungit Canus, pro„ pter periculum cautum est; erat „ enim opinio contraria perniciosa: „ ideoque excommunicatio illa ad „ publicam doctrinam vel maxime „ refertur. Nam quod sententia Ca„ jetani non fuerit pro haeretica con„ demnata, & nos testes sumus, „ qui Concilio interfuimus, & con„ textus ipse demonstrat &c.

Jam vero Stephani decretum ad hanc regulam exigamus. Et primo ex Adversariis petimus, ut locum proferant quo Stephanus sollenniter pronunciaverit: si quis senserit, aut dixerit, collatum ab haereticis baptismum validum ratumque non esse; anathema sit. Quod si ejusmodi locum proferre non possunt; probent saltem, in Cyprianum & Firmilianum, aliosque Afros & Orientales Episcopos latam reapse fuisse a Stephano excommunicationis sententiam. Probent, inquam, non ex abrupto quodam Firmiliani loco, sed iis testimoniis, quae S. Augustini verbis, ex quibus altera opinio manifeste colligitur, praeferri debeant. Nam ait quidem S. Doctor (*c*) quod Stephanus *putaverat abstinendos, qui de suscipiendis haereticis priscam consuetudinem convellere conarentur*: at reapse eos abstinuisse, non dicit. Sed, quid, inquam, non dicit? imo vero eodem loco diserte testatur, quod *vicit pax Christi in cordibus eorum*. Et alibi (*d*): *Quum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret haereticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani literae ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit*. Itaque ex ipsius Cypriani & aliorum Episcoporum, hoc est, Firmiliani litteris haud aliud colligit Augustinus, quam quod eos Stephanus excommunicandos

(*a*) 2. 2. Quaest. I. ar. X.
(*b*) Lib. V. de Locis cap. V.
(*c*) Lib. V. de Bapt. cap. XXV.
(*d*) Lib. de unico Bapt. cap. XIV.

dos esse censebat; reapse excommunicasse, non colligit; imo expresse docet, quod Cyprianus cum Stephano in unitate permansit. Et infra: *Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti: quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem .... baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Multi cum illo, multi cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes*. Quibus nihil disertius desiderari potest: hoc enim loci Donatistas arguit, qui se se ab unitate Catholica separaverant: objicit autem illis non modo, ut solet, S. Cypriani, verum & Stephani exemplum, quem *Episcopatum illibatum gessisse*, Petilianus fatebatur; qui tamen cum Cypriano, & aliis quibusdam sibi repugnantibus in pace & unitate permansit. Deest itaque prima conditio, quam Theologi requirunt, ut Pontifex loqui ex Cathedra censeatur.

Demus tamen, veram esse quorumdam opinionem, quod Stephanus intra minas non haeserit, sed reapse fulmen intorserit; non inde tamen statim & incunctanter sequitur, quod Cypriani sententiam haereticam ex cathedra pronunciaverit. Sic Tridentina Synodus Sessione citata cap. VII. recte monet, quod homini *communicare volenti revocandum est in memoriam* illud Apostoli praeceptum: „ Probet autem se ipsum homo; ac subjungit: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*. Postea vero Canone XI. statuit, quod *si quis contrarium docere &c. praesumserit, eo ipso excommunicatus existat*. Vult ergo, Ecclesiasticam & saluberrimam consuetudinem retineri, & in alterius opinionis adsertores excommunicationis fulmen intendit; nec tamen illa sententia, Cano teste, qui Synodo interfuit, fuit pro haeretica condemnata. Itaque etsi eadem poena proposita Stephanus praecepisset, veterem & saluberrimam consuetudinem de non rebaptizandis haereticis retineri, & nihil innovari praeter id, quod traditum est; non inde tamen statim colligi deberet, fuisse Cypriani sententiam haereseos infamia notatam.

Quare addenda est altera nota vel regula, quam ex Cellotio & Bannesio Turnelius adfert, ut nimirum a Pontifice dicatur: *Qui contrarium senserit, tamquam haereticus habeatur*; eamque etiam loco citato laudatus Canus praescribit. Quamquam autem Firmilianus scribat, a Stephano vocatum fuisse Cyprianum *Pseudochristum, & Pseudoapostolum, & dolosum operarium*; (quod tamen an reipsa Stephanus dixerit, & quo sensu dixerit, merito dubitatur; quum nullum hujusce rei vestigium in Cypriani litteris extet; & probabile sit id etiam, ut alia plura, fuisse a Firmiliano praeter modum exaggeratum;) attamen haereticum appellatum fuisse, Firmilianus non scribit, id profecto minime omissurus, si hoc quoque elogio Cyprianum Stephanus dehonestasset. Queritur in sua ad Pompejum Epistola ipse Cypria-

prianus, quod *Sacerdotes Dei, veritatem Christi & Ecclesiae unitatem tuentes*, Stephanus *abstinendos putaret*: eos autem velut haereticos abstinuisse non queritur. Quod, ut vidimus, S. Augustinus etiam ex aliorum Episcoporum litteris colligit.

Tertium sollennis & ex Cathedra pronunciatae definitionis ex Cellotio & Bannesio apud Turnelium indicium est, *si talis definitio tamquam ab omnibus Fidelibus acceptanda & credenda sicut dogma fidei expresse proponatur*; eamdemque notam etiam in Conciliorum generalium definitionibus Canus locum habere decernit. Deest autem Stephani decreto ejusmodi Apostolicae definitionis indicium sive nota. Non enim in eo proponitur *quidquam*, ut Cani verbis utar, *quod expresse & proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tamquam dogma fidei Catholicae accipiendum dicatur*: sed praecipitur, nihil innovari praeter id quod traditum est, & veterem consuetudinem retineri. Agnoscimus ergo in Stephani decreto auctoritatem Cathedrae praecipientis, non Cathedrae definientis. Idque probant Augustini verba, quibus Meldensis Episcopus probare contendit ,, Stephanum ,, non tantum suasisse, sed etiam pro ,, potestate egisse. Neque solum ,, Cypriano *ad ista non consensisse*, ,, *verum etiam contra scripsisse atque* ,, *praecepisse*: quae ait esse verba au- ,, toritatem Cathedrae demonstran- ,, tis. At verba illa Cathedram praecipientem demonstrant non definientem. Non enim ait S. Augustinus, contra Cyprianum Stephanum aliquid definivisse quod tamquam fidei Catholicae dogma ab omnibus esset credendum; sed *praecepisse* quod ab omnibus in recipiendis haereticis servari vellet. Itaque supra veterem consuetudinem Stephanus non addidit nisi praeceptum, ut quod antea sola consuetudine fere ubique obtinebat, etiam ex lege servaretur: quamquam & ipsa consuetudo seu *mos populi Dei vel instituta Majorum pro lege servanda sit*, quemadmodum idem S. Augustinus docet Epist. XXXVI. al. LXXXV. ad Casulanum. Quare ut Agrippinum Carthaginensem Episcopum, qui, ut est apud Vincentium Lirinensem [a], *primus omnium mortalium .... contra morem atque instituta Majorum rebaptizandum esse censebat*, nemo violatae Catholicae fidei ac velut haereticum damnat: ita Cyprianum aliosque Stephani praecepto minime obtemperantes, inobedientiae quidem arguere possumus, non tamen haereticos pronunciare.

Denique ad sollennem Sedis Apostolicae definitionem Theologi exigunt, ut praevio maturo examine veritas in quaestione posita per Pontificem definiatur. Non semel autem animadvertimus, priscis illis temporibus examen rerum a Pontifice ex cathedra definiendarum ut plurimum peractum esse in Synodis Episcoporum Italiae Romae coactis, quae S. Augustino aliisque Patribus Africanis *Transmarina Concilia* dicta sunt, ut pluribus probat Auctor *de la Dissertation Theologique sur la* cele-

(a) Common. I. cap. IX.

celebre dispute entre le Pape S. Estienne & S. Cyprien Eveque de Carthage I. Par. §. II. & seqq. Quem morem etiam Stephani & Cypriani aevo obtinuisse, constat ex Synodis in caussa Lapsorum, seu de recipiendis Lapsis, & adversus Novatianos, non modo Carthagine & alibi, verum & Romae per ea tempora celebratis. At nullam ejusmodi Synodum coactam Romae fuisse ad quaestionem de recipiendis haereticis seu de haereticorum baptismate examinandam, per quam probabile nobis videtur: quamquam enim Auctor libelli Synodici, & ex eo Baluzius in nova Conciliorum Collectione Romanam sub Stephano de hoc argumento Synodum in medium adferant; eis tamen praeponimus, ac praeponendum existimamus S. Augustini testimonium, qui nullam ejusmodi Synodum agnovisse videtur: ait enim, quod illius multo magis quam Conciliorum sub Agrippino in Africa celebratorum mentionem Cyprianus fecisset, si celebrata fuisset (*a*): *Satis ostendit* (Cyprianus) *multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re Transmarinum vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & haec sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.* Solius ergo consuetudinis, non autem universalis, vel Transmarinae Synodi auctoritas opponebatur iis, qui veterem traditionem convellere nitebantur; quibus propterea, ut eodem loco Sanctus ipse Doctor observat, opus Concilio fuit, ne temere avitum morem ac ritum abrogare velle viderentur: *Et eo ipso quod Concilium Agrippini* (Cyprianus) *commemorat, aperte indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiae. Neque enim opus erat, hoc Concilio velle statuere, si consuetudine tenebatur.* Et infra Capite XII. ex Conciliis sub S. Cypriano habitis colligit legem de baptizandis haereticis, quam in Africam Agrippinus invexerat, ad Cyprianum usque minime obtinuisse: Nam *si permanebat*, inquit, *ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab haereticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re concilia?* Ergo Stephano qui veterem & fere ubique obtinentem consuetudinem vindicabat, nullo fuit opus Concilio: quae tum solum necessaria videri possunt, quum quidquam definiendum est, quod potuerit ingruentium disputationum nebulis obscurari; secus autem quum id unum praecipitur, ut vetus & ubique obtinens, & in omnium oculos irruens Ecclesiae Catholicae consuetudo etiam indiscussa servetur. Nam quemadmodum idem S. Augustinus alibi observat (*b*): *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.* Et libro citato de Baptismo capite VIII. testatur, quod nisi Agrippinus ejusque Synodus veterem consuetudinem deserere tentavissent, *non auderet iste* (Cyprianus) *saltem ratiocina-*

(*a*) Lib. II. de Bapt. cap. IX.
(*b*) Epist. LIV. al. CXVIII. ad Januar. cap. V.

cinari adversus eam. Hujus autem Concilii auctoritate nequaquam Stephanus movebatur, ideoque veterem consuetudinem objicere satis habuit, indigne ferens, quod in eam quisquam ratiocinari auderet ac disputare contenderet. Non est ergo cur habitam hac de re a Sanctissimo Pontifice Synodum existimemus; ac proinde nullis indiciis & conjecturis probari potest, quod rem voluerit sollenniter definire & universae Ecclesiae proponere tamquam dogma firmiter ab omnibus & inconcussa fide tenendum, & cui nemo refragari auderet, qui nollet ab Ecclesia projici, & tamquam haereticus judicari. Unde etiam consequens est, quod quaecumque ex Cypriano & Firmiliano vel Augustino proferunt Adversarii, non ad eas pertinent Sedis Apostolicae vel Romanorum Pontificum definitiones, quas omnino irretractabiles & irreformabiles esse decernimus ac propugnamus: quae videlicet sollenniter & ex Cathedra prolatae sint, iisque notis & characteribus designentur, quos discernendis ejusmodi definitionibus ipsi Adversarii praescribunt.

CAPUT V.

„ Novissimi Autoris Anonymi effugia: non tantum pertinaces, „ sed Sancti post Papale decretum aliud quid desiderant.

CUjusmodi fuerit Papale illud decretum, cui S. Cyprianus cum pluribus Africanis Episcopis repugnavit, articulo superiori demonstravimus. Nempe decretum illud fuit Romani Pontificis quidquam fieri jubentis, non autem aliquid definientis, quod Catholica divinaque fide ab omnibus crederetur; ac proinde debebatur illi promtae voluntatis obedientia, sed non adhuc in obsequium fidei captivatae mentis adsensus; quique pertinaciter restiterunt, inobedientiae, non autem haereseos crimen admittere potuerunt. Porro quam gravem Cyprianus culpam admiserit, retractare nolim; est enim arduum opus & utrimque periculo objectum; hinc quidem, si culpam exaggeres, ne debita Sancto Martyri pietas violari videatur: illinc autem, ne culpam extenuando, temerariis hominibus occasio detur ad similia passim audendum, perinde ac nonnisi venialis culpa, sit Romano Pontifici quidquam Apostolica auctoritate jubenti etiam in re gravissima refragari. Satius ergo erit S. Augunum imitari, qui ut saepius animadvertimus, in id unum incubuit, ut Cypriani culpam cum illa Donatistarum collatam, quoad fieri poterat, elevaret. Quo pertinent S. Doctoris loca illa, quae Meldensis Episcopus adfert (a): *Res ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta est*: (b) *Potentior veritas de unitate veniens*: (c) Cypriani sententiam *Catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit*. Nempe in iis omnibus ac similibus locis S Augustinus cum Donatistis disserens, qui neque in Romano Pontifice, neque in Conciliis gene-

(a) Lib. II. de Bapt. cap. IX. (b) Ibid. lib. III. cap. II. (c) Ubi sup.

generalibus ullam auctoritatem agnoscebant, quae divinis ac certis Christi promissionibus niteretur, humano modo rem aestimat; ut ipse quoque alicubi Bossuetius fatetur; & pondus auctoritatis expendit, quod Catholica sententia Cypriani aevo, & quod per ea Donatistarum & ipsius Augustini tempora, ex vi solius consuetudinis obtinebat. Quis vero neget, longe majus esse robur consuetudinis, postquam discussis altercationum & speciosarum rationum nebulis, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perducta est; quam quum adhuc multis hinc atque hinc Episcoporum disputationibus & collationibus pertractatur, & propter inveniendi difficultatem in diversas sententias nobiles Ecclesiae scinduntur? Quum ergo, rem humanis rationibus aestimando, graviorem Donatistae quam Cyprianus auctoritatem contemnerent, longe gravior erat Donatistarum quam Cypriani culpa.

Hinc etiam facile intelligi potest, quo sensu idem S. Augustinus venialem alicubi dixerit eamdem S. Martyris culpam; nempe non absolute, & quo sensu leviora quaedam peccata venialia dicuntur, sed cum illa rursus Donatistarum collatam; quae cum gravissimo schismatis scelere conjuncta deleri neque per martyrium poterat; quemadmodum non uno in loco Sanctus ipse Cyprianus animadvertit [a]: *Nec si occisi pro Nomine foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiae pacem, quando nec spiritus nec Ecclesiae tenuerunt unitatem*. Et alibi (b): *Quale delictum est quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod martyrio non potest expiare?* At Sanctus Cyprianus quamquam de haereticorum Baptismo a Stephano aliisque per orbem Episcopis dissidebat, in eorum tamen ac totius Ecclesiae Catholicae communione permansit; quare quaecumque fuerit illius culpa, martyrio potuit expiari & baptismo sanguinis ablui, ut identidem S. Augustinus observat: qui etiam passim docet, obrutam fuisse ejusmodi maculam abundantia meritorum & lumine ardentissimae caritatis, quo Sancti Martyris anima coruscavit: *Cetera enim*, inquit (c), *multa & magna ejus merita, & animus praecipua caritate plenissimus, per quem cum Collegis diversa sentientibus pacatissimus mansit, & in unitate Ecclesiae passio gloriosa, satis ostenderunt, eum fuisse sarmentum in Christi radice fructuosum, quod Pater etiam ab ista repebensione purgaret, ut fructum posset adferre majorem*: quorum & similium verborum sensus est, plurima & maxima sanctissimi viri merita, quae illum usque ad martyrii coronam provexerunt, & flagrantissimam caritatem qua Ecclesiae pacem & unitatem dilexit, & ardorem quo schismaticos & haereticos insectatus est, in caussa esse, cur de illius culpa quam mitissime judicemus. Non ergo ex genere suo venialem esse levemque culpam existimavit Augustinus,

(a) Epist. LII. ad Antonian. (b) Lib. de Orat. Dominica.
(c) Lib. II. cont. Gaudent. cap. VIII.

stinus, Pontifici resistere praecipienti veterem & Apostolicam & ubique fere obtinentem consuetudinem retineri: alioquin non eam in Cypriano levem fuisse ex ingentibus ejus meritis arguisset: sed vel levem judicavit cum gravissimo schismatis scelere comparatam, vel ob aliquam ex iis rationibus, quae culpam ex genere suo mortalem, venialem aliquando faciunt; ac potissimum ob rectitudinem voluntatis; quia nimirum non quemadmodum Donatistae (a) *nimis amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad praecidendae communionis & condendi schismatis vel haeresis sacrilegium*, Sedi Apostolicae & Ecclesiae restitit; sed quia (b) *apud haereticos vel schismaticos datum Christi baptismum propterea nolebat agnoscere, quod eos nimium detestaretur, quos a Catholica unitate, quam nimium dilexit, separatos dolebat.*

Denique ex dictis etiam colligitur, quo sensu intelligendum sit quod ex eodem S. Augustino in hoc Capite Meldensis Episcopus objicit: (c) *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati; cui & ipse sine dubio cederet* (Cyprianus), *si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur*. Colligitur, inquam, ex dictis quomodo & haec S. Augustini verba intelligenda sint. Ut enim superius animadvertimus, in hoc adversus Donatistas Opere eam dumtaxat auctoritatem Sanctus Doctor urget, quam Catholica sententia ex humanis rationibus & vi consuetudinis obtinebat. Itaque resistere consuetudini, antequam veritas eliquata ad plenarii Concilii robur perduceretur, [d] humana tentatio fuit, [e] & humanae infirmitatis error, quem in Cypriano cooperuit unitas caritatis. Isset in eumdem errorem Augustinus (f), nisi eum ad diligentiorem considerationem tanta aliorum auctoritas revocasset, apud quos per universam Ecclesiam vetus consuetudo servabatur: quia non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sententia est: vis ergo consuetudinis, apud innumerabiles & fere ubique obtinentis, saltem deterrere debuit Cyprianum, quin eum errorem tanto studio & contentione defenderet. Praeterea vis eadem consuetudinis non modò S. Augustinum retinuit, ne praeceps iret in Cypriani sententiam, (g) verum etiam suggessit quid illi interim tenendum esset, donec rem totam attentius examinaret. Denique ad Catholicam veritatem tunc Sanctus Augustinus constantissime adhaesit, atque omnibus adhaerendum existimavit, quum eadem consuetudo, discussis altercationum nebulis, universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmata est. Quae omnia ex variis quae indicamus Sancti Doctoris locis habentur, in quibus vi sola consuetudinis nititur, & varios auctoritatis

(a) Lib. II. de Bapt. cap. V.
(b) Lib. de unic. Baptism. cont. Petil. cap. XII
(c) Lib. II. de Bapt. cap. IV.
(d) Ibid cap. V.
(e) Ibid. lib. I. cap. XVIII.
(f) Ibid. lib. III. cap. IV.
(g) Ibid. cap. V.

tatis gradus expendit, quos illa, rem humanis rationibus aestimando, meretur; nec eam unquam auctoritatem urget, quam ex divinis promissionibus Ecclesia consecuta est.

CAPUT VI.

„ Quaestionem rebaptizationis a Cypriano & Asseclis inter adiaphora non fuisse repositam.

CAPUT VII.

„ An Augustinus aliique Patres eam quaestionem pro adiaphora habuerint?

ARTICULUS PRIMUS.

Ex Adversarii in his duobus Capitibus disputatione aperte sequitur, Africanos Episcopos non modo Stephano, verum & universae Ecclesiae errorem exitialem & in scripturis damnatum tribuisse.

MEns Illustrissimi Adversarii in his duobus Capitibus est demonstrare, hinc Africanos Episcopos existimasse, consuetudinem de non iterando haereticorum baptismate errorem esse sacrarum litterarum testimonio damnatum, & qui non in re indifferenti & adiaphora versaretur, sed unde hominum salus aeterna penderet: illinc vero Augustinum alioique Patres judicasse, consuetudinem illam per totam Ecclesiam ab ipsa origine propagatam, saluberrimam esse & ad Apostolos referendam, proindeque nulla nova & contraria observatione mutandam. Hinc autem manifeste sequitur, consuetudinem, quam velut errorem exitialem & in scripturis damnatum Africani Episcopi proscindebant, fuisse Stephano [a] cum tot millibus Episcoporum, (b) quos per tot gentes, Latinas, Graecas, Barbaras, & ipsam Hebraeam, Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, proindeque & cum ipsa universa Ecclesia communem.

Ut autem luculentius appareat, quam turpis erroris maculam Episcoporum millibus & Ecclesiae toto orbe diffusae Carthaginensis Concilii Patres inusserunt, ipsa hic adtexam eorum judicia, quae Bossuetius in medium adfert. Episcopus quidam ordine tertius: *Qui haereticorum baptisma probant, nostrum evacuant*: Ecclesia ergo toto orbe diffusa, quae, ut S. Augustinus hunc Canonem expendens observat [c], non quidem haereticorum, sed datum ab haereticis baptismum Christi probabat, nostrum evacuabat!

Canon XVIII. *Secundo baptismate* (in Ecclesia dato scilicet) *qui non fuerit baptizatus, regno caelorum fiet alienus*. Ergo qui per tot gentes, Latinas, Graecas, Barbaras, & ipsam Hebraeam, ab Haereticorum castris ad Ecclesiam Catholicam convolabant, nec secundo baptismate tingebantur, a regno caelorum perinde erant alieni atque quum in Satanae lupanaribus versabantur, quamquam ea desererent, ut ad regnum caelorum in ipsius Ecclesiae sinu formarentur. Can.

(a) Lib III. cont. Crescon. cap. III. (b) Lib. III. de Bapt. cap. IV.
(c) Lib. VI. de Bapt. cap. XXVII.

Can. XX. *Qui haereticorum baptisma probat, quid aliud quam haereticis communicat?* „ Quid ergo [a], „ ante Agrippinum, a quo illa caepit quasi nova ratio adversus consuetudinem dimicans, numquid „ Ecclesia Catholica cum haereticis „ communicabat? Quid post Agrippinum, quando nisi ad pristinam „ consuetudinem reditum esset, alterum moliri Concilium non esset necesse Cypriano, numquid „ Ecclesia Catholica cum haereticis „ communicabat?

Can. XXI. *Quot sint baptismata, viderint aut praesumtores, aut fautores haereticorum &c.* ergo praesumtores erant, qui veterem & ex Apostolica traditione venientem, & universalem, & Sedis Apostolicae auctoritate roboratam consuetudinem sequebantur; & praesumtores non erant pauci illi, qui eamdem orbis terrarum consuetudinem tanta auctoritate munitam damnare audebant, & convellere nitebantur!

Can. XXIII. *Si error non obtemperat veritati, multo magis veritas non consentit errori.* „ Quoquo mo„ do sit erratum, ut verbis utar „ Tertulliani (b), tamdiu utique re„ gnavit error, quamdiu in Africa„ nis Conciliis nova observatio inve„ cta non est. Agrippinum ergo liberanda veritas expectabat!

Can. XLVII. *Me non movet, si aliquis Ecclesiae fidem & veritatem non vindicat, quando Apostolus dicat: Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum?* Ergo Ecclesiae fides & veritas in paucis Afris & Orientalibus servabatur; & a fide exciderat Ecclesia toto orbe diffusa firmissimae illi & immobili Petrae inhaerens super quam Christus aedificavit Ecclesiam?

Can. LXI. *Qui haereticis Baptismum Ecclesiae concedit & prodit, quid aliud quam sponsae Christi Judas exsistit?* „ Talem fuisse Ecclesiae „ consuetudinem, *inquit in hunc* „ *Canonem S. Augustinus* (c), ipsi „ qui hoc Concilium faciunt, sae„ pe commemorant. Si ergo nihil „ aliud quicumque hoc facit, quam „ sponsae Christi Judas exsistit, si„ cut illa sententia pronuntiata est; „ Judas autem, sicut docet Evan„ gelium, traditor fuit..... ergo „ & antequam ista dicerent, tradi„ tores facti erant omnes per illam „ consuetudinem, quam tunc Eccle„ sia retinebat.

Ex adlatis sententiis conficit Bossuetius, quod eam quaestionem Africani Episcopi inter indifferentes minime reponebant. Quibus addit, quod suam sententiam non humanis ratiociniis, sed divinis testimoniis muniebant. Legant, inquit, Cyprianum quicumque dubitaverint: Audiant Episcopos in Concilio Carthaginensi ita decernentes: *Baptisma, quod dant haeretici & schismatici, non esse verum, ubique in scripturis sanctis declaratum est &c.* Quare cum errorem damnant, cum veritatem inculcant, non nisi veritatem in scripturis revelatam, nec nisi errorem in scripturis damnatum intelligi volunt, qui haec pro adiaphoris habere dicuntur.

(a) Lib. III. de Bapt. cap. II (b) Lib. de Praescript. cap. XXIX.
(c) Lib. VII. de Bapt. cap. XXV.

Dico iterum cum Tertulliano: Quoquo modo erratum sit, tamdiu utique regnavit error, quamdiu Agrippinus novam consuetudinem non invexit. Quoquo modo erratum sit, ejusmodi error per totam Ecclesiam ab ipsa origine propagatus est: (a) *audeat ergo aliquis dicere eos errasse qui tradiderunt*. Quoquo modo erratum sit, totius orbis hic error fuit. *Non invenio*, inquit Sanctus Augustinus (b), *cur istam consuetudinem, quae post Cyprianum etiam plenario totius orbis Concilio confirmata est, tam robustam & antea idem Cyprianus invenerit, ut quum ejus mutandae auctoritatem quam sequeretur Vir tanta scientia praeditus quaereret, non nisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperiret. Quod quum sibi* ADVERSUS TOTIUS ORBIS MOREM *non sufficere cerneret, has rationes* (ex scripturarum testimoniis perperam intellectis contextas) *arripuit, quas modo nos antiquitate ipsius consuetudinis, & plenarii postea Concilii auctoritate firmati, diligentius considerantes, verisimiles potius quam veras esse invenimus*. Ergo errorem, Concilii Carthaginensis judicio in scripturis damnatum, ante Agrippinum, & post ipsum, praeter *Africam solam*, tota profitebatur Ecclesia; & scripturarum testimonia ideo in medium producebantur, quoniam Africanae sub Agrippino Synodi auctoritas *adversus totius orbis morem* minime sufficere videbatur. Ex quibus omnibus aperte sequitur, errorem, Afrorum Episcoporum sententia, mortiferum & exitialem, ut qui verum baptismum evacuaret, & homines haereticorum communione pollueret, & a fide & a regno caelorum alienos, & sponsae Christi faceret proditores, fuisse Stephano cum tota Ecclesia, cum toto orbe, & cum tota retro antiquitate communem; Quod erat demonstrandum;

ARTICULUS II.

Africanorum Episcoporum auctoritatem nullius in hac quaestione esse debere momenti, quum eorum disserendi & agendi ratio non adeo nostris, quam omnium Catholicorum Theologorum communibus notionibus adversetur.

Ut hoc demonstrem, haud aliis mihi opus est argumentis, quam quae in hoc Capite Bossuetius ipse suppeditat. Nempe in eo totus est, ut S. Augustini aliorumque Patrum testimoniis probet, morem admittendi haereticos sine novo Baptismo non fuisse adiaphoram ac variabilem disciplinam, sed a Deo revelatam certissimam & inconcussam veritatem. Hanc autem veterum Patrum fuisse mentem ex eo colligit, quód S. Augustinus adversus Donatistas allegabat cum Stephano Ecclesiae consuetudinem universalem, quae per totam Ecclesiam ab ipsa origine propagata (c) *non nisi ab Apostolis tradita merito crederetur*; quod non aliud Stephanus praedicabat, urgebatque quam consuetudinem, sed universalem, sed ab Apostolis constantissimo teno-

(a) Lib. de Praescript. cap. XXXVIII. (b) Lib. IV. de Baptism. cap. VI.
(c) Lib. IV. de Baptismo cap. XXIV. &c.

tenore ad nos usque deductam; quam liber Anonymus apud Rigaltium Stephani tempore adversus Cyprianum Cyprianique asseclas conscriptus appellat *vetustissimam consuetudinem ac traditionem Ecclesiae*; quod non alio spiritu Eusebius (a) *consuetudinem ab antiquis ductam temporibus*, ac (b) *traditionem ex Apostolorum temporibus derivatam*, a Cypriano primo mutatam agnoscat; quod Sanctus Hieronymus scribat (c), illos ipsos Episcopos, qui rebaptizandos haereticos statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos novum emisisse decretum; quod ipsa etiam flagrante discordia, Cyprianus ejusque Collegae Africani consuetudinem sibi adversari ultro fatebantur? id quod Sanctus Augustinus saepe notat, qui & eam consuetudinem *universalem & robustam* vocat, quam Stephanus tueretur, & quidem ab Apostolica traditione venientem, hac etiam data regula (d): *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolis traditum rectissime creditur*, quod assidue Sanctus Doctor inculcat.

His praemissis, subjungit Illustrissimus Adversarius: ,, Haec Augustini dicta, qui, Catholici licet, ,, ad variabilis & adiaphorae disciplinae detorquent negotia, hi profecto improvidi Ecclesiae matri firmissimas auctoritates de dogmatis fidei etiam traditione tutandis ,, extorquere conantur: quia nimirum vis traditionis infringitur, nisi certissima sit fidei Catholicae regula, ut omnes Theologi profitentur.

Sed videamus, annon potius Africani Episcopi, annon potius ipsi Adversarii, quum eis adversus Stephanum patrocinantur, vim & auctoritatem traditionis funditus evertant: Quaerimus enim, an licuerit Agrippino, an post Agrippinum licuerit Cypriano & Africanis Episcopis consuetudinem per totam Ecclesiam ab ipsa origine propagatam, & ab Apostolis constantissimo tenore ad nos usque deductam, erroris insimulare? An licuerit Agrippino *contra divinum Canonem*, ut ait Vincentius Lirinensis (e), *contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque instituta Majorum*, novam observationem invehere, qua toti Ecclesiae, imo & ipsis Apostolis, aut saltem eorum discipulis mortiferi erroris labes inureretur? Denique an licuerit Africanis Episcopis *adversus totius orbis morem* ipsis probe perspectum & exploratum, ut saepe S. Augustinus animadvertit, temere insurgere, & non modo Stephanum, verum & tot retro sanctissimos Martyres & Pontifices, ac tot Episcoporum milia indignis notis perstringere eosque velut a fide devios, & haereticorum communione pollutos, & sponsae Christi & animarum proditores traducere? Si dixerint Adversarii, haec Agrippino, haec Africanis Episcopis licuisse, vis traditionis & auctoritas penitus labefactatur, quae profecto non alio nititur fundamento,

F 2 quam

(a) Lib. V. Hist. cap. II.
(b) Ibid. cap. III.
(c) Dial adv. Luciferianos.
(d) Lib. IV. de Bapt. cap. XXIV.
(e) Commonit. I. cap. IX.

quam quod Ecclesia in his quae ad fidem & mores pertinent, errare non potest. Quare quae per universam Ecclesiam ab omnibus retro temporibus servata sunt, ac potissimum si ex mera Dei voluntate & arbitrio pendeant, ea necesse est ad divinam traditionem referre. Unde enim de haereticorum baptismo secura esset Ecclesia nisi hoc tanquam divinitus traditum per Apostolos accepisset? Hinc illa praeclara S. Augustini regula superius quoque commemorata: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Haec autem regula certissime fallit, si perspecta Ecclesiae consuetudine, quae per totum orbem ab antiquis temporibus obtinebat, licuit in eas voces erumpere: *Qui haereticorum baptisma probant, nostrum evacuant: Secundo baptismate qui non fuerit baptizatus, regno caelorum fiet alienus: Qui haereticorum baptisma probat, quid aliud quam haereticis communicat? Qui haereticis Ecclesiae baptisma concedit & prodit, quid aliud sponsae Christi quam Judas exsistit?* Si consuetudinem robustam, universalem, per totam Ecclesiam ab ipsa origine propagatam, & ab Apostolis ad Agrippini & Stephani tempora constantissimo tenore deductam, licuit his notis configere, ubi quaeso vis & auctoritas traditionis? Si multitudinem Episcoporum Romano Pontifici adhaerentium licuit gravissimis hisce ac mortiferis erroribns onerare, ubi quaeso auctoritas Ecclesiae? quae certe jacet ac nulli fere usui est, nisi moralis, ut ajunt, Episcoporum unanimitas, nisi eorumdem Episcoporum pars maxima Romano Pontifici adhaerens, in his quae ad fidem & mores pertinent, errandi periculo eximatur.

Haud me latet quid Adversarii respondeant. Mirificus ille distinctiuncularum artifex Turnelius negat (a), *quod in controversia de baptismo ab Haereticis collato, tempore Stephani Summi Pontificis & S. Cypriani moralis fuerit unanimitas, saltem completa & perfecta*; idque propterea quod (b) Stephani edictum multas habebat numero, dignitate ac scientia illustres Ecclesias sibi contrarias & adversantes, quales erant Africae, Asiae, Cappadociae, Numidiae, Ponti & Orientis Ecclesiae.

Haec tamen quae tanto strepitu jactantur, S. Augustini ac veterum Patrum notionibus apertissime refragantur. Nam juxta communes & pervulgatas notiones tamdiu permanere censetur in aliqua societate moralis unanimitas, quamdiu quorumdam resistentia non impedit, quominus universa societati quidquam absolute ac simpliciter tribuatur: At quaecumque fuerit Ecclesiarum Africae, & Asiae &c. resistentia, haec S. Augustinum, & alios Patres minime impedivit, quin admittendi sine novo baptismo haereticos consuetudinem universae Ecclesiae tribuerent: ergo non defuit in hac controversia moralis Episcoporum unanimitas. Quod pertinet ad S. Augustinum, longum esset omnia loca com-

(a) De Eccl. Quaest. III. art. V.
(b) Ibid. Quaest. V. art. III. & Quaest. III. art. IV.

commemorare, in quibus etiam tempore Cypriani hanc fuisse docet non quidem multorum in Ecclesia, sed ipsius universalis Ecclesiae consuetudinem ac traditionem: *Saluberrimam consuetudinem*, inquit lib. II. de Bapt. cap. VII. *tenebat Ecclesia . . . quam credo ex Apostolica traditione venientem; sicut multa, quae non inveniuntur in literis eorum neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur*. Et Capite sequenti observat, quod eam consuetudinem, quam universa tenebat Ecclesia, nisi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam Coëpiscopi ejus etiam per Concilii sententias deserere tentavissent, non ausus fuisset S. Cyprianus ratiocinari adversus eam; sed *ubique intuens universalem robustamque consuetudinem coarctasset se potius &c.* Et lib. V. cap VI. monet, ideo Cyprianum aggressum esse ad Agrippini sententiam etiam rationibus cofirmandam, quoniam in ejus Concilio *adversus totius orbis morem* non satis esse momenti judicavit. Et ejusdem libri capite XXIII. *Consuetudo illa, quae* (a Stephano) *opponebatur Cypriano ab eorum* (Apostolorum) *traditione exordium sumsisse credenda est: sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur*. Quae regula in eam de haereticorum baptismate controversiam quadrare non poterat, nisi ipso quoque Stephani aevo consuetudinem admittendi haereticos sine novo baptismo universa probasset Ecclesia. Et li ro tertio contra Cresconium cap. III. illi qui ad pompam dicuntur Asiae, Cappadociae, Ponti & Orientis Episcopi, Sancto Doctori pauci Orientales dicuntur: quibus etiam additi Africae & Numidiae praesules, non impediunt, quin simpliciter & absolute toti orbi eorum error displicuisse dicatur: *Proinde si jam omnino credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit; cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus?* Ergo ex Augustino erat cum Stephano moralis Episcoporum, sive totius Ecclesiae ac totius orbis unanimitas. Idipsum autem & ex aliis Scriptoribus colligitur, quorum superius luculenta in hanc rem ac perspicua testimonia descripsi.

Sed ut in orbitam redeamus; aut licuit *paucis* Orientalibus & *quibusdam* Afris avitam consuetudinem ex Apostolorum temporibus derivatam, & a Romano Pontifice, consentientibus *totius orbis* Episcopis, adsertam lacerare, aut non licuit; si licuit, ubi quaeso est Ecclesiae, ubi traditionis auctoritas? Si non licuit, cur quaeso Gallicani Antistites & Parisienses Theologi adversus Stephanum, cur contra Romani Pontificis auctoritatem eorum testimoniis utuntur? Nam dicimus, eos praepostero adversus haereticos zelo in transversum actos sic errare potuisse in auctoritate Romani Pontificis deprimenda, ut ab eis erratum est in Apostolica traditione damnanda, & universa Ecclesia

sia mortiferi erroris macula dehonestanda: quam eorum temeritatem sequentibus verbis castigat Auctor Anonymus Tractatus adversus Cypriani sententiam, qui ut multis videtur, ipso S. Martyris aevo florebat: ait enim, quod *in hoc genere quaestionis nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate & necessaria humilitate, nihil innovare gestiret*. Et infra observat, haereticis perditionis hoc unicum esse solatium, si *errores & vitia universarum Ecclesiarum correxisse apud apud simillimos sui & compares celebrentur*. Tum subjungit, *monstri simile esse ipsos Episcopos talia scandala cogitare*.

CAPUT VIII.

„ Quid objiciant qui haec referunt
„ inter adiaphora: Firmiliani &
„ Basilii locus.

DE hoc argumento videsis quae latissime differit Cl. Thomassinus Differt. II. in Synodos de Baptismo Haereticorum a num. XXXIII. usque ad finem.

CAPUT IX.

„ Quae sit illa Synodus universalis,
„ quam in hac quaestione Augu-
„ stinus memoret. Nicaenam eam
„ esse: sed utcumque sit, nostra
„ immota esse.

DE hac Synodo, cujus auctoritatem Donatistis identidem objicit Augustinus, haud omnino displicent Viri docti conjecturae apud Tillemontium Not. XLIV. in S. Cyprianum: quod nempe ea in Africa Augustini aevo cum apud Catholicos, tum apud Donatistas opinio invaluerit, quaestionem de haereticorum baptismo fuisse jampridem Synodi Oecumenicae decreto finitam: Sed quae fuerit illa Synodus, Catholicos perinde atque haereticos ignorasse. Nisi enim Donatistis cum Augustino de aliqua Oecumenica Synodo conveniebat; qui Sanctus Doctor hujusce Synodi auctoritate tam fidenter suos premebat Adversarios? Si autem distincte noverat; cur eam nunquam suo nomine appellabat? Itaque quam constans erat opinio de hac controversia in aliqua Oecumenica Synodo judicata, tam S. Augustinus haesisset in ea Synodo designanda, in cujus hac de re decretum omnes characteres & notae convenirent, quibus illud Sanctus Doctor exornat; quod nempe editum fuerit in Concilio cunctarum gentium, totius orbis, & universae Ecclesiae; quod ejus auctoritati cessurus fuisset Cyprianus; quod finem quaestioni dederit; quod quidquam adeo certum & eliquatum sanxerit, ut nulla tergiversatione posset eludi: haec enim omnia neque in Arelatensis, neque in Nicaenae Synodi hac de re decreta adeo plane ac luculenter convenire videntur, quam in suis adversus Donatistas libris passim jactat ac praedicat Augustinus. Vide Tillemont. loc. citat. §. seu art. I. & II.

CAPUT X.

„ Non tantum fidei caussae, sed etiam aliae, quae universalem spectarent Ecclesiam, ab universali Concilio retractandae, nec nisi consensione orbis finitae esse creduntur: Caussa Caeciliani: S. Augustini locus.

POssem quae hoc Capite observat Illustrissimus Auctor sine ulla responsione dimittere, quum ea nequaquam ad praesentem spectent disputationem, in qua Romano Pontifici ἀσφάλειαν dumtaxat in caussis fidei morumque vindicamus: Caeciliani autem caussa, vel ipso fatente Adversario, in mera facti quaestione versabatur. Attamen ne S. Augustini locus, quem ad deprimendam Romani Pontificis, extollendam vero Conciliorum generalium auctoritatem Bossuetius adfert, Lectoribus minus cautis & eruditis imponat, libet in eo exponendo paullulum immorari, & paucis ostendere, quam & in hoc negotio ipsius Romani Pontificis auctoritas eminuerit.

ARTICULUS UNICUS.

S. Augustinus de Melchiadis in caussa Caeciliani & Donatistarum judicio testimonium expenditur, & cum S. Optati Milevitani sententia nostroque dogmate conciliatur.

LOcus Augustini, quem nobis objicit Illustrissimus Adversarius, ex Epistola XLIII. al. CLXII. desumtus est, in qua plurima occurrunt ad Donatistarum historiam & nefarii schismatis originem pertinentia. Refert autem inter cetera Sanctus Doctor, quod quum Melchiadis & Romanae Synodi sententia Caecilianus innocens pronunciatus, rejectus autem damnatusque Donatus fuisset, conquestos esse Donatistas, quod malos perpessi judices essent; *quae vox* inquit, *est omnium malorum litigatorum; quum fuerint etiam manifestissima veritate superati*. Ostendit autem quid hostibus Caeciliani facto opus fuerat, si caussae suae vere & ex animo confidebant, justeque de suis judicibus querebantur: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romae judicarunt, non bonos judices fuisse; restabat adhuc plenarium Ecclesiae universae Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus caussa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiae solverentur. Quod utrum fecerint, probent: nos enim non factum esse facile probamus, ex eo quod totus orbis non eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi; quod ipsa eorum separatio manifestat*.

Ex his verbis duo, inquit Bossuetius, concludimus; alterum post prolatum habita Synodo Papae judicium, *restasse adhuc plenarium Ecclesiae universae Concilium*, quo Pontificis judicium Synodi sententia solveretur; alterum, quamvis nulla fuerit Oecumenica Synodus, quae Melchiadis judicium retractaret, haud minore auctoritate decisam fuisse caussam, eo quod orbis terrarum non communicaret Donatistis: imo ut ibidem Augustinus ait, *Experti sunt, cum Caeciliano permanere consensionem orbis terra-*

terrarum: quibus verbis constare ait Bossuetius, Melchiadis judicium, quod alioqui canonico ordine retractari potuisset, ipsa Ecclesiae consensione in summam autoritatem evectum. Adjungit, quod quamquam haec facti quaestio erat, de facto tamen agebatur, in quo tota Donatistarum caussa verteretur: ex quo proinde illud efficitur, non tantum in fidei quaestionibus, sed etiam in omnibus, quae totam Ecclesiam spectarent, robur summum in consensione esse positum. Haec Bossuetius.

Nos autem his tribus doctissimi Praesulis observationibus totidem contrarias theses opponimus.

Primo enim statuimus, Caeciliani caussam Melchiadis & Romanae Synodi judicio terminatam, non fuisse obnoxiam Synodi generalis retractationi.

Secundo, eam retractari non potuisse nisi ex Romani Pontificis indulgentia, & in Synodo, cui vel ipse vel per suos Legatos Romanus Pontifex praesideret.

Tertio, caussam Caeciliani, de qua laudato loco disserit Augustinus, haud fuisse iis caussis adnumerandam, quae ad universam Ecclesiam pertinerent.

Primam thesim elicimus ex S. Optato Milevitano libro I. de Schismate Donatistarum num. XXIV. & seqq. ubi de Romana sub Melchiade Synodo agens ait, a XIX. Episcopis in ea considentibus singulas in Donatum latas fuisse sententias: Caecilianum vero eorum omnium sententiis innocentem fuisse pronunciatum, *etiam*, inquit, *Melchiadis sententia, qua judicium clausum est*. Quae verba ita doctissimus Albaspinaeus interpretatur: „ Quasi diceret, etiam a Summo Pontifice absolutus, post cujus judicium de Caeciliani innocentia non est dubitandum. Quare subjungit Optatus: *Sufficit ergo & Donatum tot sententiis esse percussum, & Caecilianum tanto judicio esse purgatum*: Miraturque veluti rem indignam, & cum summa temeritate, audacia & furore conjunctam, quod ab ejusmodi judicio Donatus appellandum putaverit: *Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit! Ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit: Orabida furoris audacia, sicut in caussis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt!* Observant quidem Viri eruditi, non proprie Donatum a Romanis judicibus appellasse; verbaque illa legi in epistola Constantini ad Episcopos, qui Concilio Arelatensi interfuerant, ut ad suas provincias reverterentur: quare ea dicta videri, quum Donatistae ad Imperatorem non a Romana sed ab Arelatensi Synodo appellassent; ac latuisse Optatum, quae ad hanc Synodum pertinebant. Verum haec S. Doctoris σφάλματα vim non infringunt argumenti, quod ex hoc loco conficimus. Hoc enim satis habemus, quod a Romani Pontificis sententia non potuerit ipsius judicio appellari nisi ab homine, qui rabido furore & audacia praeceps agebatur. Ceterum adjungit Optatus, duos in Africam, utique a Romano Pontifice, Episcopos missos esse, Eunomium & Olimpium, *ut*, e Synodi Romanae sententia, *pronunciarent, ubi esset Catholica*: quorum hanc refert fuisse novissimam sententiam: *Illam esse*

Catho-

Catholicam, quae esset in toto orbe diffusa, & sententiam decem & novem Episcoporum, hoc est Melchiadis Romanaeque Synodi, *jamdudum datam dissolvi non posse*: eamque furentibus licet & omnia susdeque miscentibus Donatistis, executos esse: *sic communicaverunt Clero Caeciliani, & reversi sunt*. Denique reversis in Africam Caeciliano & Donato, ait, contentionem recruduisse, novis partium studiis rursus inflammatam; nec tamen opus fuisse significat, ut eorum caussa in Synodo generali retractaretur, sufficere existimans, *& Donatum tot sententiis*) scilicet Melchiadis & octodecim Episcoporum) *fuisse percussum, & Caecilianum innocentem totidem sententiis declaratum*.

His quidem prima fronte contraria esse videntur quae ex S. Augustino Illustrissimus Adversarius objicit; nimirum post Melchiadis & Synodi Romanae judicium restasse adhuc plenarium Ecclesiae universae Concilium, ad quod confugerent Donatistae, & in quo Synodi Romanae sententia retractaretur. Attamen si rem attente consideremus, & cujusmodi futurum esset illud Ecclesiae universae Concilium sedulo expendamus, quae primo adspectu contraria esse videntur, optime inter sese convenient. Plenarium Concilium, de quo loquitur Augustinus, vel ipsa Arelatensis Synodus fuit, ut Launojo placet, aut saltem ex hac Synonodo, cujus statim mentionem injicit S. Doctor, conjicere possumus, cujusmodi futurum esset plenarium illud Ecclesiae universae Concilium. Quum enim Donatistae Romanae Synodi judices, quorum judicio & Caeciliani innocentia & eorum improbitas declarata fuerat, apud Imperatorem veluti perperam ab eis fuisset judicatum, accusassent: *dedit ille*, inquit S. Doctor in eadem Epistola paullo post verba quae Adversarius adtulit, *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere*. Aliqua in hunc S. Augustini locum observanda sunt. Et primo quidem observare oportet, quod quamquam Constantini auctoritati & jussioni tribuere videatur, quod caussa Caeciliani & Donatistarum post Romanum Concilium fuerit in Arelatensi Synodo retractata; attamen non absque Romani Pontificis consensu instauratum fuisse judicium, vel ipsi Adversarii fatentur (*a*), colliguntque ex epistola Synodi ad Silvestrum, in qua his eum verbis Patres adloquuntur. *Et utinam ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses! .... Sed quoniam recedere a partibus illis minime potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur &c.* Ex quibus verbis constat, ad Synodum invitatum fuisse Silvestrum; & quamquam eo accedere noluerit, attamen legatos misisse Claudianum & Vitum Presbyteros, & Eugenium & Cyriacum Diaconos, qui se *ex urbe Roma missos a Silvestro Episcopo*, in actorum subscriptione testantur. Id autem jure factum esse Henricus Valesius agnoscit: Quum etenim, inquit, ob assiduas

(*a*) Vid. Nat Alex. in Hist. Saec. IV. Disser. IV. quaest. I. & Henric. Vales. de Schism. Donatist. cap. IX.

siduas interpellationes Antistitum partis Donati, placuisset Imperatori Constantino caussam illam, quae Melchiadis Papae sententia terminata jam fuisset, iterum ventilare, invitandus necessario fuit Romanus Episcopus; ne de sententia ejus, cujus maxima erat in Ecclesia auctoritas, minoris dignitatis Episcopi absque ipsius consensu cognoscere voluisse viderentur.

Secundo, quamquam S. Augustinus docet, dedisse Constantinum aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum; constat tamen, haud alios prorsus fuisse Episcopos, qui post Romanum Concilium Donatistarum & Caeciliani caussam in Arelatensi Synodo retractarunt. Nam praeter Pontificem maximum, qui per Legatos adfuit, ex Patribus qui Romae sederant, Marinus Arelatensis, Maternus Agrippinensis, Reticius Augustodunensis, Merocles Mediolanensis, & Proterius Capuensis Arelatensi Concilio interfuerunt. Unde colligunt Viri eruditi, (*a*) aut non vere Donatistas ad Imperatorem a Melchiadis & Romanae Synodi judicio provocasse & appellasse; aut si qua fuit appellatio, verae appellationis vim non habuisse: forma enim judiciorum passa non fuisset, ut iidem judices de appellatione & de judicio, quod Romae primum constitutum, & de quo appellatum esset, judicarent. Adduntque, quod in illo Concilio quum sederit Summus Pontifex & per Legatos praefuerit, nulli mirum videri debet, si permiserit de judicio suo cognosci, & suam sententiam ab Episcopis & a semetipso examinari. Itaque (*b*) sicut ab uno & eodem ab ipsummet. ita a Melchiade & Synodo Romana ad aliam legitimam Synodum provocari non potuit, nisi ut caussa a summo judiciorum Principe cum paucioribus Adsessoribus cognita & definita, ab eodem rursus in frequentiori judicum senatu cognoscatur & terminetur. Quae non provocatio est, sed supplicatio, nec in rei potestate, sed in libertate summi Judicis posita.

Denique observandum est, dedisse Constantinum, annuente Summo Pontifice, aliud Arelatense judicium, non quia, inquit Augustinus, jam necesse erat, sed Donatistarum furori & perversitatibus cedens &c. Quod & ipse Constantinus aperte profitetur cum in epistola ad Aelafium sive Ablavium Africae Vicarium; tum in litteris ad Chrestum Episcopum Syracusanum. Unde colligere est, post Romanae Sedis judicia haberi quandoque potuisse frequentiora Concilia, non quia necesse absolute esset, sed ex quadam erga errantes indulgentia, vel ad frangendam rebellium & furiosorum hominum pertinaciam. Ex his certe verbis Augustini (inquit Franciscus Balduinus Praefat. in Optat.) intelligo Constantinum importunitati Donatistarum extra ordinem concessisse, quod juris ordinarii fuisse videri vis. Quibus verbis Calvinum doctissimus Jurisconsultus adloquitur. Videsis & Valesium de Schismate Donatistarum cap. VII. & Tillemontium *Hist. du Schisme des Donatistes article XX.*

Huic ergo Arelatensi Synodo fingere

(*a*) Albaspin. Observat. X. in Optat. Milevit. Franc. Balduin. Praef. in eumd. Optat. Henric. Vales. de Schism. Donatist. cap. VIII.

(*b*) Thom assin. Dissert. XII. in Conc. Chalced. num. XIII.

gere possumus simile & adfine futurum plenarium illud Ecclesiae universae Concilium, quod memorat Augustinus, & in quo docet, Caeciliani & Donatistarum caussam potuisse post Romanos judices retractari. Fingere, inquam, possumus imo & debemus, non fuisse hujusmodi Concilium nisi consentiente & per suos Legatos praesente Romano Pontifice celebrandum. Et rursus, quemadmodum Arelatensis Synodus habita est, non quia necesse erat post Romanum judicium caussam Donatistarum in ampliore Synodo retractari; sed datum id est Principis & Pontificis indulgentia importunis Donatistarum clamoribus, ut quocumque modo tandem quiescerent, ac turbas crere desisterent: ita de plenaria illa judicare possumus, quod nequaquam ea fuisset absolute necessaria ad eamdem caussam rursus examinandam & irretractabiliter terminandam.

Superest ut tandem ultimam thesim demonstrem, qua superius constitui, caussam Caeciliani, quam S. Augustinus in illa Epistola docet potuisse post Romanum judicium in plenario Ecclesiae universae Concilio retractari, nequaquam iis caussis adcenseri debuisse, quae proprie ad universam Ecclesiam pertinerent. Nam facti quaestio erat, unde nullatenus Ecclesiae caussa pendebat; quemadmodum pluribus in locis S. Augustinus conceptis disertisque verbis animadvertit, ac potissimum in Breviculo Collationis cum Donatistis. Ita Collat. diei tertiae cap. XI. *Sic peracta est caussa Ecclesiae, quam magnopere Catholici curaverunt a Caeciliani caussa distinguere; quoniam ei non posset cujuslibet praejudicari criminibus, quae contra omnes humanas criminationes tot testimonia divina meruisset. Ex hoc jam coepit agi etiam caussa Caeciliani*. Et infra capite XVI. *Nam & ista Collatione totum quod egerant Catholici, ut Ecclesiae caussam a caussa Caeciliani distinguerent, asserentes in Ecclesia permixtos malos non obesse bonis, nec eos suis maculare peccatis, hoc utique egerant, ut nec caussa caussae praejudicaret, nec persona personae. Quod ab Adversariis dum aliud ageretur, voce apertissima confirmatum est*. In hoc itaque caussa Ecclesiae posita erat, quod ea malorum permixtione & communione minime polluatur: quam caussam merito Catholici Episcopi secerni a Caeciliani caussa volebant; parum interesse judicantes, cujusmodi Caecilianus fuisset, & an jure vel injuria fuisset in Romana Synodo innocens pronunciatus. *Nam hoc*, inquit eodem libro S. Doctor capite VIII. *parum est*. Et lib. ad Donatistas post Collationem cap. IV. *Hoc enim*, inquit, *agebamus omnibus viribus, hoc instabamus, ut Caeciliani caussa atque, persona qualiscumque ille fuerit, ad caussam & personam Ecclesiae, quam Deus suis sanctis testimooiis roburavit, non pertinere ostenderetur*. Itaque S. Augustinus aliique Catholici Antistites noluerunt, ut pax Ecclesiae ex hujusmodi factorum confessione penderet, quorum nulla cum fidei dogmatibus connexio erat, quantumvis ea vera essent & praesumerentur: imo curam & sollicitudinem adhibuerunt omnem, ut Caeciliani caussam penitus ab Ecclesiae caussa sejunctam esse demon-

 stra.

ſtrarent. Vid. Nat. Alex. Diſſert. VI. in Hiſt. Saec. IV. ubi data opera oſtendit, pluribuſque S. Auguſtini teſtimoniis demonſtrat, quod neque Catholici, qui cum Caeciliano communicabant, neque Donatiſtae ad Eccleſiae gremium redeuntes, credere tenebantur, Caecilianum criminum, quorum fuerat accuſatus, purum fuiſſe, aut non erraſſe judices Eccleſiaſticos, qui ipſum abſolverant: ſed ſolum non temere credere, ipſum fuiſſe reum, & judices a quibus fuerat abſolutus male judicaſſe. Quam theſim pluribus, ut jam diximus, S. Auguſtini teſtimoniis demonſtrat; ex quibus conſtat, quod S. Doctor ut Eccleſiam toto orbe diffuſam communione Caeciliani contaminatam & violatam non fuiſſe oſtendat, non confugit ad judicii indeficientis privilegium, ſive Melchiadi in meri facti quaeſtionibus, ſive Romano Concilio, ſive Synodo Arelatenſi conceſſum, quod credere coëgerit Caecilianum tam gravibus tamque ſanctis judiciis abſolutum, inſontem fuiſſe: in qua proinde meri facti quaeſtione neque, ut Boſſuetius contendit, *tota Donatiſtarum cauſſa vertebatur*, neque ex ipſa, ut idem docet, Eccleſiae univerſae cauſſa pendebat; quam ut vidimus, in eo tantum Auguſtinus & ceteri Catholici Epiſcopi conſtituebant, quod etſi reus Caecilianus fuiſſet, ſive judices perperam judicaſſent; tamen neque judicum peccato, neque Caeciliani criminibus Eccleſia Catholica polluebatur.

CAPUT XI.

„ Cauſſa S. Johannis Chryſoſtomi.

CElebrem hanc notiſſimamque S. Johannis Chryſoſtomi cauſſam, qua univerſus orbis commotus fuerat, Romani Pontificis auctoritate, nullo intervenienti univerſali Concilio, fuiſſe finitam, nullus ignorat. Eluxit proinde in hoc negotio ac ſeſe mirifice exeruit ſuprema & ineluctabilis Apoſtolicae Sedis poteſtas, qua & Occidentem ſibi devinxit ſeu potius indivulſe cohaerentem retinuit, & Orientem ad eas, quas ipſi praeſcribere libuit redintegrandae pacis leges & conditiones ſuſcipiendas, adegit. Haec enim ita peracta eſſe, veterum monumentis perſpicue proditum eſt. Sed ea in aliam mentem Illuſtriſſimus Adverſarius interpretatur; & ex brevi rerum geſtarum narratione hanc tandem conficit ſummam: „ Romanus Pontifex quae pro „ loci ſui amplitudine ſolus inchoa„ vit, nonniſi totius orbis ſententia „ finiturus erat. Verum cum Syno„ dus Oecumenica ab Arcadio Im„ peratore impetrari non poſſet; to„ tius Occidentis cum Apoſtolica „ Sede conjuncta ſententia perfecit, „ ut Johannis Chryſoſtomi nomen „ Conſtantinopoli quoque in ſacras ta„ bulas referretur; ac ſine novo judi„ cio, conſenſione totius Eccleſiae, „ Theophili Synodus ſolveretur. Eccleſiarum omnium cum Sede Apoſtolica conſenſione pacem fuiſſe compoſitam, & reſtitutam tranquillitatem, quae earumdem Eccleſiarum diſſenſione turbata fuerat, ex ipſis harumce rerum communibus notionibus conſtat, neque in diſceptatione poſitum eſt. Verum id propterea Romani Pontificis auctoritate perfectum eſſe contendimus, quoniam ipſe auctoritate ſua Occidentis & Orientis Eccleſias ad ſibi conſentiendum adegit.

git . Itaque hoc invicem digladiamur, quod Adversarius Ecclesiarum consensionem Romano Pontifici adjungit, ut quod ille solus non potest, Ecclesiae sibi consentientis auctoritate perficiat : Nos autem Ecclesiarum consensum Pontificis potestati subjungimus, ejusque auctoritate expressum fuisse statuimus; ideoque sublatae dissensionis bellique confecti, & pacis compositae gloriam soli Romano Pontifici vindicamus. Uter meliorem sententiam defendat, ex mox dicendis constabit.

ARTICULUS UNICUS.

In caussa Sancti Johannis Chrysostomi Romanus Pontifex omnia perfecit, ipsiusque dumtaxat auctoritate feralis dissensionis incendium exstinctum est, paxque in Ecclesia refloruit.

TAm luculenter tantaque eruditionis copia de hoc argumento disserit Cl. Thomassinus, ut nihil fere adjungi possit iis, quae ab ipso occupata sunt in sua *de Synodo ad Quercum & de tota caussa Chrysostomi* Dissertatione. Quare ne actum iterum agam, aliqua quae huc facere maxime videntur, ex ea Dissertatione loca decerpam.

Est autem imprimis observatione dignum, quod quamquam Chrysostomus a Theophili judicio ad Oecumenicam Synodum appellasset; intelligebat tamen perinde esse, ac si ad ejus Praesidem seu Romanum Pontificem provocasset; neque hunc minore praeditum esse potestate & auctoritate ad ea omnia perficienda quae generalis Synodus perfecisset. Quare in epistola ad Innocentium quamquam meminit suae ad Concilium appellationis, his eum tamen verbis affatur: *Scribite, precor, & auctoritate vestra decernite, hujusmodi inique gesta ..... nullius esse roboris .... Porro qui talia gessere, eos Ecclesiasticae censurae subjicite. Nos autem insontes ..... Ecclesiis nostris jubete restitui, ut caritate frui ac pace cum fratribus nostris consueta possimus*. Qui ergo, subjungit Thomassinus, ad Synodum provocarat Chrysostomus, eo tandem rem intelligit redire, ut per Papam Innocentium & Occidentales Episcopos ei cohaerentes restituatur suae Sedi, rescissa latrocinalis ad Quercum Synodi sententia.

Acceptis Innocentius Chrysostomi ac Theophili literis, hujus *judicium*, ut est apud Palladium, *cassum atque irritum esse decrevit; dicens oportere constari aliam irreprehensibilem Synodum Orientalium & Occidentalium Sacerdotum*. Interim dum generalis Synodus exspectatur, vicem ejus Sedes Apostolica supplet, rescissis Theophili actis, retentaque Chrysostomi communione; imo & Synodus hac lege habenda decernitur, ut ante Chrysostomus Ecclesiae suae restituatur; quam ejus caussa in Synodo retractetur: *non oportere Johannem judicium ingredi, nisi prius Ecclesia illi communioque redderetur*. Itaque Sedes Romana solo dissensu Synodos & conatus Theophili irritavit: solo communionis suae beneficio Chrysostomum redintegravit: Synodi Oecumenicae interim vicem supplevit, dum ea impetraretur ab Imperatore; & quia ab Imperato-

re

re expugnari ea non potuit, vim ejus & auctoritatem sola implevit: in eoque Ecclesiae salus alioqui nutabunda tum constitit.

Mortuo Chrysostomo, non ideo Sedis Apostolicae in ejus innocentia & nomine vindicando constantia & sollicitudo refrixit: quinimo, ut refert Palladius, haec stetit adhuc *Romanae Ecclesiae sententia, non communicare in finem usque Orientalibus Episcopis maximeque Theophilo, donec Dominus universalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui haec gessere. Etsi enim dormit B. Johannes, vigilat tamen veritas, de qua est facienda discussio.* Ergo Chrysostomi Adversarios pro putridis membris habebat, Chrysostomi innocentia ipsi perspecta erat, nec Synodum cogi volebat, nisi ut membris infirmis medicina adferretur, & Chrysostomi innocentia magis magisque vindicaretur. Porro etsi non potuit infringere Imperatoriae majestatis vim indomitam, ut Synodus celebraretur; in ipso tamen Oriente sanos quosque Episcopos & fideles in officio & amore Chrysostomi retinuit, totum Occidentem ei adjunxit; & eo tandem adegit Atticum Constantinopolitanum, Alexandrum Antiochenum, Acacium Boroeensem, aliosque Orientales Episcopos, Chrysostomi prius adversarios, ut Romanae Ecclesiae communionem ea de caussa abscissam peterent, nec impetrarent, nisi conditionibus omnibus satisfecissent, restituto & diptychis reddito Johannis nomine; omnibusque ejus communionis tenacibus in suam communionem recollectis, tandemque pervicit, ut vel post mortem, & ab ipso Imperatore Chrysostomus revocaretur. Constant haec ex Palladio in Dialogo de vita Chrysostomi, & ex variis Innocentii epistolis, ex quibus plura Thomassinus describit, unde & jure colligit, quod sine Synodo Oecumenica parem vim & auctoritatem obtinuit sola Innocentii sententia.

Haec autem omnia egregie confirmat & illustrat celebris Gelasii locus Ep.XIII. ad Episcopos Dardaniae, ubi tum aliis, tum hoc maxime Chrysostomi exemplo demonstrat, summam & ineluctabilem adesse Sedi Apostolicae auctoritatem, qua solo dissensu, nulla interposita Synodo Oecumenica, quascumque Synodos temere grassatas rescindat, damnatos absolvat, ejectos restituat; & communionis suae cum innocentibus continuatione, a grassatoribus dissociatione in integrum omnia restituat; & quamvis aliquamdiu contemni videatur, pervincat tandem, & omnes obices victrix perfringat: *Quod Apostolica Sedes*, inquit laudatus Pontifex, *frequenter more majorum etiam sine ulla Synodo praecedente, & absolvendi quos Synodus inique damnaverat; & damnendi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Graecorum non consensit, absolvit. Sanctae memoriae nihilominus Johannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Praesulum certe damnarat; quem simili modo Sedes Apostolica*, ETIAM SOLA, *quia non consensit absolvit*. Cui succinens Vigilius Papa in Constituto; *hanc autem regulam* inquit *& in sanctorum Johannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysostomum vo-*

vocant, atque Fluviani ejusdem Civitatis Episcopi veneranda memoria constat esse servatam : qui licet violenter exclusi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eo quod semper inviolatam eorum communionem Romani Pontifices servaverunt : nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, quos sibi inconvulse unitos Apostolica judicavit auctoritas. Sive ergo Synodice, sive ut plurimum sive Synodis generalibus, rescissae sunt Synodi, Synodicaeque Episcoporum innocentium damnationes ab una Apostolica Sede, dissensu ejus solo, & communionis cum damnatis perpetuatione.

Ceterum, subjungit Cl. Thomassinus, abunde ex antedictis refellitur vecordia novatorum, qui nec a Chrysostomo appellatum Innocentium garrire solent : & nihil ab Innocentio gestum, quod non cum Occidentis Episcopis communicatum sit, & compluribus Orientalibus. Perperam, inquit, ab illis haec omnia blaterantur. Nam frequentissime jam evicimus, haud aliud esse ad Synodum, quam ad Synodi Praesidem recurri : & quum ad Occidentales potissimum respectaret Chrysostomus ut caussae suae restauratores, non poterat non ad Occidentalium singulare caput intueri! Ideo & Legati & defensores ejus omnes Romam confluxere : Epistolae ejus ad Innocentium maxime inscribuntur : solius Innocentii Epistolae ad Chrysostomum & ad Clerum ejus a Latinis Graecisque Scriptoribus memorantur : Solus Innocentius curam induit Synodi cogendae ; solus Legatos cum suis & Honorii Epistolis Constantinopolim mittit ; solus Theophilum increpat per epistolas ; solus ad Synodum vocat ; solus urget, & evincit in sacra diptycha referri nomen Chrysostomi ; solus Attici Constantinopolitani, Alexandri Antiocheni, Acacii, Beroeensis aliorumque Episcoporum precibus & litteris ambitur, ut pacem & communionis gratiam illis reddat ; solus non ante assentitur, quam omnibus ad Chrysostomi nomen gregemque Johannitarum redintegrandum conditionibus fecerint satis ; solus apud Palladium, Photii ipsius suffragio laudatissimum Scriptorem, utramque implet paginam. Non possunt haec omnia peraeque aliis communicari Occidentalibus Episcopis vel omnibus, vel eminentioribus, quae soli nominatim Innocentio vindicant omnia antiquitatis monumenta. Deinde primae Sedis singularis haec erat gloria, non Mediolanensis, non Aquilejensis, de Theophili seu de secundae Sedis judicio cognoscere : Constantinopolitani Episcopi innocentiam tutari : ejus damnationem cassare : Occidentis communione frustrare Orientales : citra Oecumenicam Synodum id perficere & expugnare, quod ab Oecumenica Synodo exspectandum fuisset. Ideo Gelasius, Vigilius, Facundus non aliorum Occidentis Episcoporum, sed *solius Apostolicae Sedis dissensu*, solutas adfirmant Orientalium machinationes. Quae certe omnia Illustrissimi Adversarii sententiam recta feriunt ; quumque ea certissima & exploratissima sint, inde clare luculenterque conficitur, in caussa Chrysostomi summam & ineluctabilem emicuisse Apostolicae Sedis auctoritatem.

CAPUT XII.

„ Decreta adversus Originistas: Theo-
„ philus Alexandrinus S. Anasta-
„ sium praeit, ac Romam ipsam
„ liberat: in consensione vis po-
„ sita Sancti Hieronymi loci.

QUin summa sit & ineluctabilis eorum decretorum vis, quae in Synodis particularibus edita, & ad Sedem Apostolicam relata, ipsius auctoritate firmantur, ac deinceps omnium per orbem Episcoporum consensione probantur, nullus Catholicorum dubitat, nullus negat: idque unum probant, quae Bossuetius adfert in hoc Capite Origenianorum dogmatum damnatione S. Hieronymi testimonia; quae proinde negligi possent, quum ad nostram controversiam ea minime spectent. Haec enim, ut saepiae jam diximus, in eo versatur, an decretorum Ecclesiae ex Romani Pontificis adprobatione, an potius ex Ecclesiae consensione decretorum Romani Pontificis summa vis & ineluctabilis auctoritas derivetur: cui profecto illustrandae controversiae nihil omnino in iis veterum Patrum locis subsidii est, quibus adstruitur summa & indeficiens totius Ecclesiae cum Romano Pontifice consentientis auctoritas. Nam enim id inter, Catholicos agitur, sed quaeritur, quo ordine haec vis in Ecclesiae corpore propagetur: Nam Adversarii eam ea corpore ad caput, nos autem contra in universum corpus ex capite derivamus. Itaque nostrae an adversae opinioni magis faveant S. Hieronymi de Origenianae doctrinae damnatione testimonia, breviter expendendum est.

ARTICULUS UNICUS.

Quo sensu, auctore Hieronymo, Romam Theophilus liberaverit: Roma, statim atque Origenis dogmata perspecta habuit, illa exhorruit: S. Anastasius Orientalium Synodorum fidem & decreta firmavit, & Occidentales sibi in hoc negotio in divulse conjunctos & obsequentes habuit.

IN Origenis & libris & erroribus confingendis Alexandrinam Ecclesiam Sedi Apostolicae praeivisse, mirum esse non debet: Nam longe ante quam Urbem adflaret, Aegypti & Orientis Monasteria haec pestis invaserat. Siricium quidem Romanum Pontificem socordiae & negligentiae in Origenis sectatoribus profligandis & Ecclesia pelendis Baronius insimulat (*a*), queriturque, quod Rufino Roma discedenti communicatorias litteras dederit, quemadmodum S. Hieronymus testatur Epist. CXXVII. al. XVI. ad Principiam Virginem. Verum ab hac criminatione Sanctum Pontificem vindicant Florentinius speciali de hoc argumento dissertatione (*b*), Pagius (*c*), Tillemontius (*d*) & alii: qui

(*a*) Ad ann. CCCXCVII. num. XXIV.
(*b*) Ad diem XXVI. Nov. Exercit. XVI.
(*c*) Ad ann. CCCXCVII. num. XV. & seqq.
(*d*) Vit. Siric. art. V.

qui ex eodem S. Hieronymo probant, quod quum Rufinus communicatorias a Siricio litteras impetravit, nondum ejus errores satis innotuerant; idque tantum accidit sub Anastasio, licet penes Rufini & Melaniae familiares jam male sanae doctrinae suspicio invalesceret. Ita enim concilianda esse videntur, quae S. Doctor scribit laudata Epistola ad Principiam cum iis quae postmodum scripsit Epist. CXXX. al. VIII. ad Demetriadem. Nam Principiae scribens Marcellam laudat, quae *postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut Sacerdotes quoque & nonnullos Monachorum, maximeque saeculi homines in adsensum sui* (Rufinus) *traheret; ac simplicitati illuderet Episcopi* (Siricii) *qui de suo ingenio ceteros aestimabat, publice restitit; malens Deo placere quam hominibus*. Ac postmodum narrat, quod *cernentes haeretici de parva scintilla maxima incendia concitari; & suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse; nec posse latere quod multos deceperat, petunt & impetrant Ecclesiasticas Epistolas, ut communicantes Ecclesiae discessisse viderentur*. Haec paullo ante Siricii mortem contigisse Pagius observat (a), & Hieronymus ibidem aperte indicat. Nam statim subjungit: *Nec multum tempus in medio. Succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius*. Itaque ad usque Siricii extrema tempora, seu potius postremos dies nondum aperte Origeniana haeresis grassabatur; tumque Rufinus discessu ex Urbe & communicatoriis Romani Pontificis litteris sibi consuluit, quum classico insonante Marcella, probe intellexit, se suasque technas atque praestigias diutius latere non posse. Sub id autem temporis Siricius obiit: habuitque successorem Anastasium, de quo haec Hieronymus in altera Epistola ad Demetriadem: *Dum sanctae ac beatae memoriae Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum saeva tempestas simplicitatem fidei quae Apostoli voce laudata est, polluere & labefactare conata est*. Hic ad Anastasii tempora refert quod in Epistola superiori Siricii temporibus imputare videtur. Sed nulla est ἀντιλογία: nam clavum Catholicae Ecclesiae tenente Siricio nefaria doctrina de Orientis partibus Romam advecta, veluti scintilla cineri doloso supposita, nondum aperte saeviebat; neque in maximum incendium evasit, nisi quum mortuo Siricio ad Ecclesiae gubernacula Anastasius admotus est. Sed diu saevire & grassari non potuit: nam, ut eodem loco Hieronymus addit, laudatus Pontifex Anastasius, *Vir ditissimae paupertatis & Apostolicae sollicitudinis* STATIM *noxium perculit caput, & sibilantia hydrae ora compescuit*.

Peractam ab Anastasio errorum Originis sollennem damnationem alicubi Theophilo, alicubi vero Marcellae laudi vertit Hieronymus. Theophilo quidem iis verbis, quae ex Epist. LXXXVIII. al. LXXI. Bossuetius refert: *Vincentius Presbyter ante biduum, quam hanc Epistolam darem, de Urbe venit, & suppliciter te salutat, crebroque sermone conce-*

(a) Ad an. CCCXCVII. num. III.

lebrat, Romam & totam pene Italiam tuis post Christum epistolis liberatam. Verum laudata epistola ad Principiam hoc ipsum Marcellae vigilantiae fideique zelo & fervori tribuit, hancque illi gloriam potissimum vindicat. Postquam enim in locum Siricii successisse Anastasium memoravit, haec addit: *Dicas quid haec ad laudem Marcellae? Damnationis haereticorum haec fuit principium: dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, & postea ab haeretico fuerant errore correcti: dum ostendit multitudinem deceptorum: dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quae emendata manu scorpii monstrabantur: dum acciti frequentibus literis haeretici ut se defenderent, venire non sunt ausi: tantaque vis conscientiae fuit, ut magis absentes damnari, quam praesentes coargui maluerint. Hujus tam gloriosae victoriae origo Marcella est*. Quae quum omnia ad promovendam Origenianae doctrinae damnationem Marcella praestiterit, non minus profecto dici potest Romam & Italiam ab Origenis erroribus liberasse, quam Theophilus, qui ad hoc ipsum perficiendum suis Anastasium litteris excitavit; huc enim tandem redit ea, quam tantopere ex Hieronymo Theophili encomiaste Bossuetius jactat, Romae & Italiae per ipsum Theophilum liberatio; ut praeter adlatum Hieronymi testimonium, constat etiam ex nuper vulgata in novissima Operum S. Doctoris editione Veronensi, Sancti Anastasii epistola ad Simplicianum (*a*), de qua inferius sermo redibit.

Interim ex dictis colligere est, Origenianae doctrinae virus non adeo sese Romanis auribus & mentibus inservisse, quantum ex quibusdam S. Hieronymi locis, quibus ὑπερβολικῶς rem exaggerat, haud temere quispiam sibi forte colligere videretur. Ostendimus enim, quod quamdiu Siricius in vivis fuit, nefaria secta se palam prodere non est ausa: quum autem extremis ejusdem Siricii temporibus eam prodere, & palam traducere & arguere Marcella coepisset; *statim*, ut vidimus, Anastasius noxium caput efferentem percussit, & sibilantia hydrae ora compescuit, ut Sanctus ipse Hieronymus loco superius descripto testatur: qui etiam alibi tradit, quod Roma exorientem impietatem, & latine versis per Rufinum libris περὶ ἀρχῶν in publicum prodeuntem expavit, & adeo adversata est, ut Rufinus ad declinandam invidiam & imminentem tempestatem, satius duxerit statim ex Urbe discedere, & in eam nec vocatus redire, quam quos Romae Origeniani dogmatis mysteriis recens initiaverat, praesentia sua fovere sibique arctius obstringere: *Innocentem*, inquit ille Rufinum adloquens (*b*), *te vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit ..... Et tantum Romanae urbis judicium fugis, ut magis obsidionem barbaricam, quam pacatae Urbis velis sententiam sustinere*. Et paullo ante palam eidem Rufino denunciarat, quod frustra ad Romanam

(*a*) Tom. I. int. Epist. Hieronym. num. XCV.
(*b*) Lib. III. adv. Rufin. num. XXI.

nam fidem suis praestigiis decipiendam atque labefactandam adgressus fuerat (a): *Attamen scito, Romanam fidem Apostolico ore laudatam istiusmodi praestigias non recipere: etiam si Angelus aliter annunciet, quam semel praedicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari*. Sed ad Anastasium redeamus.

Conventus est Sanctissimus Pontifex non modo Theophili, verum & Hieronymi litteris, (b), ut Origenis libros & errores sollemni decreto configeret, quo nimirum Alexandrinae Synodi acta, & quaecumque alia in Oriente adversus Origenistas gesta fuerant, Sedis Apostolicae auctoritate confirmarentur: quod suum votum ad Pammachium & Marcellam scribens his Sanctus Doctor verbis aperit (c): *Praedicationem Cathedrae Marci Evangelistae Cathedra Petri Apostoli sua praedicatione confirmet: quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis haereticos persecutum: ejusque literae doceant, damnatum in Occidente quod in Oriente damnatum est; cui multos imprecamur annos, ut haereseos rediviva plantaria per illius studium longo tempore arefacta moriantur*.

„ Origenis erroribus, inquit eruditissimus Praesul Huetius (d), „ haereseos notam impressit Anastasius anno CCCC. Theophili studium imitatus, qui superiore anno (Cl. Pagius (e) anno tantum CCCCI. cum Alexandriae tum Romae Origenianos sollenniter damnatos fuisse demonstrat) „ in Alexandrina Synodo eosdem damnaverat. „ Statim vero dimissis in omnem partem nuntiis, Origenianorum errorum damnationem promulgat „ Anastasius; qua accepta iidem passim reprobati sunt. Ea de re disserentem audiamus Theophilum in „ epistola (*seu sermone*) ad quosdam „ Monachos, quam profert Justinianus in epistola ad Menam: *Igitur anathema dicentes in Origenem aliosque haereticos quemadmodum factum est a nobis, & ab Anastasio Sanctae Romanorum Ecclesiae Episcopo, qui ex veteribus certaminibus clarus, dux illustris populi creatus est, quem & omnis beatorum Occidentis Episcoporum sequitur coetus, Alexandrinorum Ecclesiae sententiam adversus impium latam suscipiens*. „ Hieronymus certe libro II. Apolog. cap. VI. praeter Anastasium & Theophilum, „ tradit Venerium quoque Mediolanensem Episcopum, & Chromatium Aquilejensem, Origenem subjectis sibi populis haereticum denuntiasse.

Profert laudata Huetio Hieronymi verba in praesenti capite Bossuetius, ex iisque colligit, quod ex consensione illa jam fidei firmitudo constet, quae sola ineluctabilis habeatur: eam consensionem, inquit, commendat Hieronymus: *Quod beati*

H 2

(a) Ibid. num. XII.
(b) Epist. LXXXVIII. al. LXXI. ad Theoph.
(c) Epist. XCVII al. LXXVIII.
(d) Origenianor. lib. II. cap. IV. Sect. I. num. XIX.
(e) Ad an. CCCCI. num. II. & seqq.

ti Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius, & omnis tam Orientis quam Occidentis Catholicorum Synodus pari sententia, quia pari & spiritu, Origenem haereticum denuntiant populis. En igitur, subjungit Adversarius, in consensione summa vis ac Spiritus Sancti testimonium. Et nos utique, ut saepe diximus, in consensione summam vim & Spiritus Sancti testimonium agnoscimus: quis enim Catholicorum hac de re digladietur? Attamen eam vim in capite primum contineri ac residere contendimus, ex eoque in universum Ecclesiae corpus derivari; hujusque nostrae doctrinae vindices & adsertores, laudatos Anastasium & Hieronymum nos habere gloriamur.

Operum S. Hieronymi editor Veronensis inter alia, quae ex Ambrosiano Codice vulgavit antea inedita Monumenta, dedit etiam inter Sancti Doctoris Epistolas numero XCV. nulli antea memoratas S. Anastasii litteras ad Simplicianum, de quibus consulesis in notis differentem doctissimum Editorem. In his porro Sanctissimus Pontifex Mediolanensem Episcopum convenit, monetque, Origenis blasphemias, impiaque ex ejus libris decerpta Capitula, quae scilicet Rufinus latina interpretatione donaverat, a se fuisse damnata: huic autem censurae Principis Apostolorum auctoritate prolatae omnino esse inhaerendum; denunciatque cum Apostolo anathema aliam invehenti doctrinam: *Conventus litteris memorati* (Theophili), *convenio Sanctitatem tuam, ut sicuti nos in urbe Roma positi, quam princeps Apostolorum statuit, & fide sua confirmavit gloriosus Petrus, ne quis contra praeceptum legat haec quae diximus, damnavimus, & cum magnis precibus postulavimus, ut Evangeliorum instituta, quae ex ore suo Dei & Christi docuit censura, ab hac recedi omnino non debere; sed illud in memoriam deduci quod Paulus venerabilis Apostolus praedixit atque commonuit:* Si quis vobis evangelizaverit praeter quod evangelizatum est vobis, anathema sit. *Igitur hoc praeceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostrae contrarium ab Origene quondam scriptum, indicavimus a nobis esse alienum atque punitum. Haec Sanctitati tuae scripsimus per Eusebium Presbyterum, qui calorem fidei gestans & amorem circa Dominum habens, quaedam capitula blasphemiae obtulit, quae nos non solum horruimus, & judicavimus, verum & si qua alia sunt ab Origene exposita cum suo auctore pariter a nobis scias esse damnata.* Similia occurrunt in ejusdem Sanctissimi Pontificis epistola ad Johannem Hierosolymitanum super nomine Rufini, ubi de iisdem Origenis erroribus differens, quos Latinis auribus Rufinus obtruserat; *Absit*, inquit, *haec ab Ecclesia Romana nequaquam Catholica disciplina: numquam profecto eveniet, ut aliqua hoc admittamus ratione quod jure meritoque damnamus.* Litteras ad Venerium hoc de argumento conscriptas Johannem hortatur ut legat, indeque perspiciat, quam merito sollicitus esset, ne noxiae doctrinae contagio latius serperet fideique simplicitatem constupraret. Tum subjungit, quod in eamdem curam sedulo incumbere perget, eamque

tam

tam late porriget, quam se diffundunt populi Apostolicae curae subjecti; qui utique haud aliis quam orbis universi terminis coërcentur: *Mihi certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei per quaeque spatia diversa terrarum diffusas quantum possim, litteris convenire, ne qua profanae interpretationis origo subrepat, quae devotas mentes immissa sui caligine labefactare conetur.*

Sanctissimi Pontificis votis ac vigilantiae optatus respondit eventus: ipsius enim de scriptis Origenis & erroribus judicium universus Oriens & Occidens amplexus est, ut saepe Sanctus Hieronymus adversus Rufinum jactat aci praedicat. Nam praeter loca superus laudata, duo hîc praeterea adferre libet, quibus id ipsum disertis conceptisque verbis testatur (a): *Si discipuli mei, ut scribis, tibi Romae insidias concitarunt .... quis Papam Theophilum adversus perduelles in Aegypto suscitavit? Quis Regum scita? Quis orbis in hac parte consensum?* Et rursum in eodem libro (b) *Eodem fervore, quo Origenem ante laudavimus, nunc damnatum toto orbe, damnemus. Jungamus dexteras, animos copulemus: & duos Orientis & Occidentis τροπαιοφόρους* (Theophilum & Anastasium) *alacri sequamur incessu.* Ne quis autem existimet, ideo Hieronymum Rufino Orientis & Occidentis ac totius Orbis consensionem objicere, quoniam in uno Romano Pontifice Romanaque Ecclesia non satis virium & auctoritatis inesse crederet ad certum & ineluctabile de fidei controversiis ferendum judicium, haec insuper Sancti Doctoris loca prae oculis habenda subjicimus.

Jactarat Rufinus, simplicitatis suae puram & apertam confessionem ab omnibus Italiae Episcopis fuisse susceptam. At quum ea Anastasio minime satisfecisset, imo eamdem veluti captiosam & ad purgandas injectas de ipsius fide suspiciones ineptam Sanctissimus Pontifex rejecisset, mirari se respondit Hieronymus (c), *quo modo probaverit Italia quod Roma contemsit, Episcopi susceperint quod Sedes Apostolica condemnavit.* Quibus verbis aperte significat, fieri minime potuisse, ut alios Episcopos Romanus Pontifex non obsequentes haberet, aut quod eorum judicia a judicio Sedis Apostolicae discreparent. Denique ne quis haec ad solos Italiae Episcopos Hieronymi sententia pertinere judicet hunc, tandem S. Doctoris locum expendat. Scripserat Rufinus sua in libros περὶ ἀρχῶν in latinam linguam transfusos celebri Praefatione, quod Hieronymus plura Origenis interpretando ita elimaverat omnia atque purgaverat, *ut nihil in illis quod a fide nostra discrepet, Latinus lector inveniat.* Haec verba expendens Sanctus Doctor (d) quaerit: Fidem suam quam vocet: *Eam ne*, inquit, *qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quae in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit; ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtulimus. Sin autem Origenis blasphemia, fides illius est; dum mihi inconstantiae crimen impingit, se haereticum pro-*

(a) Lib. III. adv. Rufin. num. XVIII. (b) Ibid. num. IX.
(c) Ibid. num. XV. (d) Lib. I. num. IV.

probat. Ille ergo Sancti Doctoris judicio Catholicus censendus erat, qui in hisce disputationibus Ecclesiae Romanae fidem profitebatur; haereticus vero, qui damnatos ab eadem Ecclesia errores Origenis defendebat. Quod certe non ad solam Italiam aut ad solum Occidentem coërceri potest; quum fieri non possit, ut quod in Italia vel in Occidente haereticum & blasphemum est, pium sit & Catholicum in Oriente.

CAPUT XIII.

„ Turbae post Chalcedonensem Sy-
„ nodum: de iis seorsim per En-
„ cyclicas epistolas Ecclesiae con-
„ suluntur: responsa mittuntur:
„ communi consensione quaestiones
„ finiuntur.

DE hoc argumento satis disputatum est Tomo superiori, quum de Chalcedonensi Synodo dissereremus; indeque peti facile possunt quae apta sunt Bossuetii in hoc Capite observationibus confutandis; quae vel maxime produnt nimium ejus studium ad omnia susceptae semel atque imbibitae opinioni accommodandum, quod Graece dicitur, τῇ ὑποθέσει δουλεύειν.

CAPUT XIV.

„ Sancti Simplicii Papae locus de
„ decretis Apostolicis irrefragabi-
„ libus Ecclesiae universalis as-
„ sensu.

FRustra Illustrissimus Adversarius in ea re stabilienda laborat, de qua nemo nostrûm ambigit, aut ullam quaestionem movet; nempe firma esse & inconcussa & ineluctabilis auctoritatis ea Sedis Apostolicae decreta, quibus universalis Ecclesiae consensus accessit. De hac re, ut saepe diximus, nulla inter Catholicos, sed tota cum haereticis concertatio est; in quos dumtaxat intorqueri debent, quae ex Simplicio profert in hoc Capite Meldensis Episcopus testimonia: haec enim nostro dogmati contraria non esse ex eo invicte conficitur, quod Simplicius in ea ipsa, quam Bossuetius laudat, Epistola quarta ad Zenonem Augustum utrumque adstruit; nimirum & irretractabiles esse fidei sanctiones, quas Sedes Apostolica tuetur *cum Ecclesiae universalis adsensu*; & nihilominus ipsam ex se firmam esse, indeficientem & ineluctabilem Romani Pontificis in solvendis sanciendisque fidei controversiis auctoritatem. Quid enim ad id adstruendum his excitata epistola laudati Pontificis verbis luculentius? *Perstat enim in successoribus suis haec & eadem Apostolicae norma doctrinae, cui Dominus totius curam ovilis injunxit; cui se usque ad finem seculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esset promisit; cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in caelo*.

CA-

CAPUT XV.

„ Sancti Gelasii locus in Epistola ad „ Episcopos Dardaniae.

Et ea quae ad hunc locum & Caput pertinent, ex superioribus peti debent, in quibus sunt omnia diligentissime pertractata, quae hic iterum ingerit ac refricat Illustrissimus Adversarius. Attamen temperare mihi non possum, quin adhuc paucis demonstrem, quam manifeste in alienum sensum Gelasii haec verba detorqueat: Sedem Apostolicam *congregatio quae illic* (Chalcedone scilicet) *collecta fuerat, est secuta*: *Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probaverat constare non potuit; sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit*. Ad quae verba observat Bossuetius, quod haec „ ad „ Sedis Apostolicae auctoritatem ideo „ referuntur, quod eam praeuntem „ Chalcedonensis Synodus sit secu„ ta: ut profecto constet, in eo esse „ vim maximam & ineluctabilem, „ quod Sedis Apostolicae judicia *Ec„ clesia tota susceperit*, habita quidem „ quaestione & nova discussione, ut „ ex gestis constitit. Ita Vir acutissimus ibi etiam perspicit subjectionem Sedis Apostolicae erga Ecclesiam universalem, ubi vel maxime & luculentissime ipsius Sedis Apostolicae in universam Ecclesiam auctoritas emicat ac principatus. Ipsa est enim, *quae*, ut in hac ipsa Epistola Gelasius docet, *& unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet*. Itaque Sedes Apostolica in Synodis generalibus confirmandis sui jura principatus exercet; neque in eo vis maxima & ineluctabilis constituta est, quod ipsius judicia Ecclesia tota susceperit: sed in eo potius quod Synodi acta ut suis judiciis consona Sedes Romana susceperit, suaque auctoritate firmavit; ut idem ipse Gelasius in Tomo de Anathemate de hoc eodem argumento disserens rotundis verbis adfirmat: *Totum in Sedis Apostolicae positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem*. Non ergo Sedis Apostolicae judiciis Ecclesiae consensus vim maximam & auctoritatem adjungit; sed potius Sedes ipsa Apostolica, Ecclesiae universae judicia probando, eis confert ineluctabilem firmitatem. Idque etiam ex adlatis ab Adversario verbis aperte conficitur: ideo enim Sedem Apostolicam Synodus Oecumenica secuta est, quoniam quemadmodum quod prima Sedes non probaverat constare non potuit; ita infirmari non potuit quod illa *pro suo principatu* censuit judicandum.

CAPUT XVII.

„ Propositio, *Unus Trinitatis crucifixus*, a Scythis Monachis Constantinopoli agitatur: Monachi Hormisdam consulturi pergunt: Professio Justiniani eadem de re Romanum Pontificem consulentis pro ejus infallibilitate objicitur.

IN hoc Capite, quo celebris controversiae status exponitur, haec tantum notanda occurrunt Illustrissimi Auctoris verba: „ Quaestione mota „ Scythae Monachi Romam profecti „ sunt Sedem Apostolicam ordine „ consulturi: eadem de re scribunt „ Justinus Augustus ac Justinianus „ tunc Comes domesticorum; atque „ hic Monachos ut inquietos ac turbulentos statim repelli petit, a „ Dioscoro persuasus. Mox ipsa re, „ ut videtur, gravius considerata, „ per alias litteras Hormisdam sic „ interrogat (a): *Quidam asserunt, Christum pro nostra salute crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari*. Quærit (b): *Quid sequi, quidve super hoc vitare debeamus, quoniam verba videntur facere dissensionem; nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur*. Subdit: *hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum*. „ Quae profecto, subjungit Bossuetius, ne statim ad Pontificiam „ infallibilitatem pertinere videantur, „ rei gestae narrationem ad finem usque expectandam monemus. Interim bona fide notamus quid nobis „ objiciant. Itaque ex hisce Justiniani verbis colligi non vult Illustrissimus Praesul summam esse & indeclinabilem Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis auctoritatem. Ne porro id gratis velle videatur, rei gestae narrationem ad finem usque expectare nos monet. Nos vero interim hunc locum urgebimus: quam autem ex eo feliciter sese Adversarius expediat, postea sedulo & accurate expendemus.

ARTICULUS UNICUS.

Justinus Augustus, Justinianus, Epiphanius Constantinopolitanus Patriarcha, ipsi Monachi Scythae, eorumque Fautores & Adversarii, Possessor Africanus Episcopus, & Ferrandus, hanc celebrem quaestionem de uno ex Trinitate passo, *ad Romanum Pontificem velut ad summum controversiarum fidei Judicem & arbitrum referunt, ab ejusque judicio pendent, nihil omnino deinceps retractaturi*.

IN ambiguis circa fidem quaestionibus relatum esse toto ex orbe ad Sedem Apostolicam; & quod illa definisset, etiam ante Synodum Oecumenicam, inconcussa fide in Catholicum dogma receptum esse; hoc, inquit Clarissimus Thomassinus (c), manifestissime exemplo patefiet. Quum in Orienite disceptaretur, an unus de Trinitate passus dici deberet, ea de re ad

(a) Epist. Justiniani ad Hormisd.
(b) Idem in al. Epist. ad eumd.
(c) Dissert. XVIII. in Synod. Rom. ann. 532. num. I.

ad Hormisdam relatio missa est a Justino Imperatore, Justiniano Comite, & Epiphanio Episcopo Constantinopolitano. Porro ita consultus est Pontifex, ut in eam, quam ille amplecteretur partem, omnes consensuros indubium esset. Id imprimis apertissime constat ex omnibus ferme Epistolis, quas Justinianus ad laudatum Pontificem de hoc negotio perscripsit: *Petimus*, inquit, *ut si est possibile, celerrimo dato responso, & satisfactis religiosis Monachis, Johannem & Leontium, ad nos remittatis: nisi enim precibus & diligentia vestra haec quaestio soluta fuerit; veremur, ne non possit Ecclesiarum sanctarum pax provenire. Ergo cognoscentes, quia & merces & periculum hujus rei vobis servatur, diligenter tractate, & firmissimum responsum per antelatos religiosos Monachos, si est possibile .... nobis remittite: in hoc enim solo omnis pendet intentio*. Potuitne disertius significare, ex sola Romani Pontificis potestate pendere, ut suis oraculis ac responsis controversias dirimat, dissensiones de medio tollat, pacemque Ecclesiis restituat? Vobis, inquit, & merces & periculum hujus rei servatur; hoc est, ex vobis pendet, ut vel invicem hac de re diffidentes omnia susdeque miscere pergant, vel ut pax Ecclesiarum efflorescat: in hoc enim solo omnis pendet intentio; hoc est, in te unum omnes intendunt, ad te respiciunt, tuaeque Sedis responsa velut oracula excipient. Nec minus diserte in alia de hoc argumento ad eumdem Epistola haec eadem illi significat, atque enixe petit; *ut plenissima*, inquit, *fidei perfectio doctrina Beatitudinis vestrae nobis proveniat*. Ac rursum: *Paterna provisione Reverentia vestra cautissimo suo rescripto quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur .... Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum*. Ac tandem Epistolam his verbis concludit; *Summo cum desiderio fidem Catholicam amplectentes, vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari*. Quae omnia in alio articulo accuratius expendemus.

Eodem modo erga Sedem Apostolicam affectum fuisse Justinum, patet ex alia ejusdem Justiniani ad laudatum Hormisdam Epistola: *Filius vester clementissimus Imperator, aeternitatis beneficio sceptra sortitus, fidei caussas arripuit explicandas, & ad tuam Sanctitatem missa legatione &c. Rogamus igitur .... ut caussam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum, quatenus omni scrupulo discordiarum sublato, pacis desideratae per orbem totum vincula renoventur, & venerandarum floreat Ecclesiarum concordia &c.* Et rursum in alia ejusdem argumenti ad eumdem Epistola: *Postquam regnavit Dominus noster clementissimus Imperator, per omnes ad Italiam venientes direximus literas, Apostolatum tuum rogantes sicut decebat ... Dignetur ergo Sanctitas tua ... sic omnia ordinare, ut nihil ultra remaneat ambiguum ... sicut ille* (Magnus Leo) *scripsit Leoni* (Augusto) *ita & vos omnibus amputatis dubitationibus, perfectas pacificasque paginas ad invictissimum Principem filium vestrum rescribere .... Ostendat ergo tuus Apostolatus, quod Petro successit Apostolo; quoniam Dominus a vo-*

a vobis utpote Summis Pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia. Nos etenim finitis Capitulis, de quibus scripta suscepistis, ultra non patiemur a quoquam controversiam religionis in Republica nostra moveri, nec vestram Sanctitatem convenit audire superfluas contentiones. Itaque Imperatoris nomine Pontifex rogabatur, ut Apostolica definitione controversiam dirimeret; quo nihil dubitationis relinqueretur in posterum, nihil ultra remaneret ambiguum, nihil praeterea retractandum; ac proinde ut ipso auctore pacis foedera per universum orbem renovarentur, & Ecclesiarum concordia efflorescerct ac firmaretur. Paria suis quoque ad Pontificem litteris Imperator ipse profitebatur: nam de eadem controversia verba faciens. *Destinabitur*, inquit, *a nobis quidam ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus & insinuandas vobis supplicationes, quae nobis oblatae sunt, & responsum pietatis vestrae referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruae.* Et rursus in alia ad eumdem Epistola de hoc eodem aliisque capitulis agens, ac speciatim de nominibus quorumdam Acacianae partis Episcoporum; *Omnis autem*, inquit, *finis negotii vestro jam tantum pendet arbitrio, ut solus pacem concludere debeat, qui prima rei commovit exordia.* Denique idem piissimi Imperatoris erga Sedem Apostolicam studium Pontifex ipse testatur Epistola LXXIX. qua superioribus Justini de hoc negotio litteris respondet: *Inter ea, quae ad unitatem Ecclesiae pertinentia .... in literas contulistis, haec quoque, venerabilis Imperator, cura fidei, cui multipliciter vos studere declaratis, adjecit, ut aliquorum preces perferendae ad humilitatis nostrae notitiam jungerentur: quibus vel quid quaestionis oriretur agnoscerem; vel ad submovendam propositae consultationis ambiguum, responsum a me religiosae scientiae conveniens redderetur.* Ex quibus omnibus satis, ut mihi videtur, aperte constat, consultum fuisse de hac celebri controversia a Justino & Justiniano Romanum Pontificem tamquam supremum controversiarum fidei arbitrum & judicem, qui suis oraculis ac responsis finem ejusmodi controversiis imponeret, cujus ineluctabilis auctoritas dissidentes per universum orbem Ecclesias ad pacem & concordiam revocaret, denique post cujus judicium, nihil ultra penderet aut superesset ambiguum, nihil retractandum.

Eamdem quoque mentem induerant, eosdemque de Apostolica auctoritate sensus imbiberant ipsi Monachi Scythae, qui hoc in Oriente permolestum importunumque dissidium excitarant, & quibus quum Romam pergerent, haud alia mens ac propositum fuit, quam ut certo e Sede Petri elicito responso suos Adversarios opprimerent, ac veluti parta victoria profligatisque hostibus in Orientem reduces triumphos agerent. Quod Johannes Maxentius in Responsione ad Epistolam Hormisdae conceptis verbis fatetur: *Pro hac sola sententia Scytharum Monachos constat ad Romanum fuisse profectos Episcopum, sicut omnibus Catholicis notum est, non solum in hac Regia urbe, verum etiam in uni-*

universa Italia: queriturque de Hormisda, quod *devia vitare volentes, iter per quod graderentur, noluit edocere*. Quaerebant ergo in Romano Pontifice ducem, quem tot inter anfractus tuto & sine periculo errandi vel a fide ac professione Catholica deflectendi sequerentur: non enim accidere posse credebant, ut Romanus Pontifex a veritatis & fidei semita vel paullulum declinaret. Hinc idem eodem loco Maxentius: *Absit, ut ex qualibet parte Catholicae professioni Romanus Pontifex contradicat.* Quae Maxentii verba Cl. Norisius expendens (a), ait: quod non raro veritas invito pectore erumpit; additque ex Thomasino (b), hac propositione nihil certius, nihil constantius dici; ex eaque legitime inferri: nunquam contigisse, nunquam fore, ut contingat Romanum Episcopum a sententia universae Ecclesiae deviare. Tum subjungit: Hanc praeclaram Maxentii pro Romani Pontificis in definiendis fidei dogmatibus infallibilitate sententiam, non testimonii, sed confessionis loco recipio.

Epistola Hormisdae, cui Maxentius respondet, ad Possessorem Episcopum data fuerat, qui ex Africa cum ceteris Catholicis Episcopis a Thrasamundo Rege Ariano pulsus, Constantinopoli tum temporis versabatur, & contrariam Monachis Scythis factionem sequebatur. Scribit enim in eodem libro Maxentius: *Possessorem non solum non confiteri, Christum Filium Dei vivi unum ex individua Trinitate, sed & adversari eis qui hoc fiducialiter confitentur, atque infideles & perfidos nefanda accusare temeritate*. Quamquam autem ita privatim laudatus Episcopus de Monachis Scythis eorumque opinione statuebat; attamen & ipse hujusce & alterius controversiae de Fausti Rejensis libris Constantinopoli tum temporis excitatae veluti supremum arbitrum Romanum Pontificem consulebat; ut ex hisce ejus verbis ad Hormisdam scribentis compertum est: *Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Qui enim majorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas exspectanda, quam ab ejus Sedis Praeside, cujus primus a Christo rector audivit*: Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam? *Arbitror vestram Beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitana urbe Ecclesia laboret insidiis, & ad morem veteris morbi insaniem vulnus iterum quaerat erumpere quod obductum creditur cicatrice*. Fidei nutantis soliditas a nullo magis exspectanda quam a Romano Pontifice, quoniam ipse petra illa est, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam; nunquam autem perituri aedificii firmum esse oportet & immobile fundamentum.

At nullum magis molestum ac fervidum Monachi Scythae experti sunt Adversarium, quam Dioscorum Diaconum Sedis Apostolicae in Urbe regia legatum. Hic scribens adversus praedictos Monachos Hormisdae Papae suggesserat, ut nullum eis aliud res-

(a) Apolog. Monach. Scyth.
(b) Dissert. XVIII. in Synod. Rom. ann. 532 num. VII.

responsum daret (a) : *Nisi : sufficit sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliae Synodi continentur : sufficiunt Epistolae Papae Leonis, quas Synodus confirmavit : novitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus*. At quum eum ejusque fidem inquieti Monachi apud Hormisdam in suspicionem adducere excogitassent, hujus rei certior factus Dioscorus, suae de Trinitatis & Incarnationis Mysteriis fidei professionem in altera ad eumdem Pontificem suggestione transmisit : in qua eam quidem propositionem, *Unus ex Trinitate passus est*, praetermisit ; paratum se tamen ostendit, si Pontifex juberet, ad eam sine ulla cunctatione adoptandam (b) : *Ista didici, Ista audivi a Majoribus nostris : & si forte extra ista quid debeamus sequi ignoro, exponente beatitudine vestra, necesse est me sequi*.

Quum litteras ad Possessorem, non quales Monachi vellent, Hormisda dedisset, imo quibus eos veluti pertinaces, contemtores auctoritatum veterum, & novarum cupidos quaestionum traducebat, necnon aliis turpissimis notis tetrisque coloribus designabat; hinc qui Monachis adversabantur, veluti parta victoria profligatisque hostibus triumphum canere, Monachos per hominum ora traducere, adsertamque ab iis tantoque hactenus partium studio vexatum propositionem, tamquam Romani Pontificis auctoritate proscriptam, palam & incunctanter exsibilare. Testatur haec Maxentius in sua litterarum Hormisdae confutatione : *Nam & ipsi haeretici* (hoc ille nomine suos & Scytharum Monachorum Adversarios designat) *ad hoc ubique hanc ipsam, cui respondimus, Epistolam proferunt, quatenus, & saepe dictis Monachis invidiam concitent, & omnes quasi ex auctoritate ejusdem Romani Episcopi prohibeantur, Christum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate*. Monachi vero, quamquam Hormisda caussam comperendinante, morarum impatientes ex urbe recesserint ; quamquam laudatum Pontificem non admodum sibi propitium experti essent ; ac demum quamquam post eorum discessionem eas ad Possessorem litteras dederit, quibus acriter in illos invectus est, eosque tantum non haereticos appellavit : attamen, ut Cl. Norisius (c) observat, non alia tribunalia adiisse leguntur, quod sciebant Sedem Apostolicam esse supremum Orthodoxorum tribunal. Unus Maxentius in eam Hormisdae epistolam calamum strinxit, atque ut invidiam declinaret, ac licentius contra illam debaccharetur, malo aemulorum dolo Hormisdae adfictam effutiit ; veritus nimirum aperte Sedis Apostolicae Praesuli refragari. Imo nullum non lapidem movit, ut persuaderet, propositionem de qua disceptabatur, nunquam Hormisdam velut haereticam confixisse : *Nunquam enim*, ut ipse observat, *Scytharum Monachos, quos non simplici sermone sed etiam scriptis Christum Filium Dei unum*

(a) Suggest. Diosc. post Epist. LXV. Hormisdae.
(b) Suggest. ejusdem post Epist. LXVII.
(c) Apolog. Monachor. Scyth. cap. II. §. IX.

unum ex Trinitate noverat confiteri, per quatuordecim pene menses, quamdiu eos ibi detinuit, communicare sibi permisisset, si ut haeretici (hoc est eorum Adversarii) *volunt, hanc praedicationem Catholicae fidei contrariam judicaret*. Quin & adjungit, quod eamdem propositionem tamquam Catholicam idem Pontifex coram idoneis testibus adprobaverat: *Qui etiam ut se a pravitate proprii Legati purificaret, multis idoneis Viris praesentibus, Romanum Virum gloriosum Magistrum militum deprecatus est, quatenus sua verba piissimo Imperatori insinuaret, quae hujusmodi fuere*; „ Nisi Christum Filium Dei, qui pro nobis passus est in carne, unum esse ex sancta & individua Trinitate fuerit confessus Dioscorus, pelago demergatur. Ita, ut recte Cl. Thomassinus animadvertit (*a*), utrimque ambiebatur consensio Romani Praesulis, ut omnes *quasi ex auctoritate Romani Episcopi* frangerentur; atque ut adserta a Monachis propositio pro ipsius nutu vel tamquam Catholica obtineretur, vel tamquam haeretica exploderetur. De Ferrando Diacono ad caput sequens commodius aliqua disseremus.

CAPUT XVII.

„ Viri boni sanctique consulendos
„ docent per orbem terrarum
„ Episcopos: Quaestionis finem
„ ab Ecclesiae universalis autori-
„ tate exspectandum.

PRo pluribus bonis sanctisque Viris, quos tanquam sibi faventes in epigraphe Meldensis Episcopus jactat, unum tandem Ferrandum Diaconum in ipso Capite obtrudit, qui a Severo Scholastico Constantinopolitano rogatus, quid de hac quaestione, quae magna animorum contentione inter Ecclesiasticos tractabatur, ipse sentiret; jussit interrogari non se quidem, verum eos quibus honor Sacerdotii docendi auctoritatem tribuit: *Interroga*, inquit (*b*), *principaliter Apostolicae Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diversa terrarum loca Pontifices, quibus scientia caelestium praeceptorum divinitus inspirata famam grandem sui veneratione collegit*. Hos quidem omnes, subjungit Adversarius, interrogandos monet, sed *principaliter Romanum Pontificem*. Ceterum post quaestionem diligentissime pertractatam, quo tandem loco certissime figat pedem, his verbis explicat: *Unde desistendum a contentionibus reor; exspectandum potius persuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam, donec universa-*

(*a*) Differt. XVIII. in Synod. Rom. ann. 532. num. VII.
(*b*) Epist. ad Sever. Scholastic. num. I.

versalis Ecclesiae auctoritate vel pronuncietur suscipienda , vel prodatur abjicienda . En , inquit Bossuetius , rebus in dubiis animisque vehementi contentione suspensis , quo refugere consuevissent . En unde certissimam atque irretractabilem exspectarent sententiam &c.

Verumenimvero nullo alio auctore clarius & evidentius demonstrari potest , quam haec duo recte cohaereant ; nimirum & firmissimas esse universalis Ecclesiae de fide sanctiones , & nihilominus earum immobilem firmitatem ex Romani Pontificis judicio & adprobatione pendere ; cujus proinde potiori jure indeclinabilis & ineluctabilis sit auctoritas . Nam agnoscit quidem Ferrandus inesse Conciliorum generalium decretis robur invictum ; quod nemo sane Catholicorum in controversiam vocat ; attamen eorum vim ex eo repetit , quod Romanorum Pontificum adprobatione & auctoritate firmentur . Id ille passim inculcat in Epistola ad Romanae Ecclesiae Diaconos , Pelagium qui postea Romanus Pontifex fuit , & Anatolium . Ita cap. IX. loquens de statutis in Synodis generalibus editis ; *Sufficere* , ait , *ad plenam* eorum *confirmationem* , *si perducta in notitiam totius Ecclesiae* , *nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus* , *sed Apostolicae fidei convenire firmentur*, *Apostolicae Sedis roborata consensu* . Quibus aperte docet , istiusmodi decretorum robur ex Romani Pontificis consensione & confirmatione pendere ; ut suprema in definiendo auctoritas atque infallibilitas (ut haec verba expendens inquit [a] Cardinalis Norisius) ex Apostolica Sede derivet , atque in ea sola resideat . Ibidem cap. VI. scribit , quod si quispiam a judicatis in Synodo Chalcedonensi ad majora judicia provocaret ; *Appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret* . *Sed quo iret ? aut ubi majores reperiret in Ecclesia judices ? ante se habens in Legatis suis Apostolicam Sedem* ; *qua consentiente* , *quidquid illa definivit Synodus accepit robur invictum*. Nempe , subjungit laudatus Cardinalis , a Synodo Chalcedonensi nullus poterat appellare , quoniam Apostolica Sedes , ad quam solam a Synodis potest provocari , per suos Legatos Synodalibus decretis consenserat ; quo plane consensu Synodus invictum robur accepisse Ferrando dicitur ; ut sine eodem magnam quidem auctoritatem alias habuisset , at non invictam, a qua non potuisset appellari.

Sed nihil ad rem nostram aptius desiderari potest his quae idem Carthaginensis Diaconus in eadem Epistola cap. VII. sequentibus verbis docet : *Universalia Concilia* , *praecipue illa* , *quibus Ecclesiae Romanae consensus accessit* , *secundae auctoritatis locum post Canonicos libros tenent* . Et rursum : *Quae finiuntur judicantibus Episcopis sanctis* , *& ad Beati Petri memoriam perducta* , *diligentius examinantur atque firmantur* , *sequenda sunt* , *tenenda sunt* , *amplectenda sunt* , *in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent* . En rebus in dubiis animis-

(a) Hist. Controver. *De uno ex Trinitate passo* cap. IX.

misque vehementi contentione suspensis, unde certissimam atque irretractabilem sententiam exspectandam esse, Ferrandus docet; nimirum ex Sedis Apostolicae auctoritate, quae ipsis Conciliorum generalium decretis diligentius, si ipsi libitum ac visum fuerit, examinatis ac retractatis summam adjiciat & indeclinabilem firmitatem.

Hinc autem facile intelligitur, quae sit vis illorum verborum, quibus idem celebris Auctor Severum Scholasticum monet, ut de mota per Scythas Monachos controversia *interroget, si quid veritatis cupit audire, principaliter Apostolicae Sedis Antistitem*: deinde vero *plurimos per diversa terrarum loca Pontifices*. Non enim sensus est, quod nisi Episcoporum consensus accesserit, aut fuerit exploratus, firmum haberi non possit de controversa veritate judicium; quum hoc ipso loco disertis verbis adfirmet, quod Romani Pontificis doctrina *constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis*. Quippe sciebat, ut haec verba illustrans Norisius ait, Apostolicae Sedis infallibilem in definiendis controversiis de rebus ad fidem spectantibus auctoritatem. Attamen sua non carebit utilitate, nec jucundum esse non poterit perspicere in aliqua re adstruenda concentum capitis & membrorum; adeoque praeter Apostolicae Sedis Antistitem & plurimos consulere per diversa terrarum loca Pontifices: sed horum tamen judicia tum demum retractationi obnoxia non sunt, quum ad Beati Petri memoriam perducta, ac diligentius examinata, Romani Pontificis auctoritate firmantur.

CAPUT XVIII.

„ S. Hormisdae epistola ad Possessorem, qua Scythae Monachi condemnantur: illi Ecclesiae Catholicae sententiam exspectant: eorum propositio vincit, non nisi Ecclesiae universalis consensione quaestioni finis imponitur.

Tota Illustrissimi Auctoris in praesenti Capite disputatio in eo versatur, quod quamquam *omnes facile crediderunt* Hormisdae epistola ad Possessorem *Monachorum proscriptam esse propositionem*; attamen ea tanti Pontificis epistola haud prohibuit, quominus Catholici ubique terrarum, ac praesertim in Oriente, adversus Nestorianos propositionem inculcarent. Denique adeo valuisse universalis Ecclesiae in Monachorum opinionem concedentis auctoritatem, ut etiam ante Romani Pontificis adprobationem in certum dogma recepta sit, cui nemo nisi *Judaice & apostatice* contradicat: adeoque non Sedis Apostolicae oraculo, sed Ecclesiae consensu finem impositum fuisse permolestae ac difficili contentioni. Haec summa est argumenti, quod in hoc Capite Meldensis Episcopus urget: quod quanti valeat, jam est nobis accuratius expendendum.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Neque Hormisda reapse damnavit, neque omnes facile crediderunt, ab eo fuisse damnatam Scytharum Monachorum propositionem.

Epistola Hormisdae ad Possessorem, qua, ut est Meldensi Episcopo animadversum, *omnes facile crediderunt, Monachorum proscriptam esse propositionem*, data dicitur Idibus Augusti anno DXX. Quare ex iis, quae postmodum in hac caussa gesta scriptaque sunt, colligere oportet, an reapse eam Monachorum propositionem Hormisda proscripserit; aut saltem ab eo fuisse proscriptam facile omnes crediderint. Haec autem insignis temporum Metator Cardinalis Norisius ita distribuit (a).

Quum Legati a novo Patriarcha Epiphanio Romam destinati, ob unius aegritudinem longiores Constantinopoli moras facere cogerentur, ac Legati Hormisdae jam ex Regia urbe Romam profecti essent, Justinus Imperator Eulogium Tribunum ac Notarium, quae insignis erat dignitas Palatina, in Italiam ad Theodoricum Regem Gothorum mittens, eidem litteras ad Hormisdam scriptas tradidit, quarum initium est: *Dum beatissimum Germanum &c.* quibus significabat, se discedentibus Legatis Pontificiis insinuasse: *quod Capitula, quae ad perfectam Ecclesiarum unitatem pertinebant*, Johanni Episcopo, qui jamdiu aegritudine detinebatur, ipsius *Apostolatui* exhibenda tradiderat. Eorum autem Capitulorum alterum controversiam spectabat de uno ex Trinitate a Scythis Monachis excitatam. Data est Epistola die 31. Augusti eodem anno DXX. Addidit suas quoque litteras Justinianus, quarum exordium: *Quanta reverentia &c.* quibus Pontificem rogans ait: *Postulamus enixius.... ut nobis tam de sermone, de quo vertitur controversia, nempe de uno ex Trinitate, quam de nominibus Episcoporum sub Acacio defunctorum*; (quae duo sunt Capitula, de quibus in mox laudatis Imperatoris litteris sermo est) *per Eulogium Virum sublimem Tribunum & Notarium dignetur Apostolatus vester integrum indubitatumque destinare responsum*. Eulogius maximis itineribus celerans, Romam Kalendis Octobris advenit, ac utramque Epistolam Hormisdae tradidit.

Quum paullo post Eulogii discessum Johannes Episcopus convaluisset, & cum Collegis ad iter Romam versus se compararet, Imperator suum quoque Legatum Gratum Magistrum Scrinii Ecclesiasticis Legatis adjunxit, cum litteris ad Hormisdam, quarum initium est: *Quo fuimus semper &c.* Pontificem unum & alterum rogat. Imprimis petit, ut damnatis Acacio, Petro Fullone &c. ceterorum Episcoporum, qui durante schismate e vita decesserant, nomina in diptychis suarum Ecclesiarum recitari possent, quemadmodum hactenus recensiti fuerant: Deinde ait, preces sibi ab Orientis Clericis ac Monachis porrectas cum inserta fidei ipsorum Professio-

(a) Hist. Controvers. *de Uno* &c. cap. VIII.

fessione: *Hanc itaque*, inquit, *Chartulam secundum nostra promissa per Johannem Episcopum dirigendam vobis in praesenti merito credimus, ut a vestra Sede etiam tenor ejus admissus, ad colligendas proficiat & adunandas ubique venerabiles Ecclesias, & Hierosolymitanam praecipue &c.* Data est Epistola Chalcedone Idib. Septembris eodem anno DXX. Annexum habuit libellum Orientalium, qui Epistolae Justini subiectus est; in quo non semel ejusmodi effatum occurrit: *Dominus noster Jesus Christus unus est ex sancta & unius essentiae Trinitate.* Justinianus oblata memoratae legationis Romam destinatae occasione usus, iterum ad Hormisdam scripsit epistolam sub exordio: *Quantam venerationem religionis &c.* Legatos Epiphanii Hormisdae commendat, ac praeterea adjungit; ut *habitis orationibus placataque divinitate, sic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultra remaneat in ambiguo. Nobis enim videtur, quoniam Filius Dei &c. recte dicitur unus in Trinitate &c.* Epiphanius Patriarcha Synodicam de more ad Hormisdam mittens, alteram ad eumdem epistolam iisdem Legatis tradidit. Illius initium est: *Quantam habuimus alacritatem &c.* Scribit de recitandis nominibus Episcoporum &c. ac de oblatis ab Orientalibus precibus Imperatori cum annexo libello fidei. Legati tardius Romam pervenere; siquidem laudatae Justini & Epiphanii litterae signantur acceptae pridie Kal. Decembris Rustico Consule, id est anno DXX.

Has in Orienti litteras datas esse, antequam Hormisdae ad Possessorem epistola Constantinopolim perveniret, subindeque ex iis colligi non posse, minime creditum Justino Augusto, Justiniano Comiti & Epiphanio Patriarchae proscriptam non fuisse ab Hormisda Monachorum propositionem, haud equidem inficiamur. Attamen perspicue ac dilucide constat, eam reapse non fuisse proscriptam. Hormisdas antequam Legati advenirent, breviorem ad Justinianum epistolam miserat, quae incipit: *Quod celsitudo vestra &c.* qua commendata illius in Ecclesia defendenda sedulitate, significat se promissos Legatos avide exspectare, ut omnibus quae in controversia erant ab iisdem intellectis, postea quid ex re Catholica foret, publico decreto statueret: *Quamquam & clementissimus Imperator & vos promittatis legationem esse venturam, & id cum ratione convenerit, ut eorum qui dirigendi sunt super omnibus nos decuerit exspectare praesentiam &c.* attamen propositae quaestioni de uno ex Trinitate interim haec pauca respondit: *Non gravat praelibare dicendo: Non opus, ut stabilitatem fidei vestrae contentionis potius quam rationis sequaces procaci verborum novitate confundant.* Non ait Hormisdas, se jam de proposita quaestione in Epistola ad Possessorem peremtorium tulisse judicium, ex eaque discendum quid de hac re Ecclesia Romana sentiret: Neque Monachorum sententiae ullam haereseos notam inurit, sed procacis verborum novitatis elogio illam insignit, quod ea loquendi formula, ut Norisius observat, erat Latinis incognita. Legati exeunte Novembri Romam in-

greſſi, Imperatoris & Patriarchae litteras Hormiſdae tradidere, qui iiſdem lectis, ac Legatis non ſemel auditis, varias in partes trahi coepit, dubius ne permittens in ſacris tabulis recitari nomina Epiſcoporum, qui in Acaciano ſchiſmate obierant, Eccleſiae legem infringeret; neve adprobans inculcatam ſibi tot Epiſtolis a Juſtiniano theſim de uno ex Trinitate, Latinorum aures offenderet. Hinc de utraque difficultate ſaepius conſultans, reſponſum in quartum uſque menſem diſtulit. Juſtinianus autem, qui ſe totum in eam controverſiam immerſerat, tamdiu dilatae ab Hormiſda reſponſionis impatiens, iteratas ad eumdem litteras miſit, quae incipiunt: *Diligenter Apoſtolatus veſter &c.* Scribit Imperatorem ſeque pariter omnem operam reparandae religioni impendiſſe, atque eam ob rem perficiendam, Legatos in Urbem miſiſſe; videlicet: *ut integrum componeretur de Capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur: Sed ingnoramus, quae difficultas provenerit, ut minime ſopirentur hactenus ea, quae videntur eſſe leviſſima.* Epiſtolam concludens ait: *Modis omnibus feſtinare dignemini.* Caret Epiſtola temporaria nota; attamen extra controverſiam eſſe videtur, ſcriptam fuiſſe poſtquam Hormiſdae ad Poſſeſſorem litterae Conſtantinopolim pervenerunt, & in Regia urbe pervulgatae ſunt. Pertinet enim Juſtiniani Epiſtola ad novum annum DXXI. nec enim data eſt, niſi poſtquam Juſtinianus intellexit, Legatos, qui ſuperiore anno exeunte Romam appulerant, poſt longam in Urbe moram nullum adhuc a Pontifice reſponſum accepiſſe. Porro tantum abeſt, ut Juſtinianus facile crediderit, Hormiſdae ad Poſſeſſorem litteris Monachorum proſcriptam eſſe propoſitionem, ut eum excitet & hortetur ad eamdem ſollenni Sedis Apoſtolicae judicio quantocius adprobandam.

Hormiſdas rebus accurate perpenſis, die demum XXVI. Martii anno DXXI. tres Epiſtolas ſubſignavit, quarum unam & alteram ad Imperatorem, tertiam ad Epiphanium Patriarcham perſcripſit. Quae dubio procul ad novum Conſulem datae erant litterae interciderunt. Prior ad Juſtinum Epiſtola eſt LXXVIII. in qua de nominibus Epiſcoporum in Diptychis recitandis agit. In altera Epiſtola LXXIX. laudat Imperatorem, quod voluerit, *ut aliquorum*, inquit, *preces perferendae ad humilitatis meae notitiam jungerentur; quibus vel quid quaeſtionis oriretur agnoſcerem; vel ad ſubmovendum propoſitae conſultatationis ambiguum, reſponſum a me religioſae ſcientiae conveniens redderetur.* In illis autem precibus continebatur profeſſio fidei Orientalium cum ter inſerta propoſitione de Uno ex Trinitate, ut ſupra inſinuabam. Enimvero Pontifex ibidem tradit, haereſes Neſtorii atque Eutychetis contrariis quidem erroribus, ſed pari impietate contextas, a Synodis tam valide confutatas, ut nil efficacius adverſus eaſdem a quoquam adduci poſſe videretur. Revolvenda eſſe Synodica decreta & Magni Leonis Epiſtolas; tum ſubjungit: *Quid ergo poſt illum fontem fidelium ſtatutorum, quid amplius (ſi tamen fidei terminum ſervat) quamlibet curioſus ſcrutator inquiras, aut opere aut inſtitu-*

tione perfectius ? Nisi forte mavult quisquam dubitare quam credere ; certare quam nosse ; sequi dubia quam servare decreta . Quibus verbis sententiam ab ipsis Legatis ante biennium de Monachorum propositione prolatam , confirmavit ; nempe sufficere Synodum Chalcedonensem ac S. Leonis Epistolas , nihilque insuper vetustis formulis adjiciendum . Eadem die rescripsit etiam Epiphanio Patriarchae epistol. LXXX. quae inserta etiam legitur Actione V. Synodi Constantinopolitanae sub Menna . Narrat , se accepisse libellum professionis fidei Hierosolymitanorum sibi ab Imperatore transmissum . Nihil inquit adjiciendum definitis a Patribus , ac praesertim a Synodo Chalcedonensi , a qua haereses Nestoriana & Eutychiana oppressae sunt . Additque : *Haec si quemadmodum a Patribus constituta sunt , servant ; credant , nec definita transcendant : a quo tramite qui declinant , ipsi sibi nebulam dubitationis offundunt . Nobis autem illud Apostolicum contentiosis respondere necesse est :* Nos hanc consuetudinem non habemus , neque Ecclesia Dei &c. *Et quia de Hierosolymitanorum propositione respondimus &c* Insinuat se ea de propositione ; *Christus est unus e Trinitate* ; toties a Hierosolymitanis inculcata prolixius ad Imperatorem scripsisse . Ex quibus patet , Hormisdam in eadem sententia stetisse , nec unquam tot Justiniani litteris inde dimoveri potuisse . Quum enim instarent , ut thesis de uno ex Trinitate , quae ter in laudata professione fidei legebatur, ab Apostolica Sede adprobaretur, Pontifex contentiosis illam Apostoli ad Corinthios sententiam reposuit . Non haereticos , non schismaticos , sed *contentiosos* dixit , quod tot dissidia ac lites pro vocum novitate inculcanda, Catholico passim orbe disseminassent . Quare nec iis epistolis acceptis , Justinianus aliique Orientales facile crediderunt , Monachorum proscriptam esse propositionem , aut controversiam supremo Sedis Apostolicae judicio terminatam , ut constat ex Justiniani litteris ad Johannem II. de quibus in sequenti articulo dissSeremus .

Interim autem breviter demonstro , neque in Occidente omnes facile credidisse , proscriptam aliquando fuisse ab Hormisda eam Monachorum propositionem . Quod certe luculentissime constat ex Ferrandi Diaconi laudata superiori Capite ad Severum epistola . Quamquam enim annus , quo illa epistola scripta est ignoratur ; attamen post Hormisdae obitum scriptam esse , ex eo colligit Cardinalis Norisius [a] , quod jam tum esset Ferrandus Carthaginensis Ecclesiae Diaconus ; neque Africani Episcopi nisi anno DXXIII. ab exsilio Carthaginem redierint . Quum autem in illa Epistola Severum Ferrandus hortetur , ut si quid veritatis audire cuperet , de mota in Oriente controversia *principaliter Apostolicae Sedis Antistitem* interrogaret ; palam est, non facile credidisse Ferrandum , Monachorum ab Hormisda proscriptam esse propositionem . Idem etiam constat ex altera ejusdem Ferrandi ad

(a) Hist. controv. *de uno &c.* cap. VIII.

Anatolium epistola. Nam quum eadem quaestio post Hormisdae mortem litigiosas inter doctos disputationes Romae subinde excitaret, Anatolius Romanae Ecclesiae Diaconus ea de controversia Ferrandum consulit, qui prolixam epistolam rescribens, universam quaestionem summa eruditione penitus profligavit. Nulla ea epistola Chronologica nota insignitur, ex qua annus quo scripta fuerit innotescat. Arbitratur tamen laudatus Cardinalis Norisius, exaratam fuisse, priusquam anno DXXXV. Johannes II. Apostolico decreto diuturnioribus illis controversiis finem imposuit. Nam neque de propositionibus a Summo Pontifice in fidei dogmata adscriptis Romae inter Viros doctos disceptatum fuisset; neque Anatolius Romanae Ecclesiae Diaconus veluti de rebus dubiis cum Ferrando consultasset; neque hic rescribens Pontificiam sanctionem, quae nullum deinceps dubitationi locum dabat, silentio praetermisisset. Quae doctissimi Cardinalis rationes aeque suadent, quod neque Hormisdas eam quaestionem ante finierat, neque in Occidente facile creditum, Monachorum propositionem fuisse ab ipso proscriptam.

ARTICULUS II.

Controversiae de uno ex Trinitate passo *finis non ante impositus fuit, quam ea Propositio sollenni decreto a Johanne II. Romano Pontifice probaretur.*

UT hujusce theseos probatio debita luce donetur, operae pretium erit paucis exponere variam, ut ita dixerim, adsertae a Monachis Scytis propositionis fortunam: inde enim perspicue luculenterque constabit, quo tandem pacto, seu cujus tandem auctoritate in fidei dogma suscepta sit. Verum & in hujusce rei narratione pertexenda laborem nostrum levabit Eminentissimus Cardinalis Norisius in adcuratissima Historia Controversiae *de Uno ex Trinitate passo*, ubi per plura Capita hac de re diligentissime differit.

Primus illius enunciationis Auctor fuisse perhibetur S. Proclus primum Cyzicenus, deinde Constantinopolitanus Episcopus in suis ad Armenios & ad Orientales Epistolis, ex quibus varia in hanc rem Fragmenta ab antiquis Scriptoribus referuntur, de quibus videsis quae Petavius, (*a*) & laudatus Norisius (*b*) adnotarunt. Quum autem Sanctissimi Viri laudatum ad Armenios Tomum sive epistolam tanquam fidei congruentem, Chalcedonensis Synodus in Prosphonetico ad Marcianum Augustum praedicaverit, hinc multis creditum & jactatum, fuisse eam formulam a-

ma-

(*a*) Theologic. Dogmat. de Incarnat. lib. V. cap. III.
(*b*) Hist. Controv. *de Uno &c.* cap. I.

magna illa & celeberrima Synodo consecratam. Verum, ut est mox laudatis Theologis animadversum, quamvis magna Synodus epistolam Procli ad Armenios laudaverit, haud inde fit consequens, ut omnes ibidem adsertae propositiones censeri possint speciali adprobatione Synodi confirmatae: sed hoc dumtaxat unum evincitur, nullum in eo Procli scripto errorem contineri; unde & magna ad illud ex tantae Synodi commendatione auctoritatis accessio.

Et quidem antequam suspicio vel opinio invalesceret, Eutychianos innoxiae propositioni nefarium sensum adfingere, ea Orthodoxi in Oriente tamquam Catholici dogmatis Symbolo contra Nestorianos utebantur. Auctor est Cyrillus Scythopolitanus, S. Euthymium insignem in Palaestina Monachorum institutorem in subjectis sibi Coenobiis Catholicam fidem inter furentes circumquaque haereticos illibatam servasse, *ex quo*, inquit, *etiam circa Christi Mysterium Nestorii divisionem & Eutychis confusionem rejiciebat: pie confitens unum sanctae & consubstantialis Trinitatis divinum Verbum in ultimis diebus carnem factum &c.* Obiit Euthymius die vigesima Januarii, anno CCCCLXXIII. Idem Cyrillus in libro de Vita S. Sabae Abbatis ait, duos Monachos ad eumdem venisse; quos, inquit, *quum videret eadem sentire quae Nestorius, & neque Christum unum esse Sanctae Trinitatis, neque rursus Beatam Virginem confiteri Deiparam, valde angebatur.* Haec ille narrat Sabae contigisse, antequam Anastasius imperium iniret. Unde patet, Catholicos id temporis ejusmodi effato passim usos esse tanquam Nestorianis profligandis aptissimo, contra quos primum illudmet Proclus, teste Liberato (a), inclamaverat: *Posuit ad interimendas Nestorianorum versutias, qui duas in Christo inducunt personas, unum de Trinitate incarnatum.*

Non minore tamen studio cum professi Eutychiani, tum qui in eorum partes propensius ferebantur, eamdem verborum formulam inculcabant; quum hi non minus atque Catholici Nestorianos aversarentur. Hinc Act. IV. Synodi Chalcedonensis Dorotheus Monachus Eutychetis Sectator dixit, se credere in Christum, addens: *Hunc ex Trinitate esse fatemur*; & statim: *Credimus ergo illum passum ex Trinitate esse.* Petro Fulloni Eutychianorum pessimo, Antiochenae Sedi invasori crimini dat atque exprobrat Felix III. epist. III. quod eam propositionem pro concione populo ingerere ausus esset: *At vero tu in Ecclesia ausus es dicere, quod unus increatae atque individuae Trinitatis passionem subiit.* Quum Zeno, devicto ac deinde occiso Basilisco tyranno, imperium recuperasset, quo grassantes passim de religione discordias sopiret, anno vulgaris Epochae CCCCLXXXII. edictum de fide, quod Henoticum dixere, publicans, universos Episcopos eidem subscribere imperavit. In eo laudata Procli sententia in haec verba concepta legebatur: *Trinitas enim mansit Tri-*

ni-

(a) Breviar. cap. X.

nitas , *& Incarnato uno de Sancta Trinitate Deo Verbo*. Quamquam autem profanum Edictum Eutychiani & Nestoriani , perinde atque Catholici contrariis ducti rationibus aversabantur ; tamen magna pars Antistitum Orientis , partim amittendarum Sedium metu , partim occupandarum ambitione ducti Henoticum admiserunt. Acacius Constantinopolitanus Antistes Eutychianorum communione pollutus , omnium primus Zenonis edictum , cujus etiam auctor ferebatur , adprobavit ; ac Petrum Moggum Alexandrinae Sedis incubatorem abs se antea damnatum , in communionem admisit , ubi is pari perfidia Henotico consensit . Petrus Fullo ex Antiochena Cathedra semel & iterum ejectus , eamdem Henotici subscriptione recuperavit , Calendione Patriarcha Catholico expulso . Horum exemplo plurimi minorum gentium Episcopis Imperatoris edictum in suis quique Ecclesiis publicarunt . Hinc toto passim Oriente praescripta verba resonabant . *Trinitas enim mansit Trinitas* , *& incarnato uno de Trinitate Deo Verbo* . Eutychianae Sectae vires & animos addidit Zenonis in imperio successor Anastasius , de quo inter cetera scribit Victor Turonensis in Chronico ad annum 499. Synodum congregasse contra Diodorum Tarsensem , Theodorum Mopsuestiae , Teodoritum Cyri , *ceterosque alios qui in Christo duas praedicabant naturas duasque formas* , *& qui non confitentur unum de Trinitate crucifixum* , *una cum Leone Episcopo Romano* ; *& ejus Tomo & Synodo Chalcedonensi inferri anathema persuasit* . Pravum huic propositioni sensum Eutychianos adfinxisse , testatur Felix III. Epist. V. ad Zenonem Augustum , ubi a Petro Fullone traditum refert ; *Unum de Trinitate passionem pro nobis pertulisse in substantia Deitatis* : & de Severianis testis est S. Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus in libro , cui titulus , *Viae dux* cap. IX. doctrinam eorum fuisse : *In mysterio Incarnationis Christi* , *qui est unus de Trinitate* , *unum & idem esse naturam & hypostasim sive personam* . Ex quibus colligere est , Eutychianos illam enunciationem in sensu formali ac reduplicativo , quemadmodum Theologi de schola loquuntur , accepisse ; perinde atque Christus passionem crucemque subierit , quatenus est unus de Trinitate , seu quatenus in natura divina subsistit .

Quum ergo Zeno Imperator & Acacius Patriarcha Eutychianorum communione polluti eam formulam in Henoticon inseruissent ; quum eamdem Anastasius Eutychianus Imperator , & ejusdem sectae Episcopi Synodali sententia comprobassent ; quum ea denique ab iisdem haereticis veluti suae ipsorum factionis tessera plenis buccis decantaretur ; nihil profecto mirum , si male olere coepit in Occidente , & si pravis suspicionibus laborare coeperunt , qui pro illa adserenda omnia susdeque moverent . Quamquam enim ut invidiam declinarent , horum aliqui vocem carnis adjungerent ; alii tamen verebantur , ne ejusmodi adjectio non nisi ad faciendum fucum adhiberetur ; neve Christianis auribus his vocibus , *Unus de Trinitate passus est carne* , semel adsuetis ; ad easdem quo-

quoque sine illo carnis additamento usurpandas paullatim homines adsuescerent. Suspicio quoque erat, ne tota haec contentio ad labefactandam Concilii Chalcedonensis auctoritatem, subdole referretur: quod his verbis Hormisdae Papae Legatus ejus Dioscorus suggerebat: *Conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere, ut disputetur de Synodo Chalcedonensi. Quod si factum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & haereticorum omnium patuit errori*. Addebatque, ut majorem illius enunciati propugnatoribus invidiam conflaret, quod *istud Anastasius Imperator magnopere Catholicis imponere festinavit: istud & Eutychetis discipuli in Synodo Calcedonensi proposuerunt*. His porro de caussis non modo in Occidente, verum & in Oriente quum Justinus Imperator ad tollendas Eutychianae pestis reliquias totus incumberet, refrigescere coepit in ea thesi propugnanda Catholicorum ardor. Id constat ex prima epistolarum, quas plurimas de hoc negotio ad Hormisdam Justinianus Comes perscripsit, in qua Monachos Scythas veluti rerum novarum cupidos, vaniloquos, inquietos ac turbulentos traducit: *Quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque Sancti Leonis Papae epistolae continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur*. Proinde rogat Pontificem, *ut ipsos digna correctione perculsos pellere jubeat ..... ne unitas, quam vester*, inquit, *labor oratioque perfecit, per inquietos homines dissipetur*. Johannes quoque per haec tempora Constantinopolitanus Episcopus, disceptantibus coram ipso & Apostolicae Sedis Legatis, adversus Victorem quemdam Diaconum de hoc ipso argumento Monachis Scythis; lectisque Chalcedonensis Synodi constitutis; nihil eis adjiciendum esse decrevit, satis ea esse judicans, ut quisque Catholicus haberetur: *Praeter ista nihil mihi aliud dicatur: Qui sequitur ista potest inter Catholicos esse*. Haec narrat Dioscorus unus Legatorum in suggestione ad Hormisdam, cujus initium: *Per Eulogium Virum sublimem &c.* qui etiam in alia ad eumdem Pontificem communi cum aliis Legatis suggestione scribebat: *quia eos* (Monachos Scythas) *omnis Constantinopolitana Catholica exhorret Ecclesia*. Quumque in eadem Relatione seu Suggestione dicatur, quod *isti* (iidem Monachi) *de sua provincia Episcopos* accusabant, atque imprimis Paternum Tomitanae Civitatis Antistitem ejusdem provinciae Metropolitam; palam est, quod & iste cum aliis sibi subjectis Episcopis Monachorum conatibus refragabatur. At nullos Scythae graviores experti sunt Adversarios, quam Monachos Acoemetas, qui tunc in Urbe regia religiosae disciplinae fama prae ceteris eminebant; quique plura pro fidei Catholicae & Synodi Chalcedonensis defensione praeclare gesserant; adeo ut eorum Monasteria essent in Regia urbe tutissima contra Eutychianos castra, ac Romanae Sedis praesidia, & Legati a Romanis Pontificibus illuc destinati in mandatis haberent, nihil inconsultis Acoemetis peragere. Hi ergo Monachis Scythis vehementer ad-

adversabantur, quos etiam Eutychianae haereseos incusabant.

Quum ergo hoc loco in Oriente, & maxime in Urbe regia, quae vix tum ab Eutychianorum tyrannide respirabat, & adhuc nefariae haereseos sordibus mundabatur; quum, inquam, hoc loco in Oriente, & in Urbe regia res essent; nemini profecto mirandum est, si Hormisdas in adprobanda Scytharum propositione aliquamdiu cunctatus est, imo si & eorum conatibus obstitit. Quare mirari subit, haec de Hormisda in praesenti Capite Meldensi Episcopo excidisse: „ Hormisdas interrogatus sic respondet, ut „ prostrata quodammodo veritas videatur: ejus defensoribus certa „ responsa quaerentibus pro omni „ responso ploratus indicitur: tacente, cunctante, obsistente Romano „ Pontifice, non ipsa tacet veritas &c. Totam illam contentionem fuisse puram putam inter Catholicos logomachiam, qualis plane olim fuerat de voce *hypostasis* quaestio tanta opinionum discrepantia Latinam inter ac Graecam Ecclesiam agitata, pluribus demonstrat saepius laudatus Norisius (a), testesque hujusce rei adfert locupletissimos, Justinianum, Ferrandum Diaconum, Facundum Hermianensem, ipsumque adeo Hormisdam. Veritas ergo inter Catholicos in tuto erat, ac minimum referre judicabatur, dum quis in uno eodemque naturali Dei Filio divinam humanamque naturam agnosceret, quibuslibet verbis, quae tamen aequivoca & ambigua non essent, suam quisque fidem profiteretur: Hinc laudatus Ferrandus (b): *Quid ad nos*, inquit, *quibuslibet verbis rectam praedicent fidem?* Imo tot inter hostes Concilii Chalcedonensis, a quibus Orientalis Ecclesia id temporis infestabatur, ut laudem merebantur, qui ad fidei Catholicae adversus Eutychianos & Nestorianos professionem eas sufficere voces existimabant, quas tanta Synodus consecrasset: ita haud injuria vitio dabatur, quod aliqui, quibus docendi auctoritas in Ecclesia nulla erat, in eamdem fidei professionem pertinaci studio & contentione voces recipi vellent, a quibus Eutychiani non adeo abhorrebant, & quas veluti necessarias neque laudata Synodus Chalcedonensis, neque in suis Epistolis Leo Magnus, neque in Libello fidei Orientalibus Ecclesiis cum Romana reconciliandis in Orientem transmisso, Apostolica Sedes praescripserat. Quis ergo Hormisdae tanto Pontifici vitio vertat, quod aliquandiu cunctatus sit, caussaeque definitionem ad usque Legatorum in Urbem reditum differri voluerit; quod Monachis seditiosis ac turbulentis, quique Legatorum veriti adventum, praecipiti fuga sese ex Urbe proripuerant, in suis ad Possessorem litteris graves notas inusserit, eosque quales reapse fuerat expertus superbos, pertinaces, jurgiorum & contentionum rerumque novarum cupidos repraesentarit; denique quod quantum in ipso erat prudentissime caverit, ne Orien-

(a) Hist. Controv. de Uno &c. cap. VI.
(b) Epist. ad Severum cap. IX.

Orientalis Ecclesia, quam vix naufragio eripuerat, rursum procellis ac fluctibus involveretur. Profecto ut nemo est Catholicorum, qui non illos Meldensi Episcopo celebratos *Veritatis defensores* sugillet, aut qui neget optime in eos quadrare eas notas, quibus illos Hormisda perstrinxit: ita nemo est, qui non Sanctissimi Pontificis in hoc negotio prudentiam & gravitatem praeclaris laudibus efferat. Ita Petavius (a), qui quamquam *nihil in illorum facto atque scriptis aliud culpat*; culpat tamen *inconsultam rationem ac praecipitem ardorem inculcandae novitatis intempestivae potius minimeque necessariae, quam aut callidae aut errore contaminatae*: laudatque Hormisdam, quod *nullam* quidem *aliam*, hanc tamen *notam illis subscribit temerariae novitatis, contumaciae ac superbiae*. Petavii verba non semel laudat, ejusque de Monachis Scythis post Hormisdam judicium probat Cl. Norisius in ea ipsa quam data opera elucubravit Monachorum Scythiae Apologia (b). Ubi etiam haec Thomassini verba refert ex Dissert. XVIII. in Synodos num. X. *Porro hinc quoque Hormisdae sapientia admiranda impensius venit, qui solam novitatem & jurgiorum sementem in hac propositione & ejus architectis aversatus est. Ex Maxentio enim, Ferrando aliisque ejus aevi Scriptoribus explorata sunt praelia tunc inter Catholicos super hac re decertata; utrisque hunc & inde alias ex aliis distinctiunculas sensuumque minutias comminiscentibus & implacata serentibus jurgia*. Quibus fere gemina sunt quae num. VI. ejusdem Dissertationis inculcat: *Hormisda solam*, inquit, *insatiabilem & novarum in dies propositionum litiumque seminatricem insectatus est curiositatem*; QUO NIHIL TUM ERAT CONSULTIUS; *quum illam propositionem alii in alios raperent sensus; & ita illam vel inurerent vel absolverent, & in una fide starent quidem, sed verborum ambiguo illuderentur*. Quae certe plurimum distant ab immani censura, qua Bossuetius tantum Pontificem vexat, perinde atque ipsius culpa & morositate prostrata quodammodo veritas videretur; quam tamen invictis decretis & sapientissimis epistolis communierat.

Haud equidem inficias iverim sedente adhuc Hormisda, factam esse magnam in Oriente rerum conversionem. Nam qui primo Monachis Scythis reluctabatur Justinianus, agente Vitaliano Magistro Militum, ipsis impensius favere coepit, tandemque totus in eorum partes transivit, atque ut superius ostendimus, frequentibus litteris Pontificem suo & Imperatoris nomine urgebat, ut conversiam secundum Monachos judicaret: eosdemque sensus induerat Epiphanius recens electus in Johannis demortui locum Regiae urbis Episcopus, qui una cum Imperatore Pontifici supplicabat, ut oblatum a Clericis & Monachis Orientalibus libellum fidei, in quo ter, *Unus de Trinitate*, occurrebat, suscipere dignaretur & auctoritate Apostolica con-

(a) Lib. V. de Incarnat. cap. II.
(b) Cap. II. §. II. & IV. Vid. & Hist. Controv. *De Uno &c.* cap. VII.

confirmare. Quare & Justinianus non jam se paucorum Monachorum, sed Orientalium Episcoporum communem agere caussam aliis litteris Hormisdae significabat: *Tua Sanctitas, concepta gratia caelesti, quae praetendunt Orientales Episcopi tractare dignetur, eorumque fidei competentem praebere responsum. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei vivi..... recte dicitur unus in Trinitate &c.* ut proinde non omnino immerito, ut est Viris eruditis animadversum, jactarint Monachis Scythae in libello sive epistola ad Africanos, *univrsae Orientalium Ecclesiae* consensionem: eorum autem fidem & ipsi Africani Episcopi in Sardinia exsules adprobarunt. Nec tamen tot Ecclesiarum in eamdem cum illis Monachis sententiam conspiratio prohibuit, quin (cunctante adhuc Hormisda & post Hormisdae obitum ejus successoribus,) libere adhuc & in utramque partem de illa inter Catholicos disceptaretur. Hinc saepe laudatus Norisius postquam de epistolis locutus est ab Hormisda anno DXXI. de hoc argumento conscriptis, subjungit [a]: *Incompertum est, quid insuper actum fuerit eo biennio, quo postea Hormisdas fuit superstes, quum illius biennii nullas laudati Pontificis literas babeamns reliquas. Ita propositio* De Uno ex Trinitate carne passo, *inter adiaphoras relicta, tot decennio ab obitu Hormisdae, in utramque partem inter Catholicos disputata fuit, quousque eamdem Apostolica Sedes inter fidei dogmata receusendam postea decrevit.*

Hoc tamen temporis intervallo „ usque adeo, *inquit Bossuetius*, Mo„ nachorum propositio toto Oriente „ invaluit, atque adversus novos „ Nestorianos necessaria visa est, „ ut eam Justinianus edicto edito ap„ probare cogeretur, autoribus, ut fie„ ri solet, Episcopis, ac praecipue E„ piphanio Patriarcha Constantinopo„ litano, quod Edictum est editum „ anno DXXXIII. duodecim annis „ post datas Hormisdae ad Posses„ sorem litteras.

„ Jam Imperator Legatione ad „ Johannem II. missa, edictum ap„ probari petit, & impetravit, de„ ditque litteras ad Papam, quibus „ significabat: *Paucos infideles judaice atque apostatice contradixisse omnibus Sacerdotibus; denegantes, Unigenitum Dei Filium hominem factum atque crucifixum, unum esse sanctae consubstantialis Trinitatis; in quò videntur Nestorii malam sequi doctrinam.* „ Quod ipsum Scythae „ Monachi a quindecim annis, atque „ ab ipso hujus contentionis initio „ propugnabant.

„ Neque Imperator jam contulit „ quid credendum, ut olim sub Hor„ misda fecerat, sed rem ut certam „ & exploratam atque ab omnibus „ praedicatam refert, cùi nemo nisi „ *judaice & apostatice* contradicat.

„ Sic autem concludit: *Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta rite confitentur, suscipit vestra Sanctitas; & eorum, qui judaice ausi sunt rectam denegare fidem condemnat perfidiam:* „ Addit „ haec

(a) Hist. Controv. *De Uno &c.* cap. VIII.

„ haec observatu digna: *Plus enim ita & circa vos omnium amor & vestrae Sedis crescet autoritas, & quae ad nos est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur; quando per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi eorum; quae ad vos relata sunt, sinceram Sanctitatis vestrae doctrinam:* „ Quo significabat insinceram visum iri, si Romanus Pontifex tam certum dogmata improbasset: ac sic Episcopi Orientales Romani Pontificis sinceram doctrinam, non ejus infallibilitate certo praejudicatam, sed ex ejus responsis exploratam volebant.

„ His victus Johannes, Concilio habito, datisque litteris ad ipsum Justinianum, ac deinde ad Senatores, confirmavit Justiniani fidem; & *Unum de Trinitate crucifixum* iisdem asseruit Scripturarum ac Patrum locis, quibus Scythae Monachi usi erant.

„ Differte autem notat haec a se probari secundum Patres omnes ac Romanos Praesules, quos in omnibus sequeretur: quod etiam Justinianus dixerat epistola ad Johannem: tametsi enim *Unum de Trinitate* nondum affirmassent; id tamen ex aliis eorum dictis atque sententiis perspicue sequebatur.

Ex quibus omnibus Meldensis Episcopus tandem colligit, quod „ tacente, cunctante, obsistente potius Romano Pontifice (*Hormisda*,) pervicit ac perrupit dubitationem omnem Ecclesiae Catholicae vox atque consensio; nec jam consulitur ut de re ambigua Romanus Pontifex sed rei ut indubitatae & certae approbatio petitur, & dicitur (*f. elicitur.*) Quis hic non videat, valuisse ut in omni ancipiti re, eam quam Ferrandus & cum eo optimus quisque exspectabat, Ecclesiae Catholicae consensionem?

Quid sibi hoc argumentum velit Illustrissimus Adversarius, aut quid ex eo conficere possit adversus summam & ineluctabilem, quam Romano Pontifici adserimus in definiendis ac terminandis fidei controversiis auctoritatem, equidem non intelligo. In hoc enim vis ejus ac summa posita est: Justinianus, & cum eo Orientales Episcopi pro certo dogmate habent, Unigenitum Dei Filium pro nobis carne passum & crucifixum *Unum ex Trinitate* esse dicendum, petuntque hujusce Theseos tanquam certae & exploratae a Romano Pontifice confirmationem: ergo non ex Romano Pontifice, sed ex Ecclesiae consensione obtinent exortae inter Catholicos controversiae, ut in fidei dogmata evadant, & indeclinabilem adsequantur auctoritatem.

Pluribus autem iisque crassissimis hoc argumentum vitiis laborat. Nam primo certum est, quod ante Romani Pontificis adprobationem deerat illi propositioni solennis Ecclesiae universae consensus. Numquid enim ad universum Ecclesiae corpus non pertinet caput? Numquid non illa ab ipsis Ecclesiae incunabulis regula obtinebat, quam jam dudum ipsis Orientalibus apud Socratem & Sozomenum Julius I. ingesserat, ut Ecclesiis decreta (atque imprimis ea quae ad fidem pertinent) inconsulto Romano Pontifice minime sancirentur? Numquid omnes Occidentales Ecclesiae pars maxima Eccle-

siae universae non erant ? hae autem ex Romani Pontificis nutu & arbitrio pendebant, neque probatam Orientalibus *de Uno ex Trinitate* enunciationem inter certa & indubitata fidei Catholicae dogmata, tacente adhuc & cunctante imo & obsistente Romano Pontifice, recepissent. Ergo quicumque fuerit Justinianus & Orientalium de illa propositione sensus, inde habere non potuit, tacente adhuc aut obsistente Romano Pontifice, indeclinabilem firmitatem.

Deinde Johannes II. Imperatoris Epistolam & Edictum, quamquam Orientalium Episcoporum *interveniente consensu* jam publicatum, non ante auctoritate Apostolica confirmavit, quam Concilio habito, subindeque nonnisi adhibito accuratissimo examine, rem totam diligentissime retractaret. Fecit ergo, quod teste Ferrando Diacono horum temporum Scriptore saepius laudato, moris erat Sedis Apostolicae Romanorumque Pontificum, qui nimirum aliorum Episcoporum sanctiones atque decreta diligentius retractata atque examinata firmabant, eaque omnibus Ecclesiis ut omnino sequenda & amplectenda, nec amplius retractanda proponebant (a): *Quae finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad Beati Petri memoriam perducta, diligentius examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* En unde Episcoporum judicia habent irretractabilem firmitatem.

Denique ipsemet Illustrissimus Adversarius inde probat celeberrimam S. Leonis epistolam ad Flavianum non statim habitam fuisse pro irreformabili & irretractabili fidei Catholicae regula, quod eam Italiae & Galliarum Episcopi non antea susceperunt, quam habita Synodo *in ea recognoverunt fidei suae sensum*; Patres autem Chalcedonenses illam tum demum ut fidei regulam receperunt, quum diligenti collatione compererunt, eam cum Nicaeno & Constantinopolitano Symbolo, nec non cum decretis Ephesinae Synodi convenire: Atqui & Romani Pontifices Johannes II. & Agapetus probatam Justiniano Imperatori & Episcopis Orientalibus thesim *de Uno ex Trinitate carne passo*, non ante susceperunt & confirmarunt, quam habita Synodo eamdem ad Apostolicae Sedis doctrinam veluti Catholicorum dogmatum amussim ac regulam exegissent, cum eaque consonam esse diligentissimo examine comperissent. Ita enim Johannes II. epistola ad Justinianum: *Quod quia Apostolicae doctrinae convenit, nostra auctoritate confirmamus.* Ita & Agapetus epistola ad eumdem Imperatorem: *Cupis, venerabilis Imperator, ut tuae pietatis epistolam de fidei vestrae expositione nuper ad beatae memoriae praedecessorem nostrum Johannem Romanae Sedis Antistitem per Hypatium atque Demetrium Episcopos destinatam, & a praefato Praesule roboratam, nostra quoque auctoritate firmemus. Laudamus, amplectimur; non quia Laicis auctoritatem praedicationis admittimus,*

(a) Epist. ad Pelag. Diac. num. VII.

nus, sed quia studium fidei vestrae Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus. En unde Imperialis sanctionis indeclinabilis firmitas ac robur invictum. Et quidem minime Agapetum latebat, Imperatoris edictum non nisi Episcoporum Orientalium *interveniente consensu* fuisse publicatum; nec tamen hanc rationem adfert, cur illud probet & amplectatur; sed illud propterea iterum roborat & confirmat, quoniam & ab Johanne II. tanquam avitae doctrinae consonum fuerat auctoritate Apostolica confirmatum.

Frustra ergo ex laudato Imperatoris edicto Meldensis Episcopus probare adgressus est, Ecclesiae universae consensione, non autem Romani Pontificis auctoritate Monachorum Scytharum propositionem tandem obtinuisse, ut tanquam certum & inconcussum ac penitus irretractabile fidei Catholicae dogma ubique praedicaretur; utque nemo deinceps ei posset nisi *Judaice & apostatice* refragari. Nam, ut ostendimus, neque aderat Ecclesiae universae consensio, antequam ea propositio a Romanis Pontificibus confirmaretur; neque eamdem Romani Pontifices confirmarunt, antequam ea diligentissime & habita Synodo retractaretur, & ad Apostolicae doctrinae amussim ac regulam exigeretur: denique iidem Romani Pontifices eam confirmando satis aperte significant, summum sese ei robur & firmitatem adjicere. Id probe intelligentes Monachi Acoemetae, quamquam eos Justinianus Imperator, & Epiphanius Constantinopolitanus Antistes, ac ceteri Orientales Episcopi quoniam Monachorum Scytarum capitulis refragabantur, Nestorianae haereseos insimulabant: attamen ubi Romam Imperator Legatos Episcopos direxit, qui Imperialis edicti confirmationem a Romano Pontifice obtinerent; & ipsi suos ad Pontificem Legatos destinarunt Cyrum & Eulogium, ut Legatorum Justiniani operam interverterent; rati nimirum suam ipsorum caussam profligatam non esse, nisi decreta in Oriente ipsorum damnatio a Romanis Pontificibus confirmaretur. Ac reapse non nisi eorumdem Pontificum decretis, nec nisi tanquam Apostolicis definitionibus immorigeri, ab universae Ecclesiae communione tanquam haeretici exciderunt, ut ex laudatis Johannis II. & Agapeti epistolis compertum est: *Eos*, inquit Johannes, *ab omni Ecclesia Catholica esse jussimus alienos, nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocius sequi habita regulari professione signaverint. Aequum quippe est, ut qui nostris minime obedentiam accommodant statutis, ab Ecclesiis habeantur extorres*. Et adhuc luculentius Agapetus: *Si quis nostrae Catholicae fidei contraire tentaverit, quam pro submovenda haereticorum suspicione paternis regulis consonantem praesenti definitione firmamus, sanctae communionis efficiatur extraneus. Unde & Cyrum ejusque sequaces... nisi sub satisfactione canonica doctrinam Apostolicam fuerint consecuti, nullatenus patimur eos sacrae communioni restitui; sed etiam ut haereticos anathemati subjicimus*; UT QUI NOSTIS CONSTITUTIONIBUS PARERE CONTEMSERIT, *Ecclesiasticum statum puritatemque non maculet*. Itaque Monachi Acoemetae non ante

ve-

velut haeretici ab universae Ecclesiae corpore praecisi sunt, quam Apostolicis Constitutionibus contumaciter obluctarentur; ac proinde nec propositio *de Uno ex Trinitate carne passo* in fidei Catholicae dogma inconcussum & irretractabile, & cui nemo posset nisi haeretico spiritu refragari, ante ab universa Ecclesia suscepta est, quam sollennibus Sedis Apostolicae constitutionibus firmaretur.

CAPUT XIX.

„ Formula consulendi Romanum Pon-
„ tificem, rei gestae serie, ac Pa-
„ trum traditione explicata.

POstquam superioribus Capitibus Illustrissimus Adversarius rerum in hac celebri controversia gestarum, ut ipsi libitum fuit, narrationem pertexuit; inde in praesenti Capite colligit: „ quae vis sit professionis ejus, „ quae a Justiniano Hormisdam in„ terrogante edita est: *Id credimus* „ *Catholicum, quod vestro religioso* „ *responso fuerit intimatum*. Summa autem ipsius doctrinae est, haud aliud olim hac formula significatum, quam quod optima quaeque tantoque officio congrua de Romano Pontifice præsumerentur: Ceterum plenam certitudinem, quae omni dubitatione submota penitus captivaret intellectum in unius Ecclesiae Catholicae judicio & consensione fuisse positam. Quam interpretationem confirmat cum Johannis Maxentii, tum Sanctorum Abbatum auctoritate, qui libellum S. Martino I. in Lateranensi Synodo obtulerunt: qui difficillimum quidem & rarissimum, atque adeo incredibile, non autem impossibile judicabant, Romanum Pontificem a veritate excidere, in errorem labi, pravamque Ecclesiae Christi doctrinam obtrudere. Haec itaque Meldensis Episcopi verborum Justiniani interpretatio est; quae an legitima sit, ac genuinum illorum sensum exhibeat, jam nobis discutiendum est.

ARTICULUS UNICUS.

Justinianus Imperator aliique per haec tempora Orientales Episcopi Sedis Apostolicae inerrantiam apertissime professi sunt. Meldensis Episcopi objecta solvuntur.

ORientalibus Episcopis cum Ecclesia Romana reconciliandis Hormisda libellum ab eis subscribendum transmisit, quo dogmatis a nobis propugnati aperta professio ipso statim initio continetur: *Prima salus est rectae fidei regulam custodire, & a Patrum traditione nullatenus deviare: quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis:* Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur religio*. Hanc fidei professionem omnes Orientales Episcopi, Constantinopolitanis Patriarchis praeeuntibus, signaverunt; eamdem ipse Justinianus Imperator ad S. Agapetum Papam a se pariter subsignatam, iteratis vicibus misit; eam denique & sequentibus saeculis iidem Orientales Epi-

Episcopi, etiam in Oecumenicis Synodis frequentarunt. Qua de re videndus est ipsemet Illustrissimus Adversarius libri sequentis cap. VII. ubi & nobis rursus de eadem fidei Professione sermo redibit. Illo autem praemisso exordio, Orientales Episcopi profitentur, se se *in omnibus sequi Apostolicam Sedem, & omnia quae ab ipsa decreta & constituta sunt* praedicare, quoniam in ipsa *est integra Christianae religionis & perfecta soliditas*. Additque Justinianus, sese in eadem verba adacturum omnes Episcopos, *quatenus*, inquit, *per omnia Sancta Catholica nostra Ecclesia suam habeat firmitatem*. Ergo ut Orientales Ecclesiae suam haberent firmitatem, compellendi erant Episcopi ad sequendum in omnibus Sedem Apostolicam, & omnia quae ab ipsa decreta & constituta fuerant praedicandum; quoniam in ipsa Sede Apostolica integra est Christianae religionis & perfecta soliditas; seu quoniam ipsa est Christianae religionis & rectae veraeque fidei perfectum ac stabile fundamentum, ut ipsa Christi Domini verba demonstrant, quae praetermitti, seu deficere ac perverti non possunt: *Tu es Pertrus &c.* Quamquam autem haec verba luce ipsà clariora sunt; tamen quae sit eorum vis ipso rerum experimento, ipsis probatur effectibus; quoniam in Sede Apostolica Catholica religio *semper immaculata servata est*, ac *semper inviolabilis custoditur*. Itaque Christi verbis & promissis nititur privilegium non errandi, quod in hac fidei Professione Sedi Apostolicae adseritur: ac proinde quemadmodum Christi verba & promissa nunquam deficere possunt: ita Catholica Religio, quae Justiniani aevo in Apostolica Sede semper immaculata permanserat, & adhuc inviolabilis custodiebatur, ex iisdem Christi verbis & promissis semper deinceps integra & illibata servabitur, & inviolabilis custodietur.

Hinc autem primo colligere est, quae sit vis illorum verborum ejusdem Imperatoris, de quibus potissimum in praesentia differimus: *Id credimus esse Catholicum, quod vestro religiosa responso fuerit intimamatum*. Ex laudata enim fidei Catholicae professione constat, non id propterea Hormisdae a Justiniano scriptum, quod praesumeret Romanum Pontificem non veritati non officio defuturum; sed quia sciebat, & cum omnibus Catholicis palam & aperte profitebatur quod, in Sede Apostolica ex vi promissorum Christi Catholica religio semper immaculata permanserat, & inviolabilis custodiebatur. Et quidem etiam de aliis Episcopis, ut & ipse Bossuetius observat, praesumere debemus, eos nec veritati, nec muneri defuturos: ex hac enim praesumtione & fiducia S. Damasus Papa & Synodus Romana scribebant (a): *Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperimus, nonnullos non haeresis studio, neque enim hoc tantum mali cadere in Dei Antistites potest*. Quare si & hoc similiter de Pontifice Romano præsumitur, nec certa fide tenetur; quid quaeso amplius & eximium prae

(a) Epist. ad Orient. ex Collect. Holsten.

prae ceteris Episcopis Pontifex Romanus Petri Successor & Ecclesiae Caput habebit ? Subjungit quidem Bossuetius . „ Si tantum mali in „ singulos Episcopos cadere non „ posse merito præsumitur ; quanto „ magis in eum , qui tanto loco „ præsit ? Verum alii (nisi ad Christi verba & promissa respiciatur) id magis praesument de aliquot Episcopis , quorum doctrinam pietatemque suspiciant , quam de Romano Pontifice ; cujus non adeo pietatem atque doctrinam venerentur : quod certe quotidiano aut nimium frequenti experimento compertum est.

Secundo ex eadem fidei professione colligitur , quomodo accipienda sint Justiniani verba Articulo superiori relata , ex quibus Bossuetius conficit , quod „ Episcopi , Orientales Romani Pontificis sinceram „ doctrinam , non ex ejus infallibi„ litate certo praejudicatam , sed „ ex ejus rensponsis exploratam vo„ lebant . Verba Justiniani . ex qui„ bus id efficit , haec sunt : *Plus enim & circa vos omnium amor , & vestrae sedis crescet auctoritas ..... quando per vos didicerint omnes Beatissimi Episcopi .... sinceram Sanctitatis vestrae doctrinam* . At ex laudata fidei Catholicae professione compertum est , Orientalibus Episcopis de Sedis Apostolicae ac Romani Pontificis inerrantia certam stetisse sententiam , tum ob Christi verba & promissa , quae praetermitti , vel , ut est in Evangelio , quae praeterire non possunt ; tum ob diuturnum quinquae saeculorum experimentum , quibus ab ea Sede nihil unquam prodierat , quo Christiana religio vel minimum laederetur . Quod sane experimentum Christi promissis adjunctum plurimum confert ad amplificandam inter homines & roborandam Sedis Apostolicae auctoritatem .

Denique ex eodem loco colligitur , quomodo accipienda sint hypothetica illa Johannis Maxentii verba , quae haud semel Meldensis Episcopus objicit : *Si Romanus prohiberet Episcopus , Cristum Filium Dei unum confiteri ex Sancta atque individua Trinitate; nunquam eidem Dei Ecclesia adquiesceret &c.* Et haec rursus quorumdam Archimandritarum ad S. Martinum I. in magna illa Synodo Lateranensi : *Certissime scientibus vobis Sanctissimis , quod si aliter quam a nobis pie postulata sunt , quidquam omnino integritatem fidei corrumpens a vestra terminetur* , (hoc est , definiatur) *beatitudine .... liberi sine dubio atque innocentes ab hoc quod fiet , existimus* . Ejusmodi hypotheticae propositiones denotant quidem firmissimam ad aliquam sententiam mentis adhaesionem ; sed ex iis colligi nequit an reapse quidquam fieri aut accidere possit . Sic Paulus ad Galatas cap. I. *Sed licet nos , aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis , anathema sit* . Absurde prorsus ex his verbis quisquam eliceret , fieri potuisse , ut reapse aliquis Apostolorum aut Angelorum Pauli doctrinae refragaretur . Praeclare hunc locum Vincentius Lirinensis Commonit. I. cap. XII. sequentibus verbis illustrat: *Quid est quod ait ; sed licet nos &c. Cur non potius ; sed licet ego ? Hoc est , etiamsi Petrus , etiamsi Andreas ,*

dreas, etiamsi postremo omnis Apostolorum chorus evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus, anathema sit. *Parum est*: Etiamsi Angelus, *inquit &c. Non quia Sancti caelestesque Angeli peccare jam possint*: *Sed hoc est quod dicit*: *Si etiam*, *inquit*, *fiat quod non potest fieri*; *quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit*, *anathema sit*. In hunc itaque sensum interpretandas esse contendimus paullo ante descriptas Johannis Maxentii & aliorum Monachorum hypotheticas propositiones; hoc est: Si etiam fiat quod non potest fieri, ut fidem Romanus Pontifex violet &c. Id enim reapse fieri non posse, ipsimet illarum propositionum Auctores profitentur. Nam & Abbates in libello supplici ad S. Martinum: *Quod absit*, inquiunt, *absuturumque sit*: *hoc enim omnino incredulum* (id est, incredibile) *nobis est*. Et Johannes Maxentius: *Sed absit*, *ut ex qualibet parte Catholicae professioni Romanus Pontifex contradicat*. Et hic quidem satis verisimile est, quod transmissam in Orientem ab Hormisda fidei Catholicae professionem sua subscriptione signaverit: ad hoc enim praestandum non modo Episcopi, verum & Archimandritae ac primores Monachi adigebantur; atque adeo nisi suae professionis oblitus ambigere minime potuisset de Romani Pontificis inerrantia; quae, ut vidimus, in illa fidei professione ex Christi verbis ac promissis repetitur.

CAPUT XX.

„ Questio Elipandi de Christo adoptivo Dei Filio Romani Pontificis & Ecclesiarum consensione finitur. Particula *Filioque* per eadem fere tempora Symbolo addita.

VIs argumenti in eo posita est, quod Carolus Magnus Hadriani litteris non contentus, quibus Felicis & Elipandi haeresim de Christo Filio Dei adoptivo tota Sedis suae auctoritate damnabat; praeterea & alios Italiae, Calliae & Germaniae Episcopos de eadem quaestione consuluit. Tum Synodum Francofordiensem ex harum Gentium Episcopis congregavit; a quibus Canone primo Feliciana haeresis de Christi adoptione damnata est: insertaeque actis litterae Hadriani Papae ad Episcopos Hispaniae contra Elipandum Episcopum Toletanum; tum Libellus Episcoporum Italiae adversus eumdem Toletanum Antistitem Concilii decreto missus ad Provincias Hispaniae; tum etiam Synodica Concilii ab Episcopis Galliae & Germaniae ad eosdem Hispaniae Praesules missa: quibus monumentis Ecclesiarum Occidentis consensionem repraesentantibus, suas Carolus Magnus adjecit ad Elipandum litteras, quibus eum plurimum hortatur, ut decretis pareat, quea *Sedis Apostolicae auctoritas & Episcopalis unanimitas* edidisset. Ex quibus, inquit Illustrissimus Adversarius, „ ita „ omnia firma esse intelliguntur, si „ ad *Sedis Apostolicae autoritatem*, „ *unani-*

„ *unanimitas* quoque *Episcopalis* accedat. *Ac rursum*: Sic demum „ omnia in autoritatem universalis „ Ecclesiae resolvuntur, quae & „ earum partium, ubi exorta quaestio est, expressa declaratione, „ & ceterarum toto terrarum orbe „ communicantium certa, licet tacita, consensione constet. Haec, „ *inquit*, Galli sub Carolo Magno, „ haec sub Ludovico Magno profitentur, neque Patrum traditionem avelli sibi sinunt. Haec Cl. Adversarius: quae tamen accuratius enucleata aliam huic negotio speciem induent.

ARTICULUS UNICUS.

Feliciana haeresis de Christi in Dei Filium adoptione ante Synodum Francofordiensem solius Romani Pontificis auctoritate funditus deleta est: Cur de illa per Elipandum iterum pullulante Carolus Magnus praeter Romanum Pontificem alios variarum Nationum Episcopos consuluerit.

FEliciana dicta ea haeresis est ex nomine Felicis Episcopi Urgelitani, quamquam incertum esse videatur, Felixne ipse an Elipandus Episcopus Toletanus, primus illius auctor exstiterit: nisi forte ab illo potius nomen derivavit, quod in eo primum sollennem damnationis sententiam tulit. Audiendus Eginhardus in Annalibus: *Orgellis est Civitas in Pyrenaei montis jugo sita, cujus Episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti Episcopo per litteras consultus, quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini nostri Jesu Christi sentire deberet; utrum secundum id quod homo est, proprius an adoptivus Dei filius credendus esset ac dicendus; valde incaute atque inconsiderate, & contra antiquam Catholicae Ecclesiae doctrinam, adoptivum non solum pronunciavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris, pertinacissime pravitatem opinionis suae defendere curavit.* Quibus verbis indicare videtur, quod Felix Elipando nefariae doctrinae virus adflaverit; subindeque quod primus instaurati in Hispania Nestorianismi auctor exstiterit. Attamen neque Elipandus eam Felici quaestionem proposuisset, nisi jampridem illius pestis adflatus aura fuisset; aut nisi certo nosset, id sibi a Felice rescriptum iri, quod ad semel imbibitam, & forte jam pervulgatam opinionem confirmandam valeret. Ut ut sit; ex his quae statim idem Auctor subjungit compertum est, primum & alterum Ecclesiae judicium fuisse in Urgelitanum Episcopum institutum, quoniam in Caroli Magni ditionem Urgellis venerat; qui quum zelo Catholicae fidei flagraret, haud diu passus est eam insani capitis commentis adulterari: *Hujus rei caussa*, inquit laudatus Historicus, *ductus ad palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoariae Civitatem, in qua & hiemaverat, residebat. Ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus, ad praesentiam Hadriani Pontificis missus, ubi etiam coram ipso in Basilica Beati Petri Apostoli haeresim confessus est, atque abdicavit: quo facto ad Civitatem suam rever-*

reversus est. Id ergo insidebat Gallis, caussas fidei in Episcopalibus Conciliis definiri posse; ita tamen ut ad Sedem Apostolicam referretur, cujus peremtorio denique terminarentur judicio; cui qui non obaudirent, haereticorum numero essent. Ita ex adlatis Eginhardi verbis colligit Cl. Thomassinus (a).

De his iisdem Conciliis Ratisponensi & Romano, anno DCCXCII. in caussa Felicis celebratis haec scribit Alcuinus lib. I. adversus Elipandum: *Vestri erroris secta praesidente Rege Carolo, praesente Felice, in loco qui dicitur Reginisburg, & Synodali auctoritate Sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani Imperii partibus convenerant, aeterno anathemate damnata: imo & a beatae memoriae Hadriano Papa, qui tunc temporis Romanae Ecclesiae Apostolica auctoritate rexerat Sedem, funditus exterminata*. Concilio Ratisponensi ex diversis Imperii partibus congregato damnatae quidem Felicianae haereseos, sed penitus profligatae palmam & gloriam Sedi Apostolicae vindicat Alcuinus. Consentit Alcuino Dungalus ejusdem saeculi haud ignobilis scriptor contra Claudium Taurinensem initio fere operis: *Quum beatae memoriae Carolus, vigilantissimus Catholicae Ecclesiae tutor & propugnator, nequissimae caput viperae, in magistro hujus erroris Felice, sibilantis contra unitatem Ecclesiae, Apostolicae auctoritatis praevalida ferreaque confregerit virga*. Itaque coaevorum Scriptorum testimonio apertissime constat id, ad quod probandum adgressi sumus, quod nempe Feliciana haeresis ante Synodum Francofordiensem Sedis Apostolicae auctoritate funditus deleta & profligata sit.

Rediit quidem haud multo post ad pristinam insaniam Felix; conjunctisque cum Elipando viribus, majore quam antea temeritate & audacia ambo in impiae doctrinae propagationem incubuerunt. At nullo monumento probari potest, fuisse inter Catholicos disceptatum, an dogmata, queis semel Ecclesia Romana haereseos notam inussisset, reapse pro haereticis habenda essent. At cur, inquis, Carolus Magnus non modo Sedem Apostolicam, verum & alios Italiae, Galliae, Germaniae, ac totius fere Occidentis Episcopos ac Theologos iterum de hac re consulendos existimavit? Cur Synodum Francofordiensem coegit, in qua rursus eadem caussa diligentissime tractaretur? Cur deviis ad veritatis tramitem revocandis non modo Romani Pontificis, verum & consonam omnium Episcoporum sententiam & auctoritatem opposuit? Cur ita se gesserit, Imperator ipse demonstrat in Epistola ad Elipandum & ceteros Episcopos Hispaniae, in qua illis morem se gessisse significat; qui nimirum primum ab eo petierant, ne paucorum subdolis assertionibus consentiret, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter teneret: deinde ut missam ab eis ad ipsum Epistolam seu libellum in frequenti Episcoporum ac Theologorum conventu se coram legi

(a) Dissert. XVIII. in Synod. Rom. &c. num. LII.

legi ac dearticulatim recenseri & examinari praeciperet. Quod ad utrumque pertinet caput, illorum votis ac petitionibus sese annuisse respondet: *Facio*, inquit, *certissime* (quod petistis) *horum me sanctissimae multitudini, & probatissimae auctoritati in verae fidei professione firmiter associans, nec vestrae me paucitati, in consensione hujus novae assertionis Socium admitto*. Et rursum: *Fecimus sicut petistis, collectis undique Ecclesiasticis Doctoribus, & populi Christiani Rectoribus; nobisque omnibus .... consedentibus eumdem libellum .... perlegere jussimus &c.* Tum vero vicissim ab eis exigit, eosque iterum iterumque obtestatur, *ut in pacifica unanimitate, & Catholicae fidei professione* Episcoporum multitudini adhaereant, nec universali sancta Dei Ecclesia sese doctiores existimet. En itaque cur Episcopos per totum Occidentem ea inquisitione fatigatos Carolus voluit; & cur ipsi placuit quaestionem in Occidente ortam Occidentalium Ecclesiarum cum Apostolica Sede communi sententia terminari. Nimirum ut homines temerarii ac perjuri, qui Sedis Apostolicae judicium contemnebant, & praestita nuper sacramenta temere violabant, saltem in unam eamdemque sententiam conspirantium Episcoporum, ad quos ipsimet provocabant, auctoritati & multitudini cederent. Quod ergo eis Carolus morem gerens Episcoporum multitudinem convocavit, eorumque auctoritatem Refractariis objecit; id profecto argumento non est, quod in Romano Pontifice non satis auctoritatis agnoverit ad firmam & inconcussam fidei Catholicae regulam proponendam. Quin apertissime indicat, sufficere sibi ad salutem, si uni Apostolicae Sedi tanquam Scripturarum ac veterum traditionum interpreti inhaereat. Primum enim ait: *Apostolicae Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiae & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungor ..... hoc ad salutem animae meae sufficere credens &c.* ac deinde subjungit: *Cum his quoque doctoribus, & Sanctis Ecclesiae Pastoribus veram praedico fidem, quos in praesenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit*: „ Ecce „ ego vobiscum sum omnibus die„ bus usque ad consummationem „ saeculi. Itaque sic praedicat eorum omnium fidem, atque ita cum eis firmiter & immote manere judicat cum veritatem ipsam, tum ipsius Spiritum veritatis; ut tamen in una Sede Apostolica satis auctoritatis agnoscat ad Scripturas & veteres traditiones interpretandas, subindeque ad certam & irretractabilem fidei regulam constituendam.

Quam vero infirmum sit & elumbe, quod adversus nostram doctrinam ex Conciliorum celebratione ducitur argumentum, inde satis aperte liquet, quod adhuc post damnatam tum Apostolicae Sedis, tum etiam totius Occidentis in Francofordiensi Synodo Felicianam haeresim, alias Romano Pontifici & Carolo Regi adversus eumdem Felicem ejusque nefariam doctrinam congregare Synodos libuit; in quarum altera, & ipse Felix ad suam caussam disceptandam admissus est, & audi-

tae & confutatae rationes sunt, quibus in errore detinebatur. Dederat ad Felicem doctam Alcuinus epistolam, qua illum ut meliorem mentem resumeret, hortabatur: huic vero Felix virulento libello respondit, in quem erroris sui capita omnia conjecit: qui quum publici juris factus fuisset, anno DCCXCIX. coacta est Romae Synodus a Leone III. in qua & impius liber confutatus est, & Felici nisi resipisceret anathema dictum. Notanda imprimis sunt haec Pontificis verba Act. III. Concilii: *Nunc nostris sermonibus commonitionem audiant qui erraverunt, & conversi concordes nobis nostram teneant Catholicam & Apostolicam fidem, & Sanctorum Patrum sequantur traditiones. Venerantes proculdubio Sanctae Catholicae & Apostolicae Ecclesiae, quae est caput Ecclesiarum Dei, pias atque sacras definitiones, priscae insistant religioni &c.* quae paria sunt iis, quae supra ex Caroli Magni epistola descripta sunt: hortatur enim errantes, ut avitae religioni insistant & Patrum traditionibus. Sed quoniam id illi temere jactabant, & Patrum testimoniis ad suum sensum accommodatis haeresim tuebantur; ideo traditionibus jungit Apostolicae Sedis auctoritatem; illius unius fidem atque doctrinam commendans ut indeficientem & inerrantem veterum traditionum interpretem, ac proinde ut certam & immobilem fidei Catholicae regulam.

Et haec quidem Romae absente Felice decreta sunt. Sed alia non multo post Aquisgrani in praesentia Caroli Regis habita Synodus est, ad quam ipse Felix accessit, & ad suam caussam agendum admissus, cum Alcuino per dies aliquot conflixit, permissusque est in medium adferra testimonia Sanctorum Patrum, quae *de adoptione carnis in Filio Dei seu nuncupatione in humanitate ejus*, ex eorum libris sibi collegerat, ea conditione, ut ipse narrat in sua ad Urgellitanos epistola seu fidei confessione, ut *nostra*, inquit, *adsertio rata judicaretur, si ab illis*, hoc est Catholicis Episcopis ac Doctoribus, *per auctoritatem Sanctorum Patrum minime repudiaretur*. Quid ergo? An non adhuc fidei veritas immobilis & irretractabilis erat, in quam post Concilium Fracofordiense, & *Sedis Apostolicae auctoritas*, ut post Carolum Magnum ipse Bossuetius observat, & *Episcopalis unanimitas* consentiebat? Atqui, vel eodem ipso Meldensi Episcopo fatente, ea munita esse censentur Ecclesiae universalis auctoritate, quae & earum partium, ubi exorta quaestio est, expressa declaratione, & ceterarum toto terrarum orbe communicantium certa licet tacita consensione nituntur: quo velut certo & inconcusso principio probat, tum demum post Francofordiense Concilium pro Catholicis habitos non fuisse, qui decretis repugnassent, *quae pia unanimitas*, ut idem Carolus ait, *& pacifica perscrutatio protulisset*. Ut quid ergo eadem rursus in Aquisgranensi Concilio perscrutari jubet? Nimirum ut superiori Tomo saepe jam diximus, effusa quadam in haereticos indulgentia jurisque relaxatione: unde illud aperte consequens est ac sponte fluit, Synodorum celebrationem argumento non esse,

esse, Romanorum Pontificum definitiones non fuisse habitas ut fidei regulas irretractabiles; quum videamus & de iis in Synodis disceptatum, quas nemo Catholicorum dubitabat ad fidei regulam immobilem & irreformabilem pertinere.

De particula *Filioque* per haec tempora Symbolo addita id in praesentia unum observo, quod qui deinceps eam additionem tanquam jure factam & constanter retinendam adversus Graecos schismaticos propugnarunt, ad Romani Pontificis auctoritatem velut ad sacram anchoram confugerunt; haud aliter rati eam defendi posse atque jure retineri, quam quod Sedis Apostolicae auctoritate firmata erat; cui perinde fas & potestas fuerit addendi ad Symbolum Constantinopolitanum particulam *Filioque*, atque ipsis Constantinopol. Patribus licuerat plures facere ad Nicaenum Symbolum adjectiones. *Nec enim*, inquit Ratramnus hujus aevi celebris Scriptor de hoc argumento disserens adversus Graecos [a], *convincere potestis majorem Constantinopolitanae civitatis auctoritatem*, *quam civitatis Romanae*, *quae caput est omnium Christi Ecclesiarum*. Et Hugo Eterianus lib. III. *de Haeresibus*, *quas Graeci in Latinos devolvunt* cap. XVI. de eadem additione ita disserit: *Si Constantinopolitana Synodus Nicaeno adjecit Simbolo ... si Chalcedonensis Synodus Constantinopolitanae addidit Synodo .... nulla insimulatione*, *nulla reprehensione nullaque calumnia notandus est antiquioris Romae Antistes*, *quod caussa interpretationis dictionem unam . . . apposuerit &c.* Denique Manuel Calecas lib. IV. contra Graecos eadem inculcat; & quanquam ait, quod hanc particulam Synodus Symbolo adjecit; subjungit tamen, quod ad eam rite adjungendam *Romani Pontificis suffecisset auctoritas*, *quae etiam Synodos reliquas roborat*. Videri possunt quae fusius latoque calamo ex laudatis Scriptoribus Nat. Alex. exscribit Dissert. XVIII. in Hist. Saec. IX. & X. Assert. II. quibus addere possumus & Angelici Praeceptoris testimonium, qui pariter ex eo quod sequens Synodus jure aliquid addere potuit *supra id quod praecedens Synodus exposuerat*; colligit, potiore jure id ad Summum Pontificem pertinere; utpote *cujus auctoritate Synodus congregatur*, *& ejus sententia confirmatur* (b).

CAPUT XXI.

„ Tricassina Synodus sub Johanne
„ VIII. Professio obedientiae
„ Romano Pontifici facta secun-
„ dum Canones ab Hincmaro Rhe-
„ mensi: Episcopi conjuncta au-
„ ctoritate cum Papa judicant: ex
„ consensione robur.

Quae ex quibusdam Galliarum noni saeculi Synodis & Episcopis in praesenti, & quod proxime sequitur, Capitibus Meldensis Episcopus adfert, ea nequaquam ad fidei quaestiones pertinere, ipse ultro monet

(a) Lib. II. cont. Graecor. opposita cap. II.
(b) 2. 2. Quaest. I. art. X. ad II.

net ac profitetur. Quare nec ad praesentem disputationem pertinere debent, quae circa Caput quartum Gallicanae Declarationis versatur, in quo disertis conceptisque verbis de Romani Pontificis *in fidei quaestionibus* judicandis auctoritate statuitur. Non est ergo cur in iis recensendis & accuratius enucleandis in praesentia immoremur; quum locum habere debeant in alterius argumenti disputatione; nec quae in rebus tanti momenti omnino servanda est diligens & circumspecta differendi ratio permittat, ut quae non unius generis sunt in uno eodemque sermone permisceantur.

CAPUT XXII.

„ Objecta solvuntur: Turonensis II.
„ Concilii Canon: Statuta Nicolai
„ Papae: Canones Pontigonen-
„ sis Synodi: Quae Petri privi-
„ legio facta habeantur. S. Leo-
„ nis insignis locus.

ET in hoc Capite, ut jam indicavimus, eumdem Bossuetius errorem errat atque in praecedente: nempe potestatem Romani Pontificis ad terminandas fidei controversias cum ea, quam in aliis caussis atque negotiis exercere potest, auctoritate confundit; ut quoniam absolute in his caussis obrepi potest Summo Pontifici, isque quidquam aliquando statuere, quod non modo sacris Canonibus, verum & divino juri sacrisque litteris adversetur, [nec enim ipsi in quibuscumque negotiis idem atque in fidei rebus inerrantiae privilegium vindicamus;] ita in fide sollenniter sancienda errori aut errandi periculo obnoxius judicetur. Ab hac tamen mente & cogitatione quam longissime aberant iidem ipsi Gallicani Patres, qui vel in Tricassina Synodo obedientiam Johanni VIII. spondebant *secundum sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos*; vel qui in Pontigonensi, ejusdem Pontificis Legatis, ob Ansegisum Senonensem per Apostolicae Sedis Legationem super alios Galliarum Episcopos evehendum, pertinaciter refragabantur: hi enim in fidei quaestionibus ac negotiis non modo Romani Pontificis praecipuas esse partes profitebantur, verum & in eo summam & indeclinabilem auctoritatem agnoscebant. Quod quidem quoniam ad praesentem disputationem plurimum habet momenti; idcirco in eo demonstrando paullulum immorari libet.

ARTICULUS UNICUS.

Ostenditur Gallicanos noni saeculi Scriptores & Episcopos absolutam & indeclinabilem nullique obnoxiam errori ad fidei dogmata definienda in Romano Pontifice auctoritatem agnovisse.

VIvebat adhuc hujusce saeculi initio in Galliis Alcuinus, qui quamquam Natione Anglicus, attamen & Gallicanae Ecclesiae Doctoribus adcenseri potest, quod in Gallias a Carolo Magno accersitus, bonarum artium ac sacrarum litterarum studiis instaurandis & amplificandis sedulam per plures annos navavit

vavit operam, ac semina doctrinae jecit, quae uberrimam messem hoc ipso saeculo praebuerunt. Is ergo lib. VII. adversus Felicem Urgellitanum diserte docet, Romanam Ecclesiam in fidei rebus ab omnibus *Catholicis & recte credentibus* esse sequendam: si tamen, ut alibi admonet, (epist. LXX.) Catholicum nomen retinere volunt, atque ab Ecclesiae capite abscindi, & a regno Caelorum abjici Clavigeri ipsius auctoritate verentur: *Ne schismaticus inveniatur non Catholicus, sequatur probatissimam Sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem; ut unde Catholicae fidei initia accipiemus, inde exemplaria salutis nostrae semper habeamus: ne membra a capita separentur suo, ne Claviger regni Caelestis abjiciat, quo a suis deviasse cognoverit doctrinis.*

Consona his imo & longe luculentiora de Sedis Apostolicae auctoritate, debitaque illi ab omnibus, in his potissimum quae ad fidem pertinent, obedientia, haud semel Hincmarus Remensis Episcopus inculcavit: *Piis*, inquit (a), *devotis atque Catholicis hoc potest & hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta Catholica atque Apostolica docet Romana Ecclesia. Ipsa enim ut mater nos Christo genuit, nos religione nutrivit, nos doctrina instruxit, nos sicut in Sancto Petro a Christo firma petra accepit, Doctoris instituit, & Catholico lacte nutritos, & ad Virum perfectum perductos, ad docendum alios informavit*. Haec Hincmarus in Opere, in quo cum Gotthescalco aliisque Monachis & Gallicanis Episcopis de Mysteriis divinae praedestinationis & gratiae confligebatur, suamque doctrinam vindicans ab infamia haereseos, qua ab illis adspergebatur. Dixerat haec eadem ejusdem Operis capite quarto: *Sequimur autem quae Catholica & Apostolica nos docet Sancta Romana Ecclesia, quae nos in fide genuit, Catholico lacte aluit, uberibus caelo pleni ad solidum cibum nutrivit &c.* Nec semel haec scripsisse contentus; eadem rursus, ut vidimus in alio capite ingerit. Porro in iis locis non ait, quod octo post Hincmarum evolutis saeculis Clerus Gallicanus constituit, praecipuas Romani Pontificis sive Romanae Ecclesiae in fidei quaestionibus esse partes; sed aperte statuit, id piis atque Catholicis posse, imo & debere sufficere quod Romana docet Ecclesia: si autem id sufficere debet, piis & Catholicis nil aliud quaerendum est, nil omnino retractandum, nec ante aliarum Ecclesiarum aut Episcoporum consensus explorandus, quam sensus nostros ad ejus doctrinam velut ad certam & immotam Catholicae fidei regulam accommodemus. Secus enim, non id piis atque Catholicis sufficere posset ac deberet, quod Romana, sed quod cum Romana universa docet Ecclesia. Neque id porro de iis tantum fidei morumque decretis Remensis Episcopus docet, quae clara & aperta sunt verum & de rebus obscuris ac dubiis, & magnis altercationum nebulis involutis, ut ipse diserte monet in Opusculo de Divortio Lotharii & Theutbergae, de quo acriter

(a) Lib. de Praedestin. cap. XXIV.

ter Germaniae & Galliarum Episcopi digladiabantur. Ipse autem vel in ipsa operis Praefatione hoc veluti certum & incocussum adsumit; quod *de omnibus dubiis vel obscuris, quae ad rectae fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia ut omnium Ecclesiarum mater & magistra, nutrix ac doctrix est cosulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda*. Iis autem omnibus locis adtexit verba Sancti Innocentii in exordio Epistolae ad Decentium Episcopum Eugubinum, ubi decernit, id omnibus atque imprimis Occidentalibus Ecclesiis esse sequendum, *quod Ecclesia Romana custodit, a qua eas principium accepisse, non dubium est: ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere*. Jure ergo summi Principatus, quem per Apostolorum Principem divinitus adepta est, ab omnibus Ecclesiis, ac potissimum ab Occidentalibus, quibus etiam origo, radix & matrix est fidei, Sedes Apostolica exigit, ut ab eis in omnibus controversiis, & in omnibus etiam dubiis obscurisque quaestionibus, quae vel ad fidei, vel ad pietatis morumque dogmata pertinent, consulatur: neque hoc tantum, verum & ut quae ediderit responsa velut oracula excipiantur, propterea quod illas in fide genuit, & uberibus de caelo plenis aluit, & alere non desistit.

Nicolaus Primus datis ad Hincmarum litteris, per eum aliis quoque Metropolitanis ceterisque Galliarum Episcopis communicandis, ipsos hortatus est, ut a Photii aliorumque Schismaticorum calumniis Sedem Apostolicam vindicarent. In his porro litteris Sanctissimus Pontifex de ipsius Ecclesiae Romanae Sedisque suae privilegiis plura magnifice praedicat & amplissime disserit: quod nempe *maculam non habeat, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Quod ipsa ex quo coepit Christiana religio dilatari, quae semel in Petro patrono ac institutore suo suscepit, immutilata tenuerit; & incorrupta per alia climata mundi docuerit. Quod Christi munere, propter primatum Ecclesiae Romanae in Beato Petro concessum, nemini sit de Sedis Apostolicae judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum*. Porro quamquam excitat illos ad suam cum Sede Apostolica in iisdem dogmatibus praedicandis concordiam publicis scriptis testandam; attamen diserte monet ejusmodi se se solatio absolute non indigere, & sibi soli satis esse vigoris & auctoritatis ad omnium Orientalium impetus retundendos: *Porro autem nos Apostolicae Sedis auctoritatem, Deo gratias, non ignorantes, hactenus quodammodo singulariter eorum pravitatem, nullo solatio vestro more prisco muniti, constantia summa repressimus*. Conari quidem Photium aliosque Schismaticos Patriarchas Alexandrinum & Hierosolymitanum ad suas adjungere partes; nec tamen ideo cupere Gallos in Ecclesiae Romanae armari defensionem, quod illorum conspirationem timeat: *In quo non nos eorum concordiam, fortasse contra statuta seu traditiones Apostolicae Sedis improvide conglutinatam, Deo adju-*

adjuvante, pavemus: verum ut Orientales noscant, non sibi tantum, ut Photius temere mentiebatur, verum & omnibus Occidentalibus nefaria schismaticorum molimina improbari: *Quapropter*, subjungit, *venerabilis industria vestra talem se de cetero exhibeat necesse est, ut Sole clarius, hanc a Sede Petri in nullo diffidere, quin potius cum illa in cunctis sentire, iidem hostes cognoscant*. Paruit Nicolai jussis Hincmarus; legitque primum Pontificis litteras in Regio Palatio coram ipso Carolo Rege & in plurium Episcoporum conventu, ac subinde ad alios Metropolitanos ceteris per eos Episcopis intimandas transmisit, ut Flodoardus testatur lib. III. Hist. Remens. Eccl. cap. XVII. Non modo autem neque Carolus Calvus, neque Hincmarus, neque ullus Episcoporum aut aliorum Theologorum conquestus est, quod in iis litteris Nicolaus suae Sedis jura & dignitatem nimium extolleret; verum & ii, quorum ad nos adversus Graecos scripta illius temporis pervenerunt, non minus diserte, quam ipse Pontifex, eamdem Sedis Apostolicae summam & nulli obnoxiam errori in definiendis fidei dogmatibus auctoritatem praedicarunt.

Ita Aeneas Episcopus Parisiensis in Praefatione operis, quo Graecorum calumniis respondit, ut eorum insanam temeritatem, qua se adversus Sedem Apostolicam efferebant, coërceret; quamplures fuisse animadvertit in Oriente, & in ipsa Regia urbe, imo & in ipsa Regiae urbis Sede, qui pravorum dogmatum architecti fuerunt, & ex quibus haeresum monstra prodiere: *Non vero*, subjungit *in Romana Sede, Deo rectore, tale unquam contigit dedecus, ut aliquis haeresiarches eidem praesideret*. Hoc vero Ecclesiae Romanae decus, ut nullum rectorem aut sponsum habuerit, qui sacrae doctrinae castitatem adulteraverit, Christi promissis & ordinationibus Aeneas tribuit, queis Petrum summum Ecclesiae Pastorem constituit, clavibus caelestis regni donavit, & firmam esse voluit mansuri in aeternum aedificii petram & immobile fundamentum: *Quam*, inquit, (Romanam Sedem) *summus Apostolorum Princeps sua sessione inlustravit, & fuso sanguine consecravit; cui suas regendas oves Dei Filius speciali cura commisit. Nec mirum, quia ipsi dictum fuerat*: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni caelorum. *Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem quum Petrum dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit*. Ex quo ergo Ecclesiae principatum Petrus accepit; & in eo caelestis aedificii firmamentum positum est, ejus fidem omnipotentia sua Christus firmavit; eamdemque fidei firmitatem in Petro omnes ejus successores acceperunt.

Nec minus luculenter Ratramnus Corbejensis Monachus summam & indeclinabilem Romano Pontifici in fidei morumque regulis constituendis auctoritatem adstruit in Opere, quod adversus *Graecorum opposita* elucubravit, & Carolo Calvo Imperatori dicavit. Nam inter alia huc pertinen-

tinen-

tinentia, & alibi quoque a nobis adlata, haec habet, quibus nihil in rem nostram disertius desiderari potest: *Omnes Orientales Ecclesiae, simul & Occidentales, Romanae civitatis Praesules semper quasi caput Episcoporum veneratae sunt & ad ejus sententiam respexerunt, & de rebus dubiis quaecumque decrevit ejus judicium sustinuerunt, illiusque decreto paruerunt. Quaecumque Concilia ejus sententia roborata sunt, rata manserunt: quae vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt*. Quibus gravioribus & significatioribus verbis sententiam quam defendimus efferre possimus, prorsus non occurrit: Omnes, inquit, Ecclesiae Occidentales & Orientales in rebus dubiis ad Ecclesiam Romanam respiciunt, eam consulunt, ejus judicium sustinent ac decreta suscipiunt, iisque omnino parent: ex ejus adprobatione & confirmatione Conciliorum firmitas pendet, & ut nulla sit eorum vis & auctoritas, satis est quod ipsi improbentur. Ejusmodi in Romano Pontifice Gallicani Episcopi ac Theologi auctoritatem agnoscant ac venerentur; nec ulla jam nobis cum ipsis de hoc argumento disputatio est.

Libet laudatis hactenus in hoc capite Episcopis ac Theologis addere Annalium Metensium anonymum Scriptorem, qui de itinere loquens, quod Romam post moecham & adulteram Metensem, Pseudo-Synodum Theutgaudus Trevirensis & Guntharius Coloniensis Archiepiscopi susceperunt; ut nimirum Pontifici imponerent, & eum fallaciter circumventum ad probandum Lotharii Regis divortium, & Metensis prostibuli acta (sic enim eam Synodum vocari Nicolaus in Concilio Romano Can. I. decrevit) per summum scelus impellerent; *stultitiae elogio*, inquit laudatus Historicus, *denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt; quae nec fefellit, nec ab aliqua unquam haeresi falli potuit*. Non potuit luculentius ac brevius definiri quae a modernis Theologis dicitur Romani Pontificis *infallibilitas*: ille enim ex eorum sententia in fidei morumque regulis statuendis infallibilis est, qui nec fefellit, nec ulla unquam haeresi falli potuit. Quare, utut sit de quibusdam specialibus factis, de quibus in praesentia nolumus disputare; certum est, hujusce saeculi, quo Gallicana Ecclesia Viris illustribus plurimum ornata est, Episcopos ac Doctores non id sibi adrogasse, ut Romanorum Pontificum de fidei morumque rebus judicia retractarent.

CAPUT XXIII.

„ Aggredimur demonstrare, Viros
„ bonos sanctosque (circa) Ro-
„ manorum Pontificum decreta
„ etiam de fide suspenso animo
„ mansisse, quoad universalis con-
„ sensus accederet: Sancti Victo-
„ ris Papae decretum de Pascha-
„ te proponitur: Sancti Stepha-
„ ni de rebaptizatione paucis re-
„ petitur.

ADmodum celebris hic locus est in Ecclesiastica Historia, & Theologorum disputationibus obvius

multumque ab illis vexatus: ex eo autem hoc Illustrissimus Adversarius in summa conficit argumentum. Victor Romanus Pontifex in Synodo Romana decernit, fas non esse Christianis Pascha Luna decimaquarta cum Judaeis celebrare. Polycrates Ephesiorum Episcopus cum aliis Asianis decreto Pontificis refragatur, neque poenis Ecclesiasticis intentatis, aut forsitan reapse inflictis, a sententia deterretur. S. Ireneus aliique per orbem Episcopi nimiam Victoris severitatem arguunt, Polycrates autem in Ecclesiae communione permanet, atque inter Sanctos habetur: neque Quartodecimani ante Nicaenam Synodum haereticis adnumerati: Itaque absque fidei absque pietatis dispendio potest quis Romani Pontificis decretis (cujusmodi istud Victoris erat, aut habebatur) obluctari, antequam eis Ecclesiae consensus accedat. Haec summa argumenti, quod in hoc Capite Bossuetius urget, quod est jam nobis expendendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Si quaestio de Paschate celebrando post Lunam decimamquartam ad fidem pertinebat, aut pertinere judicabatur; & si Pontifex eam quaestionem sollenni decreto sancivit; ejusmodi decretum, etiam ex Gallorum sententia, immobilis esse debuit & irretractabilis auctoritatis.

Id enim, ut jam saepius animadvertimus, habet Gallorum Episcoporum ac Theologorum communis doctrina, ea saltem Romanorum Pontificum de fide decreta immobilem habere & ineluctabilem firmitatem, quibus plurimorum Episcoporum & Ecclesiarum manifestus vel etiam tacitus consensus adest: Porro ejusmodi fuisse latum a Victore decretum de celabrando Paschate die Dominica post Lunam decimamquartam, ex Eusebio compertum & exploratum habemus; qui lib. V. Hist. cap. XXII. & seqq. testis locupletissimus est, quod praeter aliquot Episcopos Asiae, & quidem, ut videtur, juxta arctiorem nominis hujus notionem, qua ad solam Asiam Lydiacam coarctatur; ceteri per universum orbem Episcopi & Ecclesiae tum ab ipsis Apostolorum temporibus Ecclesiae Romanae de hac re traditionem & consuetudinem sequebantur; tum etiam praeeunte Victore, eamdem consuetudinem ab omnibus omnino esse servandam, habitis per suas quique Provincias Synodis statuerunt: *Ceteris*, inquit, *Ecclesiis per universum orbem terrarum dispersis, quae consuetudinem ex Apostolica traditione ad hoc usque tempus continuatam tenebant.... Idcirco Concilia & conventus Episcoporum in unum cogebantur, & omnes una sententia decretum Ecclesiasticum; nempe ut non alio die aliquando quam Dominico mysterium Domini resurrectionis a mortuis celebraretur.... per litteras ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant*. Deinde plures ejusmodi Synodos Eusebius nominatim recenset; ut Ponticam, in qua Palmas, utpote antiquissimus & maxime venerandus, praesidem egit; Gallicam ab Irenaeo Lugdunensi Episcopo celebratam; Oiroënam,

nam, cujus Praeses ignoratur, cui, juxta Libellum Synodicum, octodecim Episcopi interfuerunt; Achaicam, quam Bacchyllius Corinthiorum Episcopus congregavit; quibus Synodici Auctor Mesopotamicam adjungit octodecim Episcoporum, tanquam ab Osroëna distinctam, & Hierosolymitanam Narcissi & aliorum quatuordecim Episcoporum, quam pariter a Caesariensi seu Palaestina, de qua mox dicemus, distinguit: *Et alia denique*, subjungit Eusebius, *aliorum prope infinitorum* (Concilia) *qui uno consensu judicioque uno eamdem de illius festi observatione tulere sententiam. Atque istorum omnium una haec quam docuimus consentiens erat decisio*. Specialem autem Palaestinae Synodi mentionem facit, cui Narcissus Hierosolymorum & Theophilus Caesariensis Episcopi praefuerunt; qui in epistola Synodica, cujus fragmentum Eusebius refert, observant. Alexandrinam quoque, ac proinde & totius Aegypti Ecclesias, quae ab illa omnino pendebant ac regebantur, eamdem cum aliis totius orbis Ecclesiis in Paschatis celebratione traditionem & consuetudinem observasse: *Illud*, inquiunt apud laudatum Eusebium libro jam citato cap. XXV. *vos minime ignorare volumus, quod Alexandriae etiam eodem die quo nos istud festum agunt. Siquidem tum a nobis ad illos, tum ab illis ad nos perferuntur litterae, ut cum summo consensu una istum diem sacrosanctum auguste & religiose celebremus*. Porro non Gallicanas modo, verum & universas Occidentis Ecclesias cum Romana & Victore Pontifice conjunctas fuisse, tum ex se extra omnem controversiam positum esse debet, tum etiam perspicue testatur S. Epiphanius haeresi LXX. quae est Audianorum.

Habemus ergo Ecclesiarum Galliae, Italiae in Romana Synodo, Achaiae, Ponti, Syriae, & Palaestinae publice ac sollenniter contestatam in ejusmodi controversia cum Romano Pontifice consensionem: Reliquas Occidentis & Aegyptiacas Romanae Ecclesiae traditionem & consuetudinem retinuisse, testes habemus locupletissimos Palaestinos Episcopos & Epiphanium. Denique generatim totius orbis Ecclesias, praeter Asianas arctiore notione sic nuncupatas eidem haesisse sententiae, laudatus Eusebius testatur, qui id partim ex earum Synodis, partim ex earum silentio colligere videtur; quum haud probabile sit, reapse per totum orbem fuisse de hoc argumento celebrata Concilia, aut ea ad Eusebii manus & notitiam pervenisse. Sed quum solos Asianos Episcopos Romani Pontificis decreto obluctatos esse comperisset; & alios, & quidem plurimos, illi sollenniter adhaesisse, ceterorum silentium pro tacito consensu habuit, & reliquas omnes Ecclesias per universum orbem dispersas in eamdem conspirasse sententiam, fidenter pronunciavi. Si ergo Victoris decretum de Paschate post Lunam decimamquartam nec nisi Dominica die celebrando, moralis Episcoporum unanimitas adprobavit; & si hoc decretum ad fidem pertinebat; aut pertinere, a Victore aliisque Episco-

ſcopis credebatur, ut Boſſuetius contendit; debuit illud decretum, etiam juxta Gallicanae Eccleſiae doctrinam, immobilem habere & indeclinabilem firmitatem; & argumentum, quod ex Polycratis & Aſianorum reſiſtentia petitur, non modo adverſus noſtram, verum adverſus communem Catholicorum omnium Theologorum ſententiam urgendum eſt.

Natalis Alex. diſſert. V. in Hiſt. Eccleſ. Saec. II. quae tota de hoc argumento eſt, ant. IV. hanc primo loco theſim proponit: *Quaeſtio de tempore legitimo celebrandi Paſchatis inter Aſiaticos, & alias Eccleſias mota, meram ſpectabat diſciplinam*. Hanc vero theſim hac inter alias ratione confirmat: Niſi ſolam ſpectaſſet diſciplinam, illa quae Aſiaticas Eccleſias cum Victore Pontifice Romano & aliis Eccleſiis commiſit, controverſia, Sanctus Irenaeus non deterruiſſet Victorem ab anathemate infligendo tot Eccleſiis *propter traditionem ex antiqua conſuetudine inter illas uſurpatae obſervantiam*. Non enim anathema ab haereticis avertiſſet Vir Apoſtolicus Irenaeus: Atqui ille Victori auctor fuit, *ne tam multas Eccleſias omnino, propter traditionis ex antiqua conſuetudine inter illas uſurpatae obſervationem, a corpore univerſae Chriſti Eccleſiae penitus amputaret*. Ut teſtatur Euſebius lib. V. Hiſtor. cap. XXIV. Ergo controverſia, quae Aſiaticas Eccleſias cum Victore Pontifice Romano commiſit, ſolam ſpectabat diſciplinam. Non enim [ſubjungit laudatus Auctor] S. Irenaeus oraſſet Victorem, ut a communione non ſuſpenderet eos, cum quibus nulla eſſe debebat cummunio, & quibus nec *Ave* dicendum erat. Porro ſi quaeſtio fuiſſet de fide, haeretici fuiſſent Aſiatici; ac proinde jure communionis excidiſſent. Unde Tertullianus ait de haereſibus: *Probent ſe quaqua putant Apoſtolicas. Sed adeo nec ſunt, nec probare poſſunt quod non ſunt: nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſiis quoquomodo Apoſtolicis. Scilicet ob diverſitatem ſacramenti nullo modo Apoſtolicae*, lib. de Praeſcript. cap. XXXII. Porro ſi quaeſtione de legitimo tempore celebrandi Paſchatis ad fidem pertinente, haeretici fuiſſent Aſiatici, qui Victoris decreto, cui Eccleſiae Apoſtolicae adhaerebant, pertinaciter refragabantur; profecto neceſſe eſt, illud Victoris decretum fuiſſe jam ſummae & ineluctabilis auctoritatis; cui nimirum quis obniti non poſſet, niſi in haereſis reatum incurreret.

ARTICULUS II.

Quaeſtio de legitimo celebrandi Paſchatis tempore ſpectare poterat vario reſpectu ad diſciplinam, & ad fidem: errorem Polycratis fidei contrarium vibrato anathemate Victor damnavit: abſterſo autem errore dogmatis perverſionem diſciplinae Sanctiſſimus & aequiſſimus Pontifex toleravit.

MOs iſte & conſetudo, quae in Eccleſiis Aſiae inoleverat, celebrandi Paſchatis Luna decima quarta in quamcumque hebdomadae diem incideret, ad meram diſciplinam ſpectabat, ſi hac ſolum mente

te retinebatur, ut ritus Majorum auctoritate commendatus religiose a posteris servaretur. At vero ad fidem spectabat, seu cum errore contra fidem conjuncta erat, si haec legis Mosaicae ceremonia pars Legis & institutionis Evangelicae credebatur; perinde atque illam Christus in Evangelio ab omnibus omnino servandam sua potestate & auctoritate sanxisset. Certum est autem, Polycarpum aliosque sanctitate ac doctrina celebres Viros, quos Polycrates in suis ad Victorem litteris laudat, hunc ritum haud alia mente servasse, quam ut id religiose retinere & colere viderentur, quod Johannes Apostolus exemplo suo commendasset; qui in ea re haud aliud certe spectaverat, quam ut Judaeos, quorum in Asia magna vis erat, hujusce Legalis observantiae tolerantia facilius ad Evangelicae legis institutionem transferret. At circa Papa Victoris tempora non defuerunt homines temerarii, qui hanc Mosaici cultus observationem velut ad fidei regulam pertinentem in Ecclesiam invehere moliebantur. Auctor Tertulliano ut Pagio videtur (a), coaevus Catalogi Haereticorum, qui Tertulliano ipsi adscriptus est, ejusque libro de Praescriptionibus adjunctus, Blastum insimulat, perinde atque voluisset Judaismum in Ecclesiam introducere, quoniam Pascha Luna XIV. una cum Judaeis celebrandum esse decreverat: *Est praeterea*, inquit cap. LIII. *his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIV. mensis. Quis autem nesciat, quoniam Evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit?* Ecclesiae Romanae Presbyter erat Blastus; ut Eusebius lib. V. Histor. cap. XIV. testatur; qui profecto nunquam animum induxisset, ut exoticam observantiam Romam inferret, nisi credidisset, hanc Mosaicae legis ceremoniam esse omnino etiam in lege Evangelica retinendam. Nec veri dissimile, in eamdem quoque opinionem Florinum incidisse, utpote qui olim familiariter usus Polycarpo fuerat, quod ipsi per Epistolam exprobrat Irenaeus apud Eusebium libro mox laudato cap. XX. & cum Blasto quamdam erroris societatem iniisse videtur; ut Theodoritus indicat lib. I. Haeret. Fab. cap. XXIII. *Sed Florinus & Blastus, Presbyterorum in albo Romae conscripti, in Valentini pestem declinarunt.*

Videns ergo Victor, hunc ritum, quem ipsius Decessores in aliquot Ecclesiis & sanctissimis Episcopis toleraverant, in haeresim desinere; haud amplius dissimulandum ratus, ad praecipuos totius Ecclesiae Episcopos litteras dedit, ut Provinciarum suarum Synodos cogerent, & Ecclesiae Romanae disciplinam & traditionem aut confirmarent, aut suas ad illam Ecclesias accomodarent; Asiaticis potissimum, nisi consentirent, excommunicationem denuntians; ut colligitur ex iis Polycratis verbis in Epistola ad Victorem Pontificem & ad Ecclesiam Romanam

(a) Ad ann. 171. num. IV.

nam (a): *Ego, Fratres .... nihil moveor iis, quae nobis ad formidinem intentantur*. Quae quum ex Ephesina Synodo scripta sint, patet, ante eam Synodum fuisse Asiaticis Ecclesiasticas poenas a Pontifice intentatas. Habita Romae, in Palestina, in Ponto, in Osrohena, in Achaja, pluribusque, vel ut habet Eusebius, *infinitis* aliis in locis Concilia, uno consensu atque judicio Ecclesiasticam regulam universis Fidelibus per epistolas Synodicas tradiderunt, ne videlicet alia die quam Dominica Mysterium Resurrectionis Domini a mortuis unquam celebraretur: eademque fuit Ecclesiarum Galliae sententia, quemadmodum superiori articulo ostendimus. At Polycrates Ephesinus Episcopus, coacto Asianorum Episcoporum Concilio, minacibus Victoris litteris minime commotus, ab antiqua Ecclesiae suae consuetudine haud sibi discedendum putavit: deditque tales ex ea Synodo ad Victorem litteras, ex quibus cum alii plures doctissimi Viri, tum ipse Illustrissimus adversarius colligunt, Polycratem aliosque Asianos Episcopos eidem, atque Blastum & Florinum aliosque Judaizantes, implicitos fuisse pravae opinioni; quod nempe Judaicam hanc observantiam lex divina per Evangelium confirmata retinendam praeciperet; adeoque Victori minas intentanti illud Apostolorum Polycrates ingesserat: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*; quod ea ceremonia ad fidei regulam pertineret: *Hi omnes diem Paschae XIV. Lunae juxta Evangelium observarunt, nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter sequentes*; denique quod ii tantum, quibus cum Judaeis hac de re conveniebat, verum ac genuinum agerent festum; unde consequens erat, quod Romana aliaeque omnes per universum orbem Ecclesiae a divina lege, ab Evangelica institutione & a fidei regula aberrarent: *Nos igitur verum ac genuinum agimus diem, nec addentes quidquam, nec detrahentes*.

Errorem ergo fidei professioni atque doctrinae contrarium, perinde ac Blastus & Florinus aliique Judaizantes, veteri consuetudini Asiani Episcopi addiderant: ideoque mirandum, ac Victori succensendum non est, si veterem Asianorum ritum cum pravo dogmate jam conjunctum, haud amplius tolerandum putaverit, quem madmodum ab errore adhuc purus & immunis fuerat a suis Decessoribus toleratus, atque *totius Asiae Ecclesias cum aliis finitimis*,

, hoc est, ut erudite hunc Eusebii locum (b) verit Valesius; *tanquam contraria rectae fidei sentientes, a communi unitate abscindere conatur; datisque literis, universos qui illic erant fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiae prorsus alienos pronunciat*. Ex quibus verbis Baronius, Pagius, Schelstratius, Petrus de Marca, Tillemontius, Massuetius & alii colligunt, haud intra minas haesisse Victorem, sed acceptis Polycratis Ephesinaeque Synodi litteris,

(a) Apud Euseb. lib. V. Hist. cap. XXIII.
(b) Ubi sup. cap. XXIV.

teris, reapse anathematis fulmen in Asiaticos emisisse.

Hinc autem *Novatorum calumniae* * proficiscuntur, qui Victoris excommunicationem a ceteris Ecclesiis spretam, & Ecclesiarum Asiaticarum consortium ab omnibus retentum praedicant; adeo ut quae adversus illos directa erat machina, in nos contorqueant. Etenim, ut saepe laudatus Eusebius narrat, Victoris severitas *non omnibus placebat Episcopis: & illum contra magnopere adhortabantur, ut pacis, concordiae & caritatis erga proximos diligentem curam haberet*. Potissimum autem Irenaeus litteras ex Gallicana Synodo ad Victorem dedit; quibus ipsum, ut idem scribit Eusebius, *decenter admonet*, *ne integras Dei Ecclesias*, *morem sibi a Majoribus traditum custodientes*, *a communione abscindat*. Ex quibus colligunt Adversarii, Irenaeum aliosque Episcopos non modo Victori Asianos Episcopos ab Ecclesiae communione amputanti minime consensisse, verum & ipsum arguisse; quod paci, concordiae, & caritati parum consuleret.

Hunc ego ictum duplici, quam duo Illustrissimi Viri, Petrus de Marca & Emmanuel Schelstratius mihi suppeditant, observatione repellam. Exoratus ab Irenaeo aliisque Episcopis Victor, inquit laudatus de Marca, ut praecipuae auctoritatis, quae in Romana Sede viget, specimen edidit, excommunicatione in Asianos lata, universalis Ecclesiae traditionem, comprobatam a quamplurimis Synodis nutu ejus indictis constantissime vindicando; ita quoque humanitatis remissionisque in toleranda consuetudine particulari singulare exemplum praebuit. In gratiam enim statim redivisse Polycratem & Asiaticos cum Victore, retento Ecclesiarum suarum usu, testatur Sozomenus: (a) *Decreto communi singuli*, *ut consueverant*, *festum agentes*, *a mutua communione non recesserunt*. Dissimulandum tamen non est, errorem irrepsisse in textum Sozomeni in Polycratis nomine, quum lectio integra remanserit in nomine Victoris: *Sapientissime autem arbitror*, inquit, *solvisse subortam olim de eo controversiam Victorem tunc temporis Romae Episcopum*, *& Polycarpum Smyrnensem*. Legendum est, *Polycratem*; qui error proclivis est. Ac tum subjungit Illustrissimus Praesul, quod ex sola rei gestae narratione Novatorum calumniae refelluntur. Licet enim probent, quod facillimum est, non rejectos Asiaticos a communione Orientalium post Victoris censuram: hoc de dignitate Sedis Apostolicae nihil demit: quum ad Irenaei suggestionem pacem redditam a Victore docuerimus. Ex Eusebio enim & Socrate constat de excommunicatione a Victore inflicta, & de Irenaei epistola. Ex Sozomeno autem, de communione Victoris & Polycratis non interrupta. Quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso a Victore excommunicationis effectu post monita Irenaei.

Qua vero conditione pax inter eos sancita sit, ex eodem Sozomeno demon-

(a) Lib. VII. Hist. Eccles. cap. XIX.

* Verbis utor Petri de Marca Concordia Sacerdot. & Imp. lib. III. cap. IX. num. IV.

monstrat Cl. Schelstratius (a); qui teste Pagio (b), egregie elucidat contentionem Polycratis contra Victorem Papam pro observatione Paschatis. Ait enim, quod quum teste Sozomeno pax hoc modo inter Victorem & Polycratem composita sit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, a mutua inter se communione nequaquam discederent; videtur Irenaeus pro Asianis intercessisse datis ad Victorem litteris, non quidem judicando excommunicationem injuste latam, (sic enim non tam saepe Victorem hortatus fuisset, sed ei injustum procedendi modum exprobrasset) at monendo, ut errore per Polycratem revocato, ob solam Asiae consuetudinem illius Ecclesiae non manerent excommunicationi innodatae. Hocque ipso facto sentiit Victor apud Sozomenum loco citato, ubi & additur: ***Stultum enim nec immerito aestimabant, consuetudinum caussa ab se invicem separari eos, qui in praecipuis religionis capitibus consentirent.*** Tantum abfuit, Victorem ob solam consuetudinem excommunicasse Asianos, ut revocato eorum errore cum omnibus Occidentis Episcopis crediderit id stultum, juxta versionem Valesii, vel ut habet alia, frivolum judicarit. Hisce recte observatis, a nodosis difficultatibus liberamur, quibus alii minus considerate procedentes huc usque fuere obnoxii. Enimvero ad instantiam Sancti Irenaei sustulit excommunicationem Pontifex Romanus Victor, non quidem quod erraverit ferendo, sed quod caussam, nimirum errorem, retractaverit Polycrates cum tota Asia, cui permissum fuit consuetudinem retinere; ut jam pateat, licuisse post Victorem observare morem Asiaticum, donec ob plerasque rationes visum fuerit, more illo sublato, Romanam consuetudinem ubique observare. Et infra; Haec si perpendantur, inquit Illustrissimus Auctor, quis non videt, Victoris & Successorum Pontificum auctoritati immerito opponi factum Polycratis; qui non unici Victoris, sed totius fere Ecclesiae morem ausu tam temerario abjudicavit, ut & vela vertens errorem proprium erubuerit, & Victorem non errasse consensit, quando consuetudinem ipsius, teste Sozomeno, indifferenter reliquerit observari. Haec possent aliis observationibus illustrari: sed vela contrahenda sunt.

CAPUT XXIV.

„ Pelagii I. piis & orthodoxis suf-
„ pecta fides propter approbatam
„ Synodum V. Non ut Doctor pri-
„ vatus, sed ut Papa suspectus,
„ exposita fide, non allegata in-
„ fallibilitate, se purgat.

TRia sunt, quae in praesenti capite probare aggreditur Bossuetius.

Primum est, Pelagium I. Romanum Pontificem piis & orthodoxis, quibus ipsius fides suspecta erat, haud obviam ivisse, obtendendo, seque & Romanos Pontifices errare non posse, schismaticosque eos esse, qui in eorum

(a) Antiquit. Illust. circa Concil. &c. Par. II. Dissert. I. cap. III.
(b) Ad an. CXCVI. num. II.

rum decretis errorem suspicarentur: sed modeste sese purgando, edita suae fidei clara professione, primum ad Childebertum Regem, tum ad Episcopos Tusciae, tandem & ad universum populum Dei.

Ne quis vero reponat, id fecisse Pelagium humili condescensu; hinc secundo loco probat Illustrissimus Adversarius, vanum esse istiusmodi effugium. Profitetur enim laudatus Pontifex, id se fecisse jussu Petri praecipientis, *reddendam omni poscenti fidei rationem*: *Unde*, inquit (a), *fidem meam praesenti ad Excellentiam vestram colloquio intimandam necessario judicavi*, jubente scilicet Apostolo, non humili ac voluntario condescensu.

Denique nec responderi posse, fuisse suspectum ut Doctorem privatum, non autem ut Papam. Suspicio enim ex suscepta probataque Synodo quinta oriebatur: hanc porro Synodum ut Papa susceperat & probaverat: Itaque non modo ut privatus Doctor, verum & ut Papa suspectus erat.

His autem tribus totidem contrarias Theses opponemus, quas sequentis Articuli epigraphes indicabit.

ARTICULUS UNICUS.

Pelagii I. piis quidem & orthodoxis ut privatae personae. Schismaticis autem etiam ut Pontificis suspecta fides: Illorum ergo suspicionibus tanquam privatus Doctor, & humili *sane* condescensu *edita fidei suae professione satisfacit: ac Schismaticis objicit ut Pontifex Sedis Apostolicae summam & ineluctabilem auctoritatem.*

Pelagius I. Romanae Sedis quondam apud Justinianum Imperatorem Apocrisarius, Vigilio Romano Pontifici tria Capitula damnare renuenti constantissime adhaeserat, atque ea de caussa in exsilium ejectus fuerat. Sed inde post Vigilii mortem revocatus, quum eorumdem Capitulorum damnationi subscripsisset, ejusdem Imperatoris ope ad Summi Pontificatus fastigium evectus est. Quae ubi Romae innotuerunt, singuli quique tum sacri laici homines ab ejus se communione separabant, neque in tota Italia, ut refert Anastasius, tertius Episcopus inveniri potuit, a quo consecraretur: illum enim uti Chalcedonensis Synodi praevaricatorem detestabantur. De illius ordinatione haec scribit Victor Tunonensis acerrimus Capitulorum defensor: *Post Consulatum Basilii anno XVIII.* [seu potius, ut Norisius, Pagius aliique ex epistolis Pelagii demonstrant, anno XIV.] *Pelagius Romanus Archidiaconus trium praefatorum defensor Capitulorum, Justiniani Principis persuasione de exsilio redit; & condemnans ea, quae dudum constantissime defendebat, Romanae Ecclesiae Episcopus a praevaricatoribus ordinatur*: atque ita passim veluti Chalcedonensis Synodi proditor traducebatur; ac Tusciae Episcopi, ut ex ipsius Pelagii epistola discimus (b), illius nomen, ut moris erat, inter sacrosancta mysteria recitare recusabant.

(a) Epist. XVI. ad Childeb. Regem.
(b) Epist. VI. ad Episcopos Tusc.

bant. Gallis quoque inter haec initia suspectam ejus fuisse fidem, ex litteris ab eo scriptis ad Childebertum, optime Bossuetius demonstrat. At ex hac ipsa rerum gestarum narratione colligitur, ejusmodi suspiciones in Pelagium, non ut Pontificem, sed ut privatam personam fuisse conjectas. Consenserat enim damnationi trium Capitulorum antequam Pontifex initiaretur: nullum autem sollenne decretum exstat, quo eam damnationem jam Pontifex, antequam Tuscis & Gallis aliisque edita fidei suae professione satisfaceret, confirmarit. Unde ergo habet Illustrissimus Adversarius, quod Pelagius Synodum V. ejusque adversus tria Capitula decretum, quum Tuscis, Gallis aliisque piis, ut ait, & orthodoxis scriberet, ut Pontifex adprobasset?

Ne quid tamen difficultatis dissimulem, atque illius solutione disputatio illustrior evadat; objiciet hîc quispiam, quod etsi Pelagius Capitula jam Pontifex sollenniter adhuc non damnaverat, aut quintam Synodum adprobaverat; eorum tamen damnationem decessor ejus Vigilius, ut superiore Tomo ostendimus, sollenni Constituto firmarat: palam autem erat, Pelagium non modo antequam Pontifex crearetur, judicio sui Decessoris adhaesisse; verum & in illo adhuc persistere, & Capitula reprobare. Inde ergo suspecta erat Pelagii fides, quod sollenne decretum amplexus esset, & adhuc probaret, quod certe Vigilius tanquam Pontifex, non tanquam privatus Doctor, emiserat. Cur ergo pravis suspicionibus amoliendis non objicit sui Decessoris in eo ferendo decreto errori non obnoxiam auctoritatem?

Resp. quod etsi Vigilius Constitutum Constantinopoli emisisset, quo post quintam Synodum tria Capitula configebat; hoc tamen in Occidente aut nondum fuerat promulgatum, aut non libere credebatur emissum, sed Justiniani Imperatoris vi & minis extortum. Quod non obscure indicare videtur Liberatus Diaconus Breviarii cap. XXII. his verbis: *Ab ipsa haeresi afflictus Vigilius nec coronatus, qualem vitae terminum habuerit, notum est omnibus.* Ita, ut recte admonet Cardinalis Norisius (*a*), homo Africanus, ac trium Capitulorum defensor, haeresim vocat Justiniani factionem, quae Vigilium variis injuriis affecit; dum vero negat Vigilium coronatum, perseverantiam eidem defuisse notat, ac persecutionibus victum Capitulorum damnationi subscripsisse; quae proinde subscriptio non libera, sed vi metuque extorta fuerit; quum tamen libertatem cum in Romanis Pontificibus, tum in Conciliis generalibus Galli etiam Theologi requirant [*b*], ut genuina & vere a Spiritu Sancto profecta censeatur alicujus dogmatis definitio. Quum ergo aut ignotum esset in Occidente, aut vi elicitum crederetur Vigilii adversus tria Capitula Constitutum, ex piorum & orthodoxorum contradictione seu repugnantia argumentum duci non potest adversus Romanae Sedis auctoritatem. Atque ea ratio est, cur ne-

(*a*) Dissert. de V. Synodo cap. VIII.
(*b*) Vid. Turnel. Tom. II. de Eccles. pag. 126.

neque sui Decessoris exemplum, & datum Constantinopoli decretum Pelagius objiciendum Occidentalibus judicarit: praesentiebat enim ob eam quam diximus caussam fore suspectum, nec facile susceptum iri; summo autem studio cavebat, ne eorumdem Occidentalium animos acrius irritaret; ac propterea quae Vigilius in Oriente gesserat silentio involvere maluit, ne se novis dissidiis & contentionibus implicaret. Atque haec ratio reddi potest, cur tamdiu latuerit Vigilii contra tria Capitula Constitutum; & cur vix ac tantum generalibus verbis Latinis scriptoribus memoretur, eum tandem eorum damnationi consensisse, quod illi tamen, ut ostendimus, vi expressum interpretabantur.

Potuisset sane Pelagius Pontificis personam induens & pro imperio agens Vigilianum Constitutum sollenniter promulgare, suamque & Sedis Apostolicae auctoritatem tueri, & expositis eorum, quae in Oriente gesta fuerant, rationibus, ad illud suscipiendum Occidentales compellere; quod & ipse palam denunciat epistola VII. encyclica ad universam Ecclesiam: *Et possemus quidem*, inquit, *totius caussae rationem ad sedandos rumores hominum, divina nobis cooperante misericordia, fiducialiter explicare; nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem ullatenus esse tentatum; lucidissimis adprobationibus demonstrare; magisque id actum, ut memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret.* Quae omnia suo Vigilius Constituto complexus est, ac data opera fusoque calamo demonstravit. Sed ad haec percipienda, nondum idoneos Occidentales Pelagius judicabat, quorum videlicet animi inanibus de laesa Capitulorum damnatione Chalcedonensi Synodo ac fide suspicionibus aegrotabant; quos propterea tanquam pius pater ac medicus ab hac aegritudine sanandos suscipit edita fidei suae professione, qua sese quatuor Conciliis, atque imprimis Chalcedonensi firmiter ac indivulse adhaerere; atque omnes Romanorum Pontificum a Caelestino usque ad Agapetum pro defensione fidei Catholicae editas Constitutiones suscipere & custodire inviolabiliter profitetur. Quare subjungit: *Sed quia hoc his, qui lacte potius quam solido cibo nutriendi sunt, necessarium esse non duximus; ut (sicut Doctor gentium dicit) inter perfectos loquenda sit sapientia: hoc interim quod etiam parvulis abunde sufficiat, ad notitiam omnium deferendum esse perspeximus. Id autem est, ut fidem meam annexa subter professione definiam: in qua &c.* Silet omnino inter generales Synodos quintam, & inter Romanorum Pontificum dogmaticas epistolas, Vigilii Constitutiones. Nimirum hujusce dispensationis *lacte, non solido sapientiae cibo veluti parvulis* succurrendum erat iis, qui totius negotii rationes percipere non poterant, nec auctoritati facile cessuri erant; adeoque verendum erat, ne in schismatis exitium praecipites agerentur. Itaque non modo Pelagium Primum, verum & Secundum, & Gregorium Magnum prudenti in hoc negotio oeconomia usos esse, & de Cano-

num

num rigore ac disciplinae severitate aliquid remisisse, ut bonum Ecclesiasticae pacis curaretur, pluribus docent ac demonstrant Cl. Thomassinus (*a*), Nat. Alex. (*b*) & alii, quos per otium consulere Lector poterit. Nam quae hactenus diximus satis demonstrare videntur, Pelagii Primi, contra atque Bossuetius docet, non ut Romani Pontificis, sed ut privati Doctoris suspectam fuisse fidem; effusaque ipsum tum in reddenda fidei suae ratione, tum in silenda Synodo quinta, & Vigilii decreto interim seponendo, oeconomia usum esse: quae quidem facta, non jura sunt, nec adversus Sedis Apostolicae auctoritatem urgeri debent.

Sic Petrus ipse Apostolorum Princeps, cujus monitum Pelagius memorat sibique ob oculos ponit; quum murmur adversus eum esset exortum, propterea quod Gentiles non ante circumcisione initiatos in societatem recepisset, & Christianae religionis mysteriis imbuisset; non ideo quod contentionem reddita facti sui ratione sedavit, non eam poterat sola auctoritate compescere: *Si enim*, inquit S. Gregorius, *quum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat, ut Pastorem suum Oves quae ei commissae fuerant, reprehendere non auderent*. Verum, ut idem Sanctus Pontifex subjungit, mansuetudinis exemplum praebere maluit & modesta eos qui aderant oratione placare, quam potestate uti, qua tanquam Pastor in oves praeditus erat, ad eos sola auctoritate ducendos: *Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit &c.* Itaque & Pelagius Petri successor mansuetudinis specimen exhibere maluit, quam potestate uti, quum dubitantibus de ipsius fide, edita ejusdem fidei professione, satisfecit. Nam si auctoritatem, quam in Ecclesia acceperat, attendisset, utique inclamare potuisset, seque & Romanos Pontifices errare non posse, Schismaticosque eos esse (vel ex recentium Gallorum sententia) qui in eorum decretis, quibus totius Orientis, atque adeo totius orbis Christiani Patriarchae adhaerebant, errorem suspicarentur. Ita Nicolaus I. in epistola ad Hincmarum, quae, ut superius diximus, coram Carolo Calvo, & in multorum Episcoporum frequentia lecta est, indeque ad alios Metropolitas transmissa, reliquis totius regni Episcopis communicanda, gravissime de Graecis queritur, quod ab ipsius Legatis fidei libellum exegissent; idque praeter jus fasque omne tentatum esse contendit; quum jure ipse id ab aliis exigere deberet, nemo autem a Romano Pontifice ejusque Legatis: *Libellos autem nos ab illis & exigere & suscipere, non autem illos a nostris requirere solere, consuetudo hucusque custodita demonstrat*. Non esse enim inferioris a superiore, sed superioris ab inferiore extorquere satisfactionem: Nemini autem fas esse de

(*a*) Differt. XIX. in Quint. Synod. num. XIV. & seqq.
(*b*) Differt. VI. in Hist. Saec. VI. quaest. unic. (*c*) Lib IX. Epist. XXXIX. ad Theoctist.

de Sedis Apostolicae, propter primatum, quem in Apostolorum Principe adepta est, judicare judicio, aut ejus retractare sententiam; adeoque nec ab ea suorum judiciorum praefracte ac violenter exigere rationem, nec a Romano Pontifice aut ab ejus Legatis satisfactionis libellum ac fidei professionem: *Quum enim, Christi munere, propter primatum Ecclesiae Romanae in Beato Petro concessum, nemini sit de Sedis Apostolicae judicio judicare, aut illius sententia retractare permissum: constat nimirum eos ab his nullum jus possidere libellos exigendi, quos habere fas judicandi, nullo jubentur Canone, nullo probantur exemplo. Potiorum enim est ab inferioribus, non inferiorum a potioribus violenter exigere rationem, aut extortam elicere satisfactionem*. Quae profecto & Pelagius I. si personam Pontificis induere voluisset, & pro Sedis Apostolicae majestate & imperio agere, palam est quod aequo jure usurpare potuisset, atque iis objicere, qui ab ipso fidei suae rationem exigebant. Maluit tamen, ut jam dictum est, moderationis & mansuetudinis, quam potestatis, & auctoritatis, sui Pontificatus initio, specimen dare. Quod quidem optime cessit: hac enim prudenti oeconomia Gallos & Hispanos in Apostolicae Sedis communione retinuit; ad eam vero, Tusciam, imo & universam Italiam praeter paucos Episcopos, Africam & Illyricum revocavit; solis Venetiarum Istriaeque Episcopis obfirmato animo in schismate persistentibus; cum quibus deinceps aliter agendum existimavit.

Plures exstant ipsius Pelagii ad Narsetem epistolae, quibus cum Italicarum rerum summa cum potestate praefecturam gerentem enixe rogat & obtestatur (*a*), ut schismatis incentores *non solum exsiliis, sed etiam proscriptione rerum & dura custodia* coërceat. Sic enim Schismaticos habendos esse, & saecularibus quoque potestatibus esse comprimendos, sacras Ecclesiae leges statuere. Porro schismaticum esse definit, qui se ab universali Ecclesia praecidit, seu qui (*b*) *contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere*: Quum vero (*c*) juxta S. Augustinum nulla sit alia Ecclesia, *nisi quae in Pontificibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus*; Schismaticum esse definit & ab universa Ecclesia praecisum, (*d*) *qui ab Apostolicis divisus est Sedibus*. Imo & eos ab universi orbis communione extorres esse pronunciat, qui non sibi uni communicabant; *in quo*, inquit (*e*), *licet indigno Apostolicae Sedis per successionem Episcopatus praesenti tempore videtis consistere firmitatem*. Quorsum vero haec? nisi ut intelligamus, quae dicenda sit universalis Ecclesia; adeoque & quae judicanda sit universalis Ecclesiae fides atque doctrina; illa nimirum, quae in Apostolicis Sedibus tum vigebat, imo & quam unus Romanus Pontifex profitebatur, a quo nunquam continget, ut universalis Ecclesia dissentiat.

Syno-

(*a*) Epist. III. ad Narset.
(*b*) Ibid.
(*c*) Epist. VI. ad Episcop. Tusc. Tusciae.
(*d*) Epist. cit. ad Narset.
(*e*) Epistola citata ad Episcopos.

Synodum quintam nondum plerique Occidentalium recipiebant; eam tamen Pelagius in iisdem Epistolis haud semel *universalis* titulo insignit; quod videlicet Apostolicarum Ecclesiarum consensione & Romani Pontificis fuerat auctoritate firmata. Ita Epistola tertia ad Narsetem: *Et dimittis eos in contemtum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari: quum si quid, eos de judicio* UNIVERSALIS SYNODI, *quod Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam [quomodo factum est] electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt*. Et epistola quinta eumdem Narsetem monet, ut Paulinum Aquilejensem Metropolitam, qui adversus quintam Synodum Schismaticum Episcoporum provinciae suae conventum habuerat, captivum ad Justinianum transmittat: *Nec* enim *licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare, sed quoties aliqua de* UNIVERSALI SYNODO *aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo, quod non intelligunt, rationem aut sponte ii, qui salutem animae suae desiderant, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant: aut si forte . . . . . ita obstinati & contumaces exstiterint, ut doceri non velint; eos ab iisdem Apostolicis Sedibus aut adtrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum Canones per saeculares comprimi potestates*. Patet ergo, contumacibus quintae Synodi Adversariis, qui propter eam in auctoritatem susceptam Pelagium tanquam Synodi Chalcedonensis praevaricatorem procaciter lacerebant, objectam ab eo fuisse suam & Apostolicae Sedis auctoritatem: ad quam confugere, & cui parere ac cedere omnino debuissent, quos ab ea Synodo recipienda aliquae difficultates remorabantur. Quod nec ipsi Parisienses Theologi inficiari possunt; quum de Synodo agatur, in quam cum Romano Pontifice, reliquae Apostolicae Sedes consentiebant; & quam proinde universa Ecclesia, & universus orbis recipere censebantur; quaeque adeo universalis Synodi titulo decorabatur.

CAPUT XXV.

„ Bonifacius III. seu IV. eadem
„ caussa S. Columbano Presbytero
„ suspectus.

QUum ea legerem quae ex S. Columbani ad Bonifacium epistola profert in hoc capite illustrissimus Adversarius, illud mihi venit in mentem Vincentii Lirinensis saluberrimum monitum, Commonit. I. capite XXV. quo videlicet statuit, ut *verus & germanus Catholicus . . . . quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernat: quidquid vero ab aliquo deinceps uno praeter omnes vel contra omnes Sanctos novum & inauditum subinduci senserit; id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere*. Quae enim S. Columbanus in ea Epistola effutit, nova omnino in Ecclesia Catholica & inaudita sunt; & ab omnium Pa-

trum

trum & Conciliorum sensibus, & ab his quae universaliter olim Ecclesiam tenuisse cognoscimus, adeo absona sunt; ut ea in auctoritatem suscipienda proponere, non ad religionem, sed ad tentationem pertinere judicemus. Ne vero gratis sanctissimi Viri litteris auctoritatem abrogare videamus, in ea re suis momentis expendenda paullulum immoremur.

ARTICULUS UNICUS.

Epistolae Sancti Columbani ad Bonifacium IV. nulla omnino in hac caussa esse debet auctoritas.

Synodum quintam a Vigilio Papa, a duobus Pelagiis, atque etiam a Gregorio Magno comprobatam, jam ab annis circiter sexaginta, sub aliis quinque Summis Pontificibus, Johanne III. Benedicto I. Sabiniano, ac duobus Bonifaciis inter Oecumenicas Synodos Ecclesia Romana, consentientibus aliis Sedibus Apostolicis, solis autem Venetiarum, Istriae, & aliquot Liguriae Episcopis aperte refragantibus, numerabat. Quum veniens in Italiam Sanctus Columbanus, ad eam de qua nunc agimus epistolam Bonifacio IV. scribendam, ab Agilulfo Longobardorum Rege, a Theodelinda Regina aliisque memoratae Synodo infensis excitatus est. In hac vero epistola „ dolet de infamia Cathedrae „ S. Petri: dolendum esse ait ac „ deflendum, si in Sede Apostolica „ fides Catholica non tenetur. Tum „ rogat Pontificem, quare vel in„famare auderet fidei orthodoxae „ Sedem principalem; ac statim eni„xe petit: Ut caligo suspicionis „ tollatur de Cathedra S. Petri. Quumque ei quidam insusurrassent, per Synodum quintam susceptos simul fuisse Eutychianorum & Nestorianorum principes, ac sublatam naturae dualitatem & unitatem personae; haec ille commenta in aures immittens suas, serio Pontificem admonet: *Multi dubitant de fidei vestrae puritate.* Ac mox: *Tollatis*, inquit, *hunc naevum de Sanctae Cathedrae claritate: non enim decet Romanae Ecclesiae gravitatem hac instantis levitatis forma moveri a soliditate verae fidei.*

Jam ergo ut Romani Pontificis caussam interim seponamus, & solius Sedis Apostolicae jura vindicemus, tanquam, ut verbis utamur S. Leonis (a), *aliud sint Sedes*, *aliud Praesidentes*; qua de re libro sequente differemus: quis rogo unquam veterum Patrum, quae unquam Synodus adeo de Sede Apostolica, & de Cathedra S. Petri abjecte sensit, ac loquuta est? S. Irenaeus ait (b), quod in illa *semper conservata est ea*, *quae est ab Apostolis traditio*. Sanctus Cyprianus [c], quod ad eam *perfidia habere non possit accessum*. S. Gelasius, Petrum ait (d) praestare Sedi, *quam ipse benedixit*, *ut portis inferi nunquam pro Domini promis-*

 sio-

(a) Epist. LXXX. al. LIII. ad Anatol. cap. V.
(b) Lib. III. advers. haeres. cap. III.
(c) Epist. LV. al. LII.
(d) Apud Sirm. in append. Cod. Theodos.

sione vincatur, *omniumque sit fluctuantium tutissimus portus*. Justinianus Imperator, quod juxta Domini promissionem (a), *in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio*: & quod in ea *est integra & verax Christianae religionis soliditas*: quod, ut supra vidimus, Ecclesiae omnes & Episcopi Orientales hoc Principe profitebantur. Episcopi Cypri in libello ad S. Martinum Act. II. Conc. Lat. *Firmamentum fixum & immobile*, *vestram Apostolicam Sedem constituit Christus Deus noster dicens*: Tu es Petrus &c. Africani Episcopi eadem Actione Concilii Lateranensis sub S. Martino; *Manifestum*, ajunt, *& indeficientem omnibus Christianis apud Apostolicam Sedem consistere fontem*. Stephanus Dorensis eodem loco narrabat, se a Sophronio jussum ad Apostolicam Sedem accedere, *ubi*, inquiebat Sanctissimus ille Patriarcha, *orthodoxorum dogmatum fundamenta exsistunt*. S. Agatho Papa in Epistola ad sextam Synodum docet, *quod Petro adnitente Apostolica ejus Ecclesia nunquam a veritate deflexa sit*; &: *quod eadem Ecclesia semper illibata permanserit*, propter eam Christi promissionem: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Haec sunt quae de Sede Apostolica, *non unus aut duo tantum*, ut verbis utar Vicentii Lirinensis (b), *sed omnes pariter Synodi*, Pontifices, Patres, *uno eodemque consensu*, *aperte*, *frequenter*, *perseveranter*, *tenuisse*, *scripsisse*, *docuisse* cognoscimus: quare quod unus Columbanus praeter omnes & contra omnes sensit ac scripsit, propter Viri sanctitatem non ad religionem, sed ad tentationem pertinere intelligimus, adeoque fugimus & horremus.

Quae mox adtulimus veterum Patrum, Pontificum & Synodorum pro Sede Apostolica testimonia, adfert etiam libro sequente cap. VI. & seqq. Illustrissimus Adversarius, eaque in hanc mentem interpretatur „ quod Romani Pontifices tanquam „ una persona Petri, accipiendi sint, „ in qua nunquam fides penitus de„ficiat; atque ut in aliquibus vacil„let aut concidat, non tamen de„ficit in totum, quae statim revi„ctura sit. *Stat enim*, inquit, *Romana fides ab eorum Antecessoribus stabilita*, *ab eorum Successoribus statim vindicanda*, *nullo Romanae fidei aut Romani Primatus detrimento*. Quibus addendum ex lib. XII. cap. XXVII. vere Agathoni Pontifici scriptum: *Ecclesiam Romanam nunquam fuisse depravatam*, *neque errori succubuisse*, *sed in fide mansisse*, eo quod in Petri Sede visi non fuerint Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Theodori sibi mutuo errorem quasi hereditarium cum fede tradentes, neque Romani Pontifices sibi invicem succedentes, qui ab unitate fidei abrupti fuerint: quum potius *unius culpa Pontificis aliorum statim opera sarciatur*, *nihilque detrimenti patiatur fides*.

At haec ad S. Columbani hypothesim aptari nullatenus possunt. Nam

(a) Epist. ad Agapet. Pap. & alibi.
(b) Commonit. I. cap. IV.

Nam si reapse quintam Synodum adprobando fidei Catholicae puritatem Bonifacius violasset, (quae Columbani hypothesis erat) hereditarius jam fuisset ejusmodi error; & quemadmodum in Sede Constantinopolitana vidimus Sergios, Pyrrhos &c. sibi mutuo errorem quasi hereditarium cum Sede tradentes: ita in Cathedra Petri videremus Vigilios, Pelagios, Johannes, Benedictos, Gregorios, Sabinianos ad se mutuo inolitam pravitatem cum Cathedra trasmittentes; adeoque macula ex quintae Synodi adprobatione derivata non modo Pontificis personae, sed ipsi quoque Sedi Apostolicae inhaesisset.

Vidit hanc difficultatem, eamque sibi ipse objecit Illustrissimus Adversarius: „ An ergo, *inquit*, existimabat (*Columbanus*) veram fidem „ extinctam esse Romae, cum Clerus universus totaque Ecclesia Romana suis Pontificibus adhaerebat? „ *Respondet*, *quod* imo vero dicebat: *Ego enim credo semper columnam Ecclesiae firmam esse in Roma*. Quod nempe putabat, id „ non pertinaci animo factum, atque „ admonitos facile redituros; neque „ unquam futurum ut Cathedra Petri „ a vera fide veraque Ecclesia pertinacibus studiis abrumperetur.

Bona verba quaeso! Nonne, ut ipso statim disputationis initio adnotavimus, Romani Pontifices totaque Ecclesia Romana ab annis circiter sexaginta quintam Synodum omni ope ac studio propugnabant, nullumque non movebant lapidem, ut ubique, ut ab omnibus reciperetur? Quantum in id operis ac laboris & Apostolicae solicitudinis laudati Romani Pontifices contulerunt, fuse atque erudite describit Cl. Norisius in Historica dissertatione de Synodo V. capite nono in plures §§. distributo. Quae si quis sibi ob oculos ponet, nunquam animum inducet, non pertinaci, hoc est, firmo & constanti, animo quintae Synodo Romanos Pontifices adhaesisse, ejusque defensionem adversus Schismaticos suscepisse; aut credi ab aliquo potuisse, eos admonitos facile rediturus. Quum autem ait S. Abbas: *Ego credo, semper columnam Ecclesiae firmam esse in Roma*; id quidem dicit, quod nemo non Catholicus profiteatur; sed quod tamen cum aliis, quae in hac ipsa epistola scribit, conciliari nullatenus possit. Si enim, ut alia omittam, Sedes Apostolica firma est Ecclesiae columna; cur queritur ac dolet, *Romanae Ecclesiae gravitatem hac instantis levitatis forma moveri a soliditate verae fidei*? Quomodo quae semper firma est Ecclesiae columna, jam a tot annis a verae fidei soliditate recesserat? Aut quae jam a tot annis verae fidei soliditatem amiserat, quomodo semper firma est Ecclesiae columna.

Est aliud, ut cetera omittam, in hac Epistola, quod immaniter ab eo, quod semper, quod ubique, quod perseveranter universa Ecclesia tenuit & docuit, exorbitat. Nempe inquit: *Jam vestra culpa est, si vos deviastis de vestra fiducia, & primam fidem irritam fecistis. Merito vestri Juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant, donec memoria perditorum deleatur*.

Vestri erunt judices, qui semper orthodoxam fidem servaverunt, licet Juniores vestri sint. Juniores, inquit Bossuetius, illius saeculi stilo inferiores vocat, cum Praelati ac Praepositi passim Seniores dicerentur.

Sedem Apostolicam fontem esse & originem, radicem, cardinem & centrum Ecclesiasticae communionis; nunquam licuisse, nunquam licere ab ejus sese consortio & societate dirimere; denique schismaticum esse & profanum, qui Ecclesiae Capiti non communicat; semper, ubique, & ab omnibus creditum est; id nimirum non unum aut duos tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu Pontifices, Synodos, Patres aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoscimus. Ita antiquissimus Tertullianus (a): *Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis*; inter quas primatum & principatum super omnes Ecclesia Romana semper obtinuit; *quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis*. Ita S. Optatus Milevitanus (b): *Ergo Cathedram unicam, quae est prima de dotibus, Sedit prior Petrus, cui successit Linus &c. Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat*. Ita denique, ne in re manifesta plura quam sit opus huc congeram, & S. Hieronymus ex Oriente scribebat ad Damasum (c): *Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior: super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.... Quicumque tecum non colligit, spargit*. Et rursum in alia ad eumdem epistola (d): *Ego interim clamito: Si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est*. Videri possunt & quae articulo superiori ex Pelagio I. decerpsimus, ipse vero Pelagius ex Augustino, de fundamento Ecclesiae in Sedibus Apostolicis constituto, unde consequens erat, quod extra veram Ecclesiam misere illi jacebant, qui ob pertinacem trium Capitulorum defensionem sese ab Apostolicis Sedibus separaverant.

Quis ergo verus germanusque Catholicus in auctoritatem recipiat, quod de iis ipsis praefractis & obstinatis eorumdem Capitulorum defensoribus, ob idque ab Apostolicarum Sedium communione sejunctis, ad Romanum Pontificem scribere ausus est Columbanus: *Merito vestri Juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant?* Ergo ne humilis Monachus scribere potuit ad Romanum Pontificem, *merito ei non communicari?* „ Certe, respon-„ det Bossuetius, si pergeret, uti „ Columbanus putabat, haeresim „ profiteri, nec se admonitus cor-„ rigeret. Atqui istud est, quod Istriae & Venetiarum Episcopi nefario schismati obtendebant; quod nempe jam ab annis sexaginta Romani Pontifices pergerent, ut ipsi putabant, haeresim profiteri, nec se hoc tanti temporis intervallo ad-

(a) Lib. de Praescript. cap. XXI. (b) Lib. II. de Schismate Donatist. cap. III.
(c) Epist. XV. edit. Veron. al. LVII. ad Damasum.
(d) Epist. XVI. al. LVIII. ad eumque.

admoniti correxissent. Deinde; ergo S. Columbanus fieri posse credebat, ut Romani Pontifices, atque adeo Clerus universus totaque Ecclesia Romana suis Pontificibus adhaerens, haeresim profiteri pergerent, neque admoniti facile redituri essent; ac proinde ut Cathedra Petri a vera fide veraque Ecclesia pertinacibus studiis abrumperetur. Quod, si Bossuetio credimus, ille nunquam futurum existimabat, atque ideo scribebat: *Ego enim credo semper columnam Ecclesiae firmam esse in Romà*. Atqui si columna Ecclesiae firma semper est in Roma; ergo qui cum Roma minime communicabant, extra Ecclesiae firmamentum misere dejecti jacebant: quomodo ergo scribebat: *Merito, vestri Juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant*? An merito quisquam sese aliquando ab Ecclesiae firmamento disjunxit?

„ Ceterum, subjungit Bossuetius, „ nihilosecius ipse in Sedis Apostolicae communione persistit: *Nos „ enim*, inquit *devincti sumus Cathe„ drae Sancti Petri*. Recte, inquam, optime! Verum hic rursus secum ipse turpiter confligatur. Si enim Istriae & Venetiarum Episcopi merito a Romana Sede defecerant, neque ipsi communicabant; cur ipse gloriatur sese Cathedrae S. Petri esse devinctum? Et contra si ipse sibi id merito gloriae ducit; quomodo ait, quod merito Capitulorum defensores eidem Cathedrae minime communicabant? Quod ergo Cathedrae S. Petri devinctus fuit, ad hoc valet, ut non sit Schismaticis adcensendus: non autem ut hanc ejus epistolam, quae Schismaticis aperte patrocinatur, quum ait eos merito S. Petri Cathedrae minime communicare, & quae schismati fovendo apta imprimis & accommodata est, in auctoritatem recipiamus. Ceterum nihil propterea Viri sanctissimi virtuti, pietati & religioni quidquam detractum volumus: ea est enim humanae infirmitatis & vitae conditio, ut nemo quantumvis eruditus & sanctus, ut recte Canus observat (*a*), non interdum hallucinetur, non alicui caecutiat, non quandoque labatur. Atque ii potius, ut idem Auctor ex Vincentio Lirinensi adjungit (*b*), culpandi sunt, qui *Sancti cujusque Viri memoriam, tanquam sopitos jam cineres, profana manu* (absit invidia verbo) *ventilant*; *& quae silentio operire oportebat, rediviva opinione diffamant*. Sane longe sapientius Jonas Columbani discipulus in ejus vita, quam Tomo II. Actor. Sanct. Ord. S. Benedict. Mabillonius inseruit, has Sancti Viri litteras neglexit, totumque hoc negotium prudenti silentio involvit. Unde mihi suspicio nascitur, ne illae ab aliquo Veteratore & quintae Synodo infenso confictae sint, & Sancto Abbati suppositae. Utut sit, quod de Sancto Martyre Cypriano ait Augustinus, id ipse de Sancto Monacho Columbano fidenter pronunciabo (*c*): *Aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit*

(*a*) Lib. VII. de Locis cap. III.
(*b*) Commonit. I. cap. XI.
(*c*) Epist. XCIII. al. XLVIII.

xit in regula veritatis, *aut hunc quasi naevum cooperuit ubere caritatis*.

CAPUT XXVI.

„ Romani Pontifices professi se Apo-
„ stolico officio fungentes esse er-
„ rori obnoxios, in autoritate uni-
„ versalis Ecclesiae acquiescunt:
„ locus Innocentii III.

HUic & sequentibus Capitulis praemittere libet, quae Turnelius sapienter observat ac monet Quaestione quinta de Ecclesia Artic. III. eo §. in quo expendit „ quid „ momenti habeat (*pro Gallicani* „ *Cleri opinione*) probatio, quae re- „ peti solet ex erroribus, in quos „ nonnulli Pontifices lapsi dicuntur; „ ex contrariis eorum definitionibus; „ Denique ex eorum confessione, „ qua se erroribus obnoxios candide „ agnoscunt. Monet autem imprimis, ac recte monet, quod si errarunt aliquando Pontifices, proculdubio errare possunt, nec sunt in docendo infallibiles. Deinde subjungit: Demonstrativum esse illud argumenti genus in praesenti nostra quaestione, multi arbitrantur; & revera esset, si ad statum praesentis controversiae idoneum foret & accommodatum: hoc est, si errores illi, in quos incidisse referuntur (*aut quibus se obnoxios esse fatentur*) Pontificum aliqui, Pontificia auctoritate, &, ut dicitur, ex Cathedra propositi ac confirmati fuissent. Id nisi evincas, scopum non attingis; ac Pontifices quidem ut privatos Doctores errasse interdum ostendes, quod non diffitentur Itali, non vero quatenus Pontifices & ex Cathedra pronuntiant. Ut vero id certo assequaris, revocandae in memoriam sunt conditiones, quas exigunt infallibilitatis Pontificiae Patroni, ut definitio Pontificis censeatur esse ex Cathedra. Prima est, ut sit libera, non per vim extorta. Secunda, ut sit de re in scripturis revelata, & quae idoneum esse possit deliberationis Ecclesiasticae argumentum. Tertia, ut lata fuerit praevia matura deliberatione, consultis Episcopis ac Doctoribus; praesertim vero requisita Romanae Ecclesiae doctrina & sententia. Quarta, ut toti Ecclesiae tanquam de fide credenda proponatur, sub poena anathematis. Ad has leges expendi debent erroneae Pontificum definitiones; & si aliqua ex dictis conditionibus defuerit, definitio ex Cathedra pronuntiata non videtur, non tantum iis, qui Conclusioni nostrae adversantur, sed etiam aliquibus ex nostris Theologis, quantumvis aliunde doctrinae Cleri Gallicani sint maxime addicti. Scilicet existimant illi, pietatis esse Christianae, primae Sedis dignitatem ac majestatem vendicare adversus Novatorum invidiam & maledicentiam, qui horum domesticorum errorum obtentu, illam infuscare ac deprimere conantur. Aliunde vero, his etiam depulsis Summorum Pontificum praetensis erroribus, illaesa semper stat (*haec alia quaestio est*) Cleri Gallicani doctrina. Imo ipsi praejudicium inferri putant, si momentis hujusmodi & parum solidis, unde crescit in Adversariis contradicendi & insultandi licentia, fulciatur. Paucis itaque expendamus illustria haec quae circum-

cumferuntur errorum Pontificum exempla; & quid unumquodque ponderis ac momenti adferat ad caussam praesentem, omnibus sepositis praejudiciis, severe examinemus. His ex Turnelio praemissis, quae libro sequente accuratius examinabimus, ad Innocentii III. locum, quem Meldensis Episcopus objicit, accedamus.

ARTICULUS UNICUS.

Locus Innocentii III. quem primo loco Illustrissimus Adversarius in medium adfert, immerito nobis objicitur.

PHilippus Augustus Francorum Rex sui cum Regina Isemburgi matrimonii dissolutionem auctorite Apostolica fieri postulabat; caussatus, cosummatum non fuisse. At quum Regina contrarium jurasset, in eaque confessione constans esset; omnem dirimendi conjugii spem Innocentius ademit, ita inter alia Regi rescribens [a]: *Sed in carnali commercio inter te, ac Reginam conjugem tuam adeo processum est, quod si etiam illi tantum confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur; non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire, propter illam sententiam Evangelicam*: Quod Deus conjunxit, homo non separet; *quum absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuae in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque generalis determinatione Concilii determinare aliquid tentaremus, praeter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret; quum contra praemissam veritatis sententiam nostra non posset auctoritas dispensare*:

„ En, subjungit Bossuetius, unde „ auctoritatem quaerat in rebus ma„ ximis. En unde etiam poenam „ metuat, si inconcessa tentarit.

Mirum profecto, hinc elici potuisse argumentum adversus Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis inerrantiam. Quid enim commune habent rei divino jure vetitae improvida ac temeraria concessio, & erronea cujuspiam dogmatis definitio? Sed praestat ipsummet Illustrissimum Adversarium suis differentem verbis in scenam inferre.

„ An dicent hic induere personam „ privati doctoris, qui a tanto Rege „ interrogatus, ut specialissimo Sedis „ Apostolicae officio, suprema scili„ cet dispensatione fungeretur, hoc „ responsum ediderit; quique profes„ sus sit a se tractari rem deliberatio„ ne Concilii dignam? Ergo in tanta „ re infirmitatis humanae sibi con„ scius, agnoscebat aberrare se pos„ se ab Evangelica veritate ex Apo„ stolico officio respondentem. Perinde autem haec ad praesentem controversiam plurimum haberent ponderis ac momenti, Auctori anonymo insultat, quod ea veluti data opera dissimulasset. „ Hic ne ul„ lum quidem dicit verbulum novis„ simus Autor Anonymus, qui ad hunc

(a) Lib. XV. Epist. CVI.

„ hunc explicandum nodum tanta „ congessit .. Unum hoc non perpen„ dit, in quo est difficultas : a Pa„ pa agnitum id fieri posse, ut ip„ se quaestionem fidei inconsulto de„ finiret, ac propterea loco cade„ ret.

Respondemus tamen, nihil hoc argumento esse futilius. Duplex namque in Sede Apostolica seu Romano Pontifice spectanda potestas est: altera ad fidei dogmata sancienda, altera ad leges & Canones pro loco & tempore aliisque servati opportunis ac debitis circumstantiis relaxandos. Inerrantiam ergo Romano Pontifici vindicamus in fidei dogmatibus definiendis; at nemo unquam docuit, Romanum Pontificem in concedendis, ut vocant, *dispensationibus* variis adfectibus in transversum agi non posse; aut quin ei ab adulatoribus & Curiae Ministris illudi aliquando & fucus fieri; aut non rite perpensis ac detectis omnibus particularium factorum circumstantiis, errare absolute ac decipi possit. Quaerendum est ergo; locus Innocentii, in quo versamur, an ad illud Apostolicorum decretorum genus referendum sit, queis dogmata sanciuntur; an ad illud, quo decreta continentur, queis aliquando legum aut Canonum indulgentia conceditur. Si enim ad hoc alterum decretorum genus Innocentii verba pertineant, ea in praesenti disputatione locum habere non debent.

Petebat Rex initi matrimonii dissolutionem Apostolica auctoritate fieri. Duae hic statim se se quaestiones offerebant; altera *juris*, altera *facti*. Quaestio *juris* erat; an Romanus Pontifex decernere possit matrimonii consummati dissolutionem: *facti* autem quaestio erat, an Regii Conjuges matrimonium consummassent; negabat Rex, adfirmabat vero, & quidem praestito juramento Regina, & in ea confessione, ut jam diximus, persistebat. Ait Bossuetius: „ Agnoscebat Innocentius, „ aberrare se posse ab Evangelica „ veritate ex Apostolico officio res„ pondentem. Si tantum id vellet, posse Romanum Pontificem, dum nimium suis adfectibus indulget, aut non debita solertia facti circumstantias inquirit, facto ipso aberrare ab Evangelica veritate; si inquam, id tantum vellet, non admodum de hac re solliciti essemus: Scimus & Apostolorum Principem a Paulo reprehensum, *quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii*. At quod Illustrissimus Adversarius subjungit: „ a Papa agnitum id fie„ ri posse, ut ipse quaestionem fi„ dei inconsulto definiret; id vero est quod nulla ratione & a nobis recipi potest, & ab ipso propugnari: neque id unquam ex adlatis Innocentii verbis extundet.

Quaestio fidei erat, ut jam animadvertimus, an matrimonium consummatum Romani Pontificis auctoritate dissolvi possit. Negat in hac ipsa epistola Innocentius, conceptisque verbis definit: *Contra praemissam veritatis sententiam* (*quam* nimirum, ut praemiserat, *ipse Christus expressit*: Quod Deus conjunxit, homo non separet) *nostra non potest auctoritas dispensare*. De hac ergo re non ambigebat Pontifex, nec verebatur aberrare se posse ab

Evan-

Evangelica veritate, quam optime perspectam & exploratam habebat; ac prorsus absurdum & ridiculum est arbitrari, quod huic quaestioni disceptandae ac dirimendae, quae sola juris ac dogmatis est, expeteret universale Concilium. Quis enim hoc ab ipso quaerebat? Num consummati matrimonii dissolutionem ab ipso Rex postulabat? Atqui Regi de hac re cum Pontifice conveniebat, quod nimirum matrimonium consummatum dissolvi Apostolica auctoritate non possit; atque adeo ut extorquere posset sui cum Isemburge matrimonii dissolutionem, negabat illud fuisse consummatum. Quaerendum ergo erat in generali Concilio, cui potius credendum esset, Regi neganti, an Reginae adfirmanti matrimonii consummationem; verebaturque Innocentius, ne si in re tanti momenti absque generali Concilio quidquam pro Rege decerneret, divinam offensam humanamque infamiam incurreret. Nec tamen inde colligas, absolute non potuisse Innocentium sine generali Concilio hanc facti controversiam dirimere. Sed quum Regem permolestum experiretur, ad Concilium generale ob hanc rem nunquam deinde celebrandum, ejusmodi negotium remisit; quo videlicet omnem ipsi spem adimeret obtinendae a Sede Apostolica matrimonii dissolutionis, ejusque animum ab his tandem cogitationibus avocaret.

CAPUT XXVII.

„ Johannis XXII. fidei professio; „ omnia quae in Apostolico officio gesserit, etiam circa fidem, „ iterum examinari posse demonstrat.

Is quae in hoc capite Meldensis Episcopus objicit, responsio dabitur ad caput XXIX.

CAPUT XXVIII.

„ Ejusdem Johannis XXII. de Animarum statu speciatim publico „ Diplomate declarata fides, a „ Benedicto XI. Successore ad „ examen revocatur.

Obvia sunt omnibus, & ex Annalibus peti possunt quae hanc historiam illustrent. Nos paucis respondebimus argumento, quod inde Meldensis Episcopus conficit adversus Romani Pontificis irretractabilem auctoritatem. Et alii quidem Pontificiae auctoritatis osores id potissimum urgent, quod Johannes XXII. alienam ab Ecclesiae doctrina sententiam aliquamdiu defendere visus est. At Bossuetius, hujusce objectus vanitate perspecta, argumentum ducere maluit ex fidei Catholicae professione, quam postridie moriturus emisit. Hanc enim etsi Ecclesiae fidem atque doctrinam continentem, ipsius tamen Ecclesiae & Successorum suorum judicio ac determinationi subjecit. Unde Bossuetio ansa petendi: „ Qua ratione putemus, Ecclesiae „ Catholicae fidem a Johanne XXII.

„ Pontificio diplomate declaratam, „ ipſius Eccleſiae ac Succeſſorum „ ſuorum determinationi ſubjici po- „ tuiſſe iterum examinandam.

Reſponſio in promtu eſt, ab ipſo quoque Illuſtriſſimo Adverſario occupata. Nempe declaratam a Johanne eam fidem, quam privatus profiteretur, non vero quam Pontifex. Nec refert, fidem eam conſignari voluiſſe publico Diplomate, praefixoque, ut in aliis, conſueto titulo. Reponimus enim; quod & ipſe rurſus nos reſponſuros praevidit; has Pontificias litteras, *groſſatas* quidem fuiſſe, non tamen *bullatas* ſuperveniente obitu Johannis XXII. ut Benedictus XII. ſucceſſor atteſtatur.

Mirum, hic Meldenſem Epiſcopum inclamare: „ Ad has ergo ineptias talis quaeſtio devolvetur? Atqui nemo ineptire dixit judicem, qui Principis Diploma non recipit, niſi fuerit Regio ſigillo munitum, ac niſi omnes in eo regiae auctoritatis ſigna notaſque perſpexerit.

„ Atqui quod per tempus, *inquit*, „ Johanni non licuit, Benedictus „ ſupplevit, Bullatamque Epiſtolam „ ad omnes dimiſit Eccleſias, Pon- „ tificatus ſui anno primo, Chriſti „ MCCCXXXIV. Neque eo ſecius „ fidem Anteceſſoris, quam ſuam „ quoque eſſe edito diplomate con- „ firmaverat, revocavit ad incu- „ dem, quaeſtionemque de clara vi- „ ſione per duos annos tractavit de „ integro; ac demum definivit anno „ Pontificatus tertio, Chriſti 1336. „ Ergo exiſtimavit Romanorum Pon- „ ficum autentico diplomate decla- „ ratam fidem, adhuc in quaeſtio- „ nem revocari poſſe.

Verum authenticum illud diploma, quod anno primo ſui Pontificatus Benedictus emiſit, non alio pertinebat, quam ut publico & authentico monumento Chriſtiani omnes docerentur, quae fuiſſent circa celebrem illam & notiſſimam controverſiam ſui Deceſſoris in ipſo potiſſimum extremo vitae limine ſenſa. Quemadmodum & illae Johannis litterae, quas *groſſatas*, non autem *bullata* fuiſſe, idem Benedictus obſervat, huc tantum referebantur: *Quia ſuperveniente obitu ejus* (Johannis) *hujuſmodi litera bullata non exſtitit; nos volentes, quod hujuſmodi ejuſdem Praedeceſſoris declaratio, & omnia alia ſupradicta ad communem fidelium notitiam deducantur, ſuper contentis in dicta litera, & aliis ſupraſcriptis .... praeſentes literas Bulla noſtra munitas fieri mandavimus in teſtimonium praemiſſorum*. Itaque neque informes illae Johannis, neque hae Pontificia bulla munitae Benedicti litterae ad ſanciendam fidem, & controverſiam peremtorio judicio terminandam emiſſae ſunt; ſed tantum, publica monumenta eſſe debebant, quibus de ipſius Johannis privatis ſenſibus ac fide conſtaret. Quare nil mirum, ſi quaeſtionem de clara viſione Benedictus revocavit ad incudem, eamque diu ac ſollerter retractatam alia Bulla ſancivit, quam anno ſecundo, non tertio, ſui Pontificatus dedit, ut irretractabilis eſſet de hac re fidei Catholicae regula.

CAPUT XXIX.

„ Gregorii XI. ac Pii IV. professio.

HAec duo Monumenta profert etiam loco superius laudato Turnelius; (quamquam Paulo IV. tribuit, & quidem recte, si anno MDLVII. ea contigerunt, quae ad Pium IV. Bossuetius refert:) respondet autem: „ Porro, quorsum „ haec & sexcenta alia hujusmodi? „ Nullus ex citatis modo Pontifici- „ bus (*alios nimirum citaverat*) as- „ serit, se ex Cathedra toti Eccle- „ siae, adhibitis conditionibus antea „ expositis, dogma fidei proponen- „ tem errare posse; sed hoc unum, „ Pontifices in errorem & haeresim „ labi posse, nempe ut singulares „ Doctores, ac ex privata senten- „ tia. Ne Bellarminus quidem id „ inficiatur. Inutilia igitur sunt ad- „ versus eos illa Pontificum testimo- „ nia; aut saltem non eam vim ha- „ bent, quae ipsis inesse a multis „ praedicatur. Quae Turnelii respon- sio, ut jam monuimus, etiam Capiti XXVII. aptanda est.

CAPUT XXX.

„ Ecclesiæ Catholicæ auctoritas mul- „ tis casibus Ecclesiae Romanae „ laborantis auctoritatem supplet. „ Primum exemplum, saeculi X. „ Invasores.

VIdetur Illustrissimus Adversarius nihil prorsus omittere voluisse, unde Romanae Ecclesiae conflari possit invidia, vel ad ejus labefactandam auctoritatem; aut minuendam Christiani populi erga ipsam venerationem utcumque facere posse videatur. Quid enim alioquin opus fuisset hic in scenam inducere aliquot saeculi X. degeneres nefariosque Pontifices, qui saeculari potentia freti Sedem Apostolicam invaserunt, eamque turpissimis moribus atque immanibus sceleribus dehonestarunt? Numquid Romanos Pontifices ut ab erroribus, ita a vitiis immunes esse defendimus? aut quemadmodum ipsis in sanciendis fidei dogmatibus ἀσφαλέιαν, ita ἀναμαρτησίαν in vitae conversatione tribuimus? Super Cathedram Moysis sedentes Scribas & Pharisaeos Christus audiri voluit, ad eorum vero respectari opera inhibuit. Id vero & nos contendimus, Romanosque Pontifices, quum in Petri Cathedra sedent ex eaque oracula fundunt, tanquam Petrum ipsum audiendos esse decernimus; quanquam a Petri virtutibus & sanctitate eorum mores & conversatio deflectant. Quorsum ego eorum scelera commemorare, qui quanquam Petri Sedem non sanctis moribus exornarunt; non tamen quidquam ab ejus doctrina dissonum docuisse, aut rite definivisse probantur?

Viderat ea scandala, & abominationes impietatis loco sancto incubantes Rutherius Veronensis Episcopus doctrina perinde ac pietate insignis; nec tamen Romae sapientiae fontem aut exaruisse, aut fuisse turbatum existimavit; sed in iis quae ad doctrinam pertinent, Ecclesiae Romanae auctoritatem perinde coluit, ac si in Petri Cathedra sedentes Innocentios, Caelestinos, Leones, Hila-

ros &c. adſpicere meruiſset: *Qua ignorantia quo melius exui, quo aptius poſſum quam Romae doceri? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romae ignoretur? Illic ſummi illi totius orbis doctores, Illic praeſtantiores enituerunt univerſalis Eccleſiae principes; illic decretalia Pontificum, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio ſpernendorum.* POSTREMO NUSQUAM RATUM QUOD ILLIC IRRITUM, NUSQUAM IRRITUM QUOD ILLIC RATUM VISUM FUERIT. *Ubinam ergo melius inſipientiae conſulitur meae, quam ubi fons ſapientiae cernitur eſſe?* Haec ille, qui ſuis pene oculis uſurpabat, quae non dicam adverſus Canones, ſed contra omnia divina & humana jura nefarii Pontifices audebant. Numquid propterea docuit, Eccleſiae Catholicae auctoritatem Romanae Eccleſiarum Matri ſuccurrere debuiſse, quum nihil opis adferre poſset ipſa ſibi? Imo vero non aliunde quam Roma & a Sede Petri accerſenda eſse credebat adverſus ignorantiam certa doctrinae ſubſidia & ſummam & indeclinabilem auctoritatem.

Sane ſi quis illius aevi Eccleſiaſtica monumenta & Conciliorum acta luſtraverit, aperte perſpiciet, cum a totius orbis Epiſcopis turpes illos contaminatoſque Pontifices non ſecus ac ſanctiſſimos eorum Deceſsores fuiſſe conſultos; tum hos perinde atque illos adſerendae Eccleſiaſticae diſciplinae (nam de fide nulla exſtitit hoc ſaeculo memorabilis controverſia) utilia & praeclara multa ſanxiſse; tum denique eos, a quibus conſulebantur, ipſorum decreta pari veneratione ac ſanctiſſimorum Pontificum decretales, ut vocant, Epiſtolas ſuſcepiſse. Id cum pleriſque aliis, tum Cl. Mabillonio obſervatum Praefat. in ſaec. X. §. I. „ Inter tot illos, *inquit*, „ violatae religionis tumultus. quis „ Sedem Romanam ſummo ludibrio „ & contemtui obnoxiam fuiſse non „ exiſtimet? Et certe id conſequi „ neceſse erat, ſi Petri dignitas & „ auctoritas in indignis heredibus de„ feciſset. Verum Apoſtolicam Se„ dem paullo minus reveriti ſunt fi„ deles, praecipue aliarum Eccleſia„ rum Epiſcopi etiam religioſiſſimi, „ atque ſaeculares Principes, quan„ tumvis perditae famae & vitae eſ„ ſent Romani Antiſtites. Id pluri„ bus exemplis confirmat: Sed in„ ſignior, *inquit*, eſt prae ceteris „ epiſtola Theotmari Juvavenſis ſeu „ Saltzburgenſis, aliorumque Bajoa„ riae Epiſcoporum ad Johannem IX. „ cui ſignificant ſe promiſcuis rumo„ ribus nequaquam ab obſervantia „ Sedis Romanae revocari potuiſſe. „ Eorum verba hîc adſcribi meren„ tur: *Nequaquam credimus quod coacti quotidie audimus, ut de illa Sancta & Apoſtolica Sede, quae nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis & origo Chriſtianae religionis, profluxerit quidpiam perverſitatis, ſed doctrina & auctoritas Chriſtianae religionis.* „ Sic illi Sedem Petri, tamquam „ errori haud obnoxiam, ſuſpicie„ bant. „ Itaque & his temporibus haud aliae Eccleſiae Sedem Petri, ſed Petri Sedes Chriſtianae religionis conſtituta divinitus firmamentum, alias Eccleſias auctoritate ſua ſuſtinebat. Nec quidquam hoc ſaeculo occurrit, quod cum aliquo colore objicit poſſit praeter Stephani VII. & Ser-

& Sergii III. adversus Formosi Ordinationes decreta, de quibus est jam nobis cum Meldensi Episcopo disserendum.

CAPUT XXXI.

„ Alia exempla: turbae sub Sergio III. Ordinationum Formosi Papae gratia: Auxilii Presbyteri locus. Aliae turbae sub Johanne XII. Turbae graviores atque incertior status in diuturno schismate inter Urbanum VI. & Clementem VII.

AB his tribus, quae unico Capite comprehendit & objicit Illustrissimus Adversarius, ipsi nos pariter unico Articulo breviter expediemus; quod ad praesentem disputationem non nisi coacte, ac velut adhibitis machinis referantur.

ARTICULUS UNICUS.

Ad praesentem disputationem ea minime pertinere quae in hoc Capite objicit Illustrissimus Adversarius

§. I.

De Stephani VII. & Sergii III. Decretis adversus Formosi Ordinationes aliquot Gallorum Theologorum judicia.

HAllerius de Sacris Ordinationibus Sect. III. cap. II. §. VII. de his Pontificibus eorumque in hac caussa Synodis ac Decretis haec scribit: Certum est autem Pontifices illos Stephanum VII. & Sergium factione Adelberti Marchionis Tusculani (*Tusciae*) intrusos fuisse, & violenter Pontificiam Sedem invasisse: itaque: nihil mirum, si male parta dignitate male usi, novas ordinationes, odio & furore in Formosum Papam perciti, superinduxerint: quod *non errorem in fide* Cardinalis Baronius, *sed violentam tyrannidem in facto fuisse*, scribit. Addiderim ego, si quis error in fide fuerit, eum Pontificum istorum menti insedisse; sed non usitato Pontificum Romanorum decernendi more, non sedatis animis atque compositis, non deliberatione matura praecedente, fuisse decretum. Nam Synodus illa, quam coëgit Stephanus VII. factiosorum hominum & facinorosorum Synodus fuit; ad quam si qui timoratae conscientiae accesserunt, eorum aliqui inviti accesserunt, alii, ut potuere, reclamarunt. Etenim refert Sigebertus, exsecrandum illud facinus, reclamantibus qui aderant, perpetratum; & in Actis Romanae Synodi sub Johanne IX. legitimo Pontifice habitae, in qua reordinationes illae damnatae & de cetero vetitae, legimus, Episcopos, Presbyteros, & reliquos Clericos, qui eidem Synodo adfuerant, veniam petiisse, confessosque fuisse se terroris metu ac formidine coactos interfuisse.

Morinus Praefat. in Auxilii libellos de Formosi Ordinationibus, hoc inter alia sapienter monet: Totum istud Pontificum dissidium ad fidem nullo modo spectasse. Duo tantum spectabat, quae hominum opinationibus erant obnoxia; quorum unum in quaestione singulari versabatur: An Formosi ad Papatum promotio fuis-

fuisset Canonica : Pars una hoc affirmabat ; negabat altera . Alterum in quaestione universali , sed nondum decisa , & edicto peremtorio confirmata : An Episcopus depositus & degradatus valide ordines conferret .

Natalis Alexan. in Hist. Eccles. Saec. X. cap. I. art. XIV. Erravit proculdubio Stephanus hac in caussa ; sed conversationis error fuit , non praedicationis. Nullo enim modo spectabat ad fidem , quae mota est de Formosi Ordinationibus quaestio &c. quae ex Morino describit ,

Denique , ut alios omittam , Turnelius Quaest. V. de Ecclesia artic. III. Certum est , inquit , Stephani Concilium nec legitimum ac Canonicum fuisse ; nec ulla prorsus ratione probari posse plane barbaram & tyrannicam Stephani agendi rationem . Audiatur Baronius ad an. Christi 897. *Furore , percitus homo , non quod jure liceret , sed quod exaestuans rabies suasit , implevit . Non enim fuit error in fide , sed violenta tyrannis in facto .* Unde pergit : *Non auderem eum Stephanum inter Pontifices Romanos numerare , nisi id factum a Majoribus invenissem , utpote tanto indignum nomine , qui primus & solus nefando & inaudito sacrilegio Petri Sedem adeo deturpavit .* An dices talem Pontificem praerequisitis omnibus de jure conditionibus , definitionem ex Cathedra , ut sapientem Pontificem decebat , edidisse ? Apage commentum .

Quod pertinet ad illam Auxilii distinctionem , quam probat , atque obviis ulnis amplectitur & commendat Illustrissimus Adversarius : *Aliud sunt Pontificales Sedes , aliud praesidentes . Proinde honor & dignitas uniuscujusque Sedis venerabiliter observanda sunt . Praesidentes autem si deviaverint , per devia sequendi non sunt &c.* Prudenter , inquit Nat. Alexand. ubi supra capite III. artic. XXXIV. monet Johannes Morinus Congregationis Oratorii Vir doctissimus Praefatione in duos Auxilii Libellos , quos edidit in Commentario de Sacris Ordinationibus , hanc distinctionem cautius fuisse explicandam . Praetextu enim honoris conservandi Throno Apostolico debiti , habenae laxantur convitiatoribus Pontificum , unde necessario & evidenter convitia in Sedem ipsam reflectuntur . Quod profecto saepissime Meldensi Episcopo in hoc Opere accidit .

§. II.

De Johanne XII. & Leone Pseudo-Pontifice .

Mirum si Meldensis Episcopi sollertiam in notandis omnibus maculis , quae Petri Sedem aliquando foedarunt , Johannes XII. effugisset ; quo nemo unquam sanctissimi loci religionem turpioribus moribus polluit ac violavit . Nec profecto alia esse ratio potuit , cur ejus hic mentio injiceretur. Nihil enim levius , & magis a proposito alienum hac Viri Illustrissimi observatione : „ Illud autem volumus , gravissimos divino „ judicio multos incidisse casus , qui„ bus Ecclesiae Romanae oppressae „ ac laboranti nihil praesidii nisi in „ Ecclesiae Catholicae toto orbe dif„ fusae auctoritate superesset . Ac „ fateamur necesse est talia contigis-

„ giſſe, cum Johannes XII. flagitio-
„ ſiſſimus Pontifex ab Othone Im-
„ peratore, Concilio congregato,
„ depoſitus eſt, & Leo VIII. ſub-
„ ſtitutus. Baronio facile concedimus,
„ illegitimum illud fuiſſe judicium.
„ Interim pars orbis maxima Johan-
„ nem ejuſque Succeſſores averſa-
„ batur; Leoni ejuſque Succeſſori-
„ bus adhaerebat. Bona profecto
„ fide, ac ſub incerto, imò nullo
„ Pontifice haud minus Chriſto ejuſ
„ que Eccleſiae conjuncti vivebant.

Nolo in ea, quae tanta confidentia jactantur, inquirere: An orbis pars maxima Pſeudo Pontifici ejuſque Succeſſoribus, & an bona fide adhaerebat: Johannem autem legitimum Pontificem ejuſque Succeſſores averſabatur. Id enim quum ab Adverſario nulla reddita ratione adfirmetur, a nobis quoque nulla reddita ratione negari poſſet. Sed in rem noſtram magis eſt quod ipſe narrat. Si enim pars orbis maxima Pſeudo-Pontifici adhaerebat, & legitimum Pontificem averſabatur: quomodo, amabo te, Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa Eccleſiae Romanae oppreſſae ac laboranti praeſidio fuit? Annon contrariam ex hoc facto quicumque ſapit eliciet conſecutionem? Et ſane vix duobus elapſis menſibus a Romanis pulſus eſt Antipapa, habitaque a Johanne legitime Synodo, Pſeudo-Synodi & Apoſtolicae Sedis nequiſſimi Invaſoris acta reſciſſa ſunt, Ipſa ergò ſibi, & Eccleſiae toto orbe diffuſae Eccleſia Romana ſubvenit. Porro quos dicat Boſſuetius, ad rem magis amplificandam, Pſeudo-Pontificis Succeſſores, quibus orbis Chriſtiani pars maxima adhaeſerit, ignoramus. Ille enim a ſe ipſo incipiens & nulli ſuccedens, nullos etiam Succeſſores habuit.

§. III.

De diuturno ſchiſmate inter Urbanum VI. & Clementem VII. eorumque Succeſſores.

Duo ſunt, quae ex funeſto hoc ſchiſmate colligit Illuſtriſſimus Auctor. Primùm, Eccleſiam Romanam occulto judicio in ea incommoda turbaſque labi poſſe, unde ſe ipſa extricare non poſſit, & ab Eccleſiae Catholicae auctoritate pendeat. Tum illud, ſub dubio ac fluctuante, imo ſub nullo ac falſo Pontifice certam remanere, longo etiam tempore, Eccleſiae Catholicae non modo unitatem, ſed etiam auctoritatem, qua rebus neceſſariis conſulatur.

Haec ſi ad ſchiſmatis tempus, & quibuſdam adhibitis temperamentis, coërceantur, haud aegre a nobis admittentur. Quaenam porro ejuſmodi temperamenta deſideremus, quantum pertinet ad praeſentem diſputationem, ex mox dicendis ſatis patebit.

CAPUT XXXII.

„ Ex his oſteditur, etſi quis Ro-
„ manus Pontifex falſa definiat,
„ Catholicam tamen Eccleſiam
„ Sedemque Apoſtolicam manere
„ ſuo pondere conſtitutam.

„ His, *inquit Boſſuetius*, convin-
„ cuntur ii, qui Eccleſiam
„ Catholicam ſtatim interituram pu-
„ tant, ſi quis Romanus Pontifex
„ fal-

„ falsa definiat, tanquam una ea res
„ sit, quam Ecclesiae Catholicae
„ auctoritas supplere non possit.

Quid futurum esset, aut quid factura esset Ecclesia, si Romanus Pontifex e Petri Cathedra haeresim doceret ac sollenniter definiret, nos cum ignorantibus aeque scimus. Nunquam id evenisse, ex Ecclesiasticis monumentis compertum est; nunquam id eventurum, ex Christi promissis & Ecclesiae traditione constat. Numquid aliquando quaerendum aut decernendum erat, quid facto opus esset, si Christi promissa deficerent?

„ Atqui alia, *inquit*, quae me-
„ moravimus, cogitanda erant. Nem-
„ pe certum est, Romanum Pontifi-
„ cem a Deo esse positum, qui Ca-
„ tholicae societatis communionisque
„ esset vinculum...... Atque hinc
„ etiam valet illud; absque Roma-
„ no Pontifice non colligi Synodos.
„ Quippe quo duce Ecclesiae uniri
„ conjungique debeant: haec a Chri-
„ sto instituta, haec in aevum du-
„ ratura sunt. Neque eo secius,
„ Deo permittente...... inter duos
„ tresve Pontifices Ecclesia in diu-
„ turno illo schismate fluctuavit.....
„ Et cum omnino Synodo opus fuit,
„ Romani Pontificis ad eam colli-
„ gendam officium, Ecclesiae Ca-
„ tholicae, hoc est, Spiritus San-
„ cti supplevit autoritas. An ergo
„ officium confirmandi in fide fratres,
„ si casus occurrat, eadem Ecclesia
„ supplere non possit?

Quin Ecclesia Catholica, imo & Ecclesia Romana ceterarum mater & magistra, tum in aliis pluribus, tum in confirmandis in fide Fratribus, Romani Pontificis supplere possit officium, haud equidem inficiamur; hoc tamen adhibito temperamento, ut si circa fidem vel circa mores aut circa disciplinam, quae ad totam spectet Ecclesiam, nova & difficilis, ac nondum satis eliquata, occurrat controversia, supremum ac peremtorium ejus judicium certo & munere suo functuro Romano Pontifici reservetur. Sic in illa post Fabiani Martyrium Sedis Apostolicae diuturna vacatione quum gravissima de reconciliatione Lapsorum incidisset quaestio; consulta de hac re a Sancto Cypriano Ecclesia Romana exortam controversiam fiduciario tantum decreto composuit, distulitque peremtorium de illa judicium ad peractam futuri Pontificis electionem, qui posset de hac re cum summa auctoritate disponere: *Nobis*, inquiunt (a), *differendae hujus rei necessitas major incumbit, quibus post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus; qui omnia ista moderetur, & eorum qui lapsi sunt, possit cum* AUCTORITATE ET CONSILIO *habere rationem*. Et infra indicant de hac re cum aliis Episcopis, qui & ex vicinis & ex longe positis provinciis Romam confugerant, habitum fuisse Concilium, itumque ab omnibus in eamdem sententiam, ut certa lex omnino & ubique servanda non ante statueretur, quam in Cathedra Petri summus sederet Antistes:

Cu-

(a) Epist. Cleri Rom. ad S. Cyprian. int. Cyprianic. XXX. al. XXXI.

jus temperamenti moderamen nos hîc tenere quaerentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus; ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere, caussa teneatur: eorum vero &c. Subjungunt quid illis de ceteris videatur, quorum urgens exitus dilationem ferre non posset, & quid interim circa illos servari velint. Porro ex Cypriani Epistolis discimus (a); has Cleri Romani litteras per universum orbem fuisse vulgatas, & omnibus quaquaversum Episcopis placuisse. Itaque non abnuimus, quin Ecclesia Catholica, vel Romanus Patrum Purpuratorum Senatus, Petri Sede vacante, aut foedo schismate dilacerata, aut Pontificis, ut privatus homo est, praevaricatione polluta; possit ipsa interim providere sibi, & aliis Ecclesiis, fratres in fide confirmare, erroribus resistere, haereticos aliosque novatores compescere &c. donec Episcopus Romae constituatur, qui haec ipsa summa auctoritate confirmet. Hinc nostrates Theologi ea Concilii Constantiensis decreta veluti Spiritus Sancti oracula venerantur, quae fuerunt a Martino V. Romano Pontifice confirmata.

Frustra proinde ulterius pergit Adversarius & quaerit: Quid facto sit opus,, si Romanus Pontifex haeresim non jam definitione sanciat,
,, sed tamen praedicet? Quid si sit
,, aperte jam obstinateque haereticus?
,, Quid si Simoniacus? Quid si schismaticus? Quid si contumaciae nomine merito deponendus? Quid
,, si bonos Viros a sua communione
,, depellat? Quid si mente captus?
,, Quid si detentus? Quid si ea tam
,, multa contingant, propter quae
,, ei necessario obsistatur? Haec enim
,, partim evenisse, partim evenire
,, potuisse, omnes confitentur.

Tractant ejusmodi controversias aliasque hypotheses, quae pro libito fingi possunt & in immensum augeri, vulgares Theologi & sacrorum Canonum Consulti, qui videri & consuli possint. Non enim decet hujus loci gravitatem circa illa tricari.

CAPUT XXXIII.

,, Lapsus Romanorum Pontificum
,, nihil Ecclesiae, nihil fidei,
,, nihil Sedi Apostolicae nocuerunt: Liberius ordine temporum
,, primus recensetur.

TAedet post tot Theologorum, Historicorum & Criticorum de hoc argumento disputationes, lugubrem hanc & bonis omnibus deplorandam historiam retexere & ad examen revocare; potissimum quum vix ac ne vix quidem fieri possit, ut a fabulis & commentis, quibus prope obruitur, veritas secernatur; ac demum quum vel ipsis fatentibus Adversariis, nihil ad rem prae-

(a) Vid. Epist. XLIII. al. XL. ad Plebem, & Epist. LII. al. XLIX. ad Antonian.

ſentem faciat iſtiuſmodi exemplum. Primo, inquit Turnelius (a) quia coactus ac per vim exſilio detentus id egit Liberius, ut omnes ſciunt: Prima vero conditio in Pontifice requiſita, ut ex Cathedra definiat, eſt ut libere definiat. Secundo, valde incertum eſt, & adhuc diſputant Critici, cuinam formulae Sirmienſi ſubſcripſerit Liberius: multiplicem enim hujus nominis fuiſſe nemo neſcit. Sed volo, inquit laudatus Auctor, eum ſubſcripſiſſe formulae Arianae; An illam tanquam verae fidei conſentaneam toti Eccleſiae propoſuit credendam? An ea, qua par fuiſſet, libertate, cura, diligentia, vocatis Epiſcopis & conſultis, formulam expendit? Minime profecto. Si quis ergo in eo error fuit, privatus fuit & perſonalis, non Pontificia auctoritate & ex Cathedra definitus.

Non mirum ergo, ſi Liberii lapſus nihil Eccleſiae, nihil fidei, nihil Sedi Apoſtolicae nocuit. Nam quemadmodum praeclare obſervat Athanaſius in epiſtola ad Solitarios, ſubſcriptio, quae vi a Liberio extorta eſt, ejus quum liberos haberet affectus, & in haereſim odium & pro Athanaſio ipſo ſuffragium demonſtrat. Nam quae contra priorem ſententiam ſuam ſcripſit, ea cogentium potius imperio ac tyrannidi, quam ipſius voluntati, tribuenda ſunt: *Liberius*, inquit, *poſt exactum in exſilio biennium inflexus eſt, minisque mortis ad ſubſcriptionem inductus. Verum illud ipſum quoque & eorum* (Arianorum) *violentiam, & Liberii in haereſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium coarguit. Quae enim per tormenta contra primam ejus ſententiam extorta ſunt, eae jam non metuentium, ſed ita cogentium voluntates habendae ſunt.*

CAPUT XXXIV.

,, Euſebii Romani Presbyteri ac ,, Martyris acta referuntur.

Ejuſmodi Acta nunquam delendis foedata maculis, imo ex meris contexta fabulis, pudor eſt, in tanta bonarum litterarum luce defenſores nanciſci potuiſſe. Verum haec illis opera debebatur, quoniam idonea viſa ſunt ad exaggerandam Liberiani caſus atrocitatem. Hinc Baluzio (b), & ex eo, verboſiſſimo in hunc locum Adnotatori dicuntur *continere res ſcitu digniſſimas, quarum nulla eſt mentio in Annalibus Eccleſiaſticis*. Et Illuſtriſſimus Auctor depraedicat, quod in eis *innata ſimplicitate ipſa ſe prodit antiquitas; & quibus ejus generis actorum ineſt aliquis guſtus, hoc ſapiunt*. Melius diceret, quod foediſſimis anachroniſmis & male conſarcinatis fabellis ipſa ſe aperte prodit ineptiſſimi Impoſtoris audacia & oſcitantia. Nimirum congreſſus Romae Liberii & Euſebii cum Conſtantino poſt Liberii reditum ab exſilio; Synodus Damaſi Papae, in qua voce publica damnarit Liberium; Perſecutio, quae Damaſo Pontificatum adepto ſtatim ceſſarit, ſed brevi temporis intervallo redintegrata ſit; haec pars ſunt rerum

(a) Loc. ſup. cit.
(b) Tom. II. Miſcellaneor. in Not. pag. 497.

rerum scitu dignissimarum, quarum nulla est mentio in Annalibus Ecclesiasticis, & quibus par est ut deinceps locupletentur. Apage ludibria! Operam profecto luderem, si in adimenda iis actis auctoritate laborarem, quemadmodum illi luserunt, qui aliquam iis adserere pertentarunt. Nam unum vel alterum ex adeo crassis & pinguibus σφάλμασι satis esse judicarent ii ipsi Critici, quibuscum nobis res est, ad certam ferendam sententiam, ut Acta alias optime notae omni auctoritate carerent. Vid. Tillemontius *sur les Ariens* Not. LIX.

CAPUT XXXV.

„ Adversariorum effugia praecluduntur: nostra argumenta firmantur.

QUae vocat atque in hoc capite Meldensis Episcopus exagitat adversariorum effugia, nihil alio ferme pertinent, quam ut Liberii culpa, quoad integra veritate fieri potest (quod profecto ab omnibus Catholicis pietas exigit) extenuetur. Ceterum locus ille qui est in hac caussa praecipuus, & ad quem velut ad arcem aramque confugimus; quod nempe Sirmiensi formulae non ut Pontifex, sed ut privatus homo subscripserit, omnibus prorsus Illustrissimi Adversarii adsultibus & argumentis intactus est. Demus enim, non uno poenarum ac tormentorum, seu mortis metu, sed exsilii taedio, ac recuperandae sedis cupiditate fractum Ecclesiae Catholicae caussam Liberium turpiter prodidisse. Demus, etiam, illum non, ut plerique volunt, primae Sirmiensi formulae, quam ceu Catholicam ipse quoque S. Hilarius exposuit, subscripsisse; sed secundae, quae palam & aperte Arianorum blasphemias & haereses continebat. Demus postremo, non statim atque ad haereticae formulae subscriptionem Liberius inflexus est, e summo Ecclesiae Pontificatu excidisse, imo Felicem ei subrogatum nunquam verum ac legitimum fuisse Pontificem: demus, inquam, haec omnia; nunquam tamen inde conficies, Liberium ea qua par fuisset libertate, cura & diligentia usum, & vocatis Episcopis & consultis, eam formulam expendisse; ei libere & ex animo, ac propria voluntate utentem adhaesisse; eam denique universae Ecclesiae veluti certam fidei Catholicae regulam proposuisse, quae tamen, ut ipsimet Adversarii docent, notae & charactéres sunt Apostolicae definitionis; ac proinde neque iis omnibus datis evinces, Liberium ut Pontificem & ex Cathedra Sirmiensem formulam adprobasse.

Animadversione digna existimamus haec Illustrissimi Auctoris verba prope capitis finem: „ Cum dicitur Petri fides, Romana fides „ Sedesque Apostolica perire non „ posse; Romano Pontifici deberi „ obedientiam; cum Romano Pontifice a quocumque Catholico com„ municari oportere: haec summa „ ipsa valere & aestimari, non ad „ minutias redigenda: omnino enim deficiente Liberio, Petri fides stetit: fides stetit Sylvestri, Marci, Julii

 „ aliorum.

„ aliorumque Romanorum Pontifi-
„ cum, qui Liberium praecesserunt:
„ haec enim fides Romanos Pres-
„ byteros sustinebat &c. Hisce similia, uti non semel animadvertimus, Illustriss. Praesul alibi inculcat. Verum, & ut non semel nobis observatum, saepissime illis aliud cogitans contradicit. Ut supra quum haec probat S. Columbani ad Bonifacium IV. scribentis verba: *Merito vestri Juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non comunicant*. Quae verba, ut jam notavimus, non ad solum Pontificem diriguntur, verum & ad universam Ecclesiam Romanam indivulse suis Pontificibus adhaerentem, a qua Istriae, Venetiarum, & aliquot Liguriae Episcopi jam prope ab annis sexaginta funesto schismate sejuncti erant. An sexaginta annorum schisma ad eas minutias pertinebit, ad quas redigenda non sunt, quae de Petri fide, de Romana fide, deque Sede Apostolica a Conciliis & Patribus praedicantur? An quod ipse ait de fide Silvestri, Marci, & Julii aliorumque Pontificum, quod cadente Liberio perstitit; dici id pariter juxta Columbani hypothesim potuisset de avita & primaeva Romanorum Pontificum fide; quod nimirum cadente Bonifacio ea similiter in Sede Apostolica perstitisset? Atqui Bonifacii IV. haud alia erat quam Virgilii, Pelagiorum, Johannis III. Benedicti I. Gregorii Magni, Sabiniani, & Bonifacii III. fides: huic perinde universa Romana Ecclesia constanter inhaerebat. Ergo si error erat, inolitus erat atque inveteratus, adeoque inter minutias minime computandus.

CAPUT XXXVI.

„ Sanctus Zosimus Caelestii Pelagia-
„ ni confessionem aperte haere-
„ ticam probat: Ejus epistola ad
„ Africanos Episcopos: S. Augu-
„ stini loci.

De hoc Zosimi exemplo haec scribit saepe laudatus Turnelius: Necesse est eos, qui tale proferunt exemplum, Augustinum non legisse in eo ipso loco qui opponitur (a). Conceptis enim verbis ait: *Nusquam dixisse Zosimum, nusquam scripsisse, nusquam praecepisse credi oportere, hominem nasci sine ullo vitio peccati originalis*, in quo caput erat erroris Caelestii. Ubi igitur definitio ex Cathedra? Si ergo haeretici hominis versipelli ingenio, fraude, ac dolis deceptus est Pontifex, ratus illum reipsa Catholice sentire, quia edoceri postulabat, & promittebat emendationem, *voluntas emendationis*, ait S. Doctor (b), *non falsitas Dogmatis in eo adprobata est*. Haec Turnelius: libet tamen aliquid enucleatius hoc de argumento disserere.

ARTICULUS UNICUS.

De Zosimi in caussa Caelestii judicio.

Judicio Zosimi in caussa Caelestii triplex statui potest objectum. Primo, Catholicum dogma de peccato originali. Secundo, sensus obvius

(a) Lib. II. ad Boniiac. cap. III.

(b) Ibid.

vius quem verba libelli a Caelestio Zosimo oblati praeseferunt. Tertio, fides interior, &, ut Schola loquitur, personalis ipsius Caelestii. Haec paullo accuratius enucleanda sunt. Ipsum Catholicum dogma illius judicii velut objectum habendum esset, si peccatum primi Parentis in ejus Posteros minime propagari, diserte Zosimus statuisset. Fuisset autem obvius & naturalis Caelestiani libelli sensus, si quemadmodum ab Alexandro VII. aliisque Romanis Pontificibus sancitum est, credi oportere Jansenii propositiones ex ejus libris excerptas, juxta earum obvium & naturalem sensum, haereticas esse; ita Zosimus has Caelestiani libelli propositiones: *Peccatum ex traduce longe a Catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non naturae delictum sed voluntatis esse monstratur &c.* sensum exhibere Catholicum declarasset, idque ab omnibus credi oportere sanxisset. Denique fuisset, ut reapse fuit, illius judicii objectum ipsius Caelestii fides interior & personalis, si hoc tantum a Zosimo declaratum est, haereticum librum fuisse a Caelestio Catholico spiritu concinnatum, aut haereticas propositiones non fuisse ab eo haeretica mente conscriptas. Jam ergo videndum est, quod nam judicii, de quo agimus, ex his tribus reapse fuerit objectum.

Et primum quidem neminem fore arbitror, qui adeo desipiat, ut adfirmare audeat, definitum aliquando a Zosimo fuisse, aut ab eo praeceptum, credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci. Id enim ab eo factum S. Augustinus non modo diserte negat, verum & inde luculentissime probat, quod nullum extet hujusce rei in Zosimi Epistolis ac sermonibus argumentum: *Tot enim*, inquit (a), *& tantis inter Apostolicam sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis, Ecclesiasticis etiam gestis de hac caussa apud illam sedem, Caelestio praesente & respondente, confectis; quaenam tandem epistola venerandae memoriae Papae Zosimi, quae interlocutio reperitur, ubi praeceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit.* Nec modo inficiali argumento ab hac mente alienum fuisse Zosimum S. Augustinus demonstrat; verum & sui Decessoris Sancti Innocentii de peccato originali doctrinae eum semper adfixum fuisse ac penitus adhaesisse, ex eo apertissime S. Doctor ostendit, quod *insuper etiam Caelestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicae* (per Sanctum Innocentium) *litteris crebra interlocutione constrinxerit*: in quibus utique litteris Catholica doctrina de primi peccati propagatione disertissime sanciebatur; adegeritque eumdem Caelestium ad ea omnia damnanda, quae ipsi fuerant objecta juxta laudati Sancti Innocentii sententiam; inter cetera autem a Paulino Diacono fuerat objectum, quod peccatum originis non agnosceret. Ex quibus apertissime

(a) Lib. II. ad Bonifac. cap. III.

me constat, non posse nisi per summam inscitiam aut impudentiam Zosimo imputari, quod in priore illo de Caelestio judicio Pelagianam seu Caelestianam de peccato originali doctrinam adprobaverit.

Hinc autem manifeste consequens est, nec illud ulla ratione adfirmari posse, fuisse in illo judicio ab eodem sanctissimo Pontifice definitum, nullas fuisse in libello Caelestii propositiones, quarum obvius & naturalis sensus non haereticus, sed Catholicae doctrinae consentaneus habendus esset. Quum enim Caelestio inter alia, ut jam diximus, Paulinus Diaconus objecisset, hanc ab eo defendi doctrinam; *Quod peccatum Adae ipsum solum laeserit, & non genus humanum; & quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante praevaricationem*: Quum S. Innocentius epistola ad Patres Concilii Carthaginensis inter Augustinianas CLXXXI. numero VII. docuisset: quod *sua in aeternum* (primus homo) *libertate deceptus, hujus ruinae jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia liberasset adventus, qui per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui Baptismatis lavacro purgavit*: Quum praeter S. Augustinum Paulinus ipse in libello Zosimo oblato contra Caelestium testis locupletissimus sit, saepius a Sancto illo Pontifice fuisse Caelestium in hanc formam interrogatum: *Damnas ergo illa omnia, quae in libello Paulini continentur?* Et iterum: *Illa omnia damnas quae jactata sunt de nomine tuo?* Et iterum: *Vel ea quae in libello suo exposuit Paulinus?* Et rursum: *Nolo nos circuitu ducas: damnas ea omnia, quae tibi objecta a Paulino, sive per famam jactata sunt?* Denique cum hisce interrogationibus urgeretur, tandem Caelestius, S. Augustino teste, responderit: *Damno secundum sententiam beatae memoriae praecessoris tui Innocentii*: Quum, inquam haec omnia certissima sint, & in dubium revocari non possint; fieri profecto non potest, ut obvium horum Caelestii verborum sensum, quaeis diserte negatur originale peccatum, Sanctus Zosimus velut Catholicum adprobaverit: *Peccatum ex traduce . . . longe a Catholico sensu alienum est: Quia peccatum non cum homine nascitur*.

Sed quid conjecturis utimur, quum Sanctus ipse Zosimus in Epistola ad Aurelium aliosque Carthaginensis Synodi Patres illud de quo nunc agimus aperte declarasse videatur? Nimirum longe ab ejus mente fuisse, singulas libelli a Caelestio oblati propositiones velut accurate discussas, & adamussim fidei Catholicae cohaerentes adprobare: graviterque cum Episcopis Africanis expostulat, quod ejusmodi fovisse suspicionem viderentur: *Sed post missae per Marcellinum Subdiaconum vestrum epistolae omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendistis textum, quasi nos Caelestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem ut ita dicam syllabam praebuerimus assensum*.

Quum ergo nec Caelestianam de peccato originali doctrinam, nec obvium haereticae enunciationis sensum probaverit Zosimus; sequitur, ut

ut hoc tantum sensu Caelestium ejusque libellum Catholicum Zosimus pronunciaverit, quod Catholica mente ab eo fuisse exaratum, & Catholica mente defensum existimaverit; ac proinde adfingi posse illius verbis aliquem sensum, qui utcunque posset cum Innocentii litteris conciliari. In hanc mentem atque sententiam non minus pie, quam jure meritoque Zosimi verba interpretatur S. Augustinus cum libro de peccato originali cap. VI. & VII. tum libro II. cont. duas epist. Pelagianor. cap. III. & IV. iis ipsis verbis, quae a Bossuetio adferuntur: *In homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis adprobata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicae mentis est, si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere... hoc in illo factum esse putabatur, quando se literis beatae memoriae Papae Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit*. Itaque si in illo judicio Zosimus deceptus est, nihil utique illius error Ecclesiae, nihil fidei Romanae, nihil Romanorum Pontificum auctoritati, nihil Sedi Apostolicae nocuit. Quum enim Romanis Pontificibus in definiendis fidei controversiis, factisque dogmaticis asserendis inerrantiam vindicamus; sub iis tamen factis dogmaticis cum communi Theologorum sententia minime comprehendimus sensus alienos & exoticos, quos in mente Auctores habere aut suis verbis adfingere potuerunt. Haec enim potius personalia, ut ajunt, quam dogmatica facta sunt; in iisque dijudicandis etiam apud Apostolicam Sedem, absolute locus errori patet & deceptioni. Quare haud semel accidit, ut qui intus & in cute haeretici erant, quum illorum verba in quam optimam partem Romani Pontifices inflectunt, ac non de illorum sensibus ex verbis, sed ex sensibus, quos fidei consonos credunt, de verbis judicant, aliquamdiu pro Catholicis haberentur. Id Romanorum Pontificum pietati tribuendum est. Ut enim Sanctus ipse Zosimus de hac ipsa Caelestii caussa ad Africanos Episcopos scribit: *Optimae mentis indicium est, prava difficilius credere: nam plerique, quorum de se bonae confessioni pigrius adhibetur fides, in illius erroris abruptum necessitate coguntur; & irremediabile vulnus efficitur, quod desperatur sanari*. Id reapse spectasse Sanctum Pontificem, quum Caelestium, aliquanto lenius, ut ait S. Augustinus (a), quam severior postulabat Ecclesiae disciplina, tractavit; Sanctus Doctor persuasum habuit (b); *Sed multum misericors memoratae Sedis Antistes, ubi eum vidit ferri tanta praesumptione praecipitem, tanquam furentem, donec si posset fieri resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus & illius responsionibus colligare, quam districta feriendo sententia, in illud abruptum, quo jam propendere videbatur*,

(a) Lib. II. ad Bonifac. cap. III.
(b) Lib. de peccat. Orig. cap. VI.

batur, *impellere*. Concinit Augustino Marius Mercator in Commonit. adv. Pelagianos.

Illud ad cumulum addendum; quodcumque fuerit illud Zosimi de Caelestio judicium, constat tamen nec ultimum fuisse nec peremtorium. Id, inquam, constat ex ipsius Zosimi litteris ad universos Africae Episcopos, quibus jubet, ut *intra secundum mensem aut veniant*, *qui praesentem redarguant aliter sentire*, *quam libellis & confessione contexuit*; *aut nihil*, *post haec tam aperta & manifesta quae protulit*, *dubii sanctitas vestra resedisse cognoscat*. Et in Epistola ad Aurelium aliosque Patres Concilii Carthaginensis testatur, se in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, quum priores ad eos litteras misit, quia *nunquam temere*, inquit, *quae sunt diu tractanda finuntur*; *nec sine magna deliberatione statuendum est*, *quod summo debet disceptari judicio*. Itaque nihil fuit a Zosimo in priore illo de Caelestio judicio summo ac peremtorio decreto definitum: sed callidus ille Veterator; quemadmodum ait S. Augustinus (*a*), *velut phreneticus*, *ut requiesceret*, *tamquam leniter fotus*, *a vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus*: *sed interposito duorum mensium tempore*, *donec rescriberetur ex Africa*, *resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententia lenitate concessus est*. Quum ergo Caelestius in priore illo Zosimi judicio non fuerit ab excommunicatione solutus; quum ejus adhuc ex Africa exspectarentur accusatores, qui praesentem aliter sentire redarguerent, quam ex ejus libello conjuncto cum edita ab eo viva voce in Romana Synodo confessione conjici poterat; quum denique adhuc *ad pleniorem audientiam*, ut ait loco paullo ante citato Marius Mercator, a Zosimo reservaretur; constat profecto, quodcumque illud fuerit, non fuisse tamen ultimum ac peremtorium, sollenne ac definitivum Apostolicae Sedis judicium.

Denique ad haec verba S. Augustini (*b*): *Sed si*, *quod absit*, *ita tunc fuisset de Caelestio & Pelagio in Romana Ecclesia judicatum*, *ut illa eorum dogmata*, *quae in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat*, *adprobanda & tenenda pronuntiarentur*, *ex hoc potius esset praevaricationis nota Romanis clericis inurenda*; Ad haec, inquam, verba Illustrissimus Adversarius observat „ quod Augustinus id quidem „ abominandum, infaustum, mise„ rum, non vero impossibile judi„ cavit; idque ad Bonifacium Pa„ pam Zosimi successorem scripsit. Sed paucis respondeo, verba illa, *quod absit*, etiam rem impossibilem indicare. Ita Job cap. XXXIV. 10. *Absit a Deo impietas*, *& ab Omnipotente iniquitas*. Ita & Apostolus non semel sub initium Capitis tertii epistolae ad Romanos: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit*. Et rursum: *Numquid iniquus est Deus*, *qui infert iram? Absit*. Quibus locis verbum, *absit*, non modo rem abominandam & in-

(*a*) Ibidem cap. VII.
(*b*) Lib. II. ad Bonifac. cap. III.

& infaustam, verum & impossibilem indicat. Quare nullum omnino est argumentum, quod adversus Ecclesiae Romanae inerrantiam ex adlato Augustini loco depromitur.

CAPUT XXXVII.

„ Hormisdae atque Honorii gesta
„ uno verbo repetuntur: Johan-
„ nes VII. Trullanam Synodum,
„ qua Romana Ecclesia erroris
„ accusatur, suo judicio subditam
„ relinquit intactam.

DE Hormisda & Honorio jam satis superque disceptatum est. Quod vero ad Johannem VII. pertinet, proferam hic aequissimum, & cum verbis Anastasii plane congruens Cl. Pagii de illo judicium: „ Anastasius, *inquit Pagius* (a), eum „ arguit, quod noluerit cribrare Ca„ nones, & triticum a palea sepa„ rare. Subjungitque Lupi verba, qui ait, non injuria, & non sine fundamento id illi ab Anastasio crimini datum esse, quoniam „ habet, „ *inquit Lupus* (b), haec Synodus „ bona malis mixta; & utile ab „ inutili non vitiatur: quare potue„ rat separari. Praestitit id postea Constantinopoli degens Constantinus Johannis successor, Canonesque Synodi Trullanae Ecclesiae Romanae decretis non adversantes probavit (c); quem propterea Justinianus Junior Imperator impensissime coluit, ac summis honoribus prosequutus est. Unde manifestissime evertitur quod per summam injuriam Johanni VII. imputat Bossuetius; quod nimirum timore victus non modo Canones utiles ac probos in Trullana Synodo conditos a noxiis & reprobis discernere refugerit; verum quod omnes indiscriminatim probaverit. Quod perabsurdum sane commentum est. Si enim omnium Trullanorum Canonum adprobationem a Johanne Septimo Justinianus obtinuisset; non ille profecto tantopere elaborasset, ut quibusdam ad libitum Constantini sepositis, saltem aliorum confirmationem a Johannis successore impetraret.

Quod autem Anastasius Johanni VII. crimini potius quam laudi vertit, quod Trullanos Canones intactos ad Justinianum remiserit, id omnibus non probatur. Non enim desunt, qui inde potius laude dignum existimant. Hinc Illustrissimo Petro de Marca observatum (d). *Quamvis a recentioribus haec repulsa*, qua Trullanos ullos Canones adprobare recusavit, *inter praeclara Johannis facinora adscribatur*. Audiendus inter ceteros hac de re sapientissime disserens Eminentissimus Annalium Parens: [e] Verum etsi justa haec Justiniani Junioris esse petitio videretur: tamen quod non deceret majestatem Apostolicae Sedis vel quid minimum comprobare, quod non in legitima Synodo sancitum esset, eos Johan-

(a) Critic. Baron. ad. an. DCCXCII. num. XV.
(b) Dissert de Synodo Trullana.
(c) Vid Pagius ad an DCCX. num. II. & Lupus Ibid
(d) Lib. II. de Concord. Sac. & Imp. cap. XVII. num. VI.
(e) Ad an. DCCV. num: V.

Johannes nec ex parte voluit comprobasse. Ceterum (quod ab eo fieri exspectabatur) neque voluit condemnasse, ne commoveret animum Imperatoris. Hinc est enim quod Anastasius subdit: *Sed Johannes humana fragilitate timidus, hos nequaquam emendans per suprafatos Metropolitanos direxit ad Principem*. Haec ille. Verum, ut recte idem Baronius observat, eos non recepisse, videri poterat condemnasse. Non fuisse illos quidem receptos, sed uti scripti erant (ut Anastasius ait) remissos ad Imperatorem, alia sunt quae demonstrant: etenim si recepti fuissent, haud opus fuisset Justiniano Imperatori vocare ob eam caussam Constantinopolim Constantinum Pontificem.

Nec Baronius modo aliique recentiores, verum & ipse Petrus de Marca *prudentiam Johannis VII.* celebrat,, qui, *inquit*, anno DCCV. Ca-
,, nones sub sextae Synodi nomine in
,, Trullo a Graecis editos, quibus
,, Romanae Ecclesiae consuetudines
,, quaedam convelluntur, suscipere
,, renuit, etsi per Legatos Justinia-
,, nus Rhinotmetus Imperator id a
,, Pontifice suppliciter contenderet,
,, arbitrio permisso, ut quos vel-
,, let, Canones expungeret. Haec ille in Romanos Pontifices paullo quam Meldensis Episcopus aequior.

CAPUT XXXVIII.

,, Gregorii II. Stephani II. Ser-
,, gii III. Gregorii VII. ejusque
,, occasione Bonifacii VIII. De-
,, creta & gesta referuntur: De-
,, cretalis, *Unam Sanctam*.

Canonem Gregorii II. quem primo loco objicit in hoc capite Illustrissimus Adversarius, non modo nostrates Theologi & Canonistae, verum & plerique Gallorum, de infirmitate interpretantur matrimonium praecedente, & quae perpetuam impotentiam adjunctam habet, sed solum contracto matrimonio innotescit. Non enim, subjungit Nat. Alex. (4), ignorabat Gregorius Domini sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Non profecto hanc Domini sententiam ignorabat Gregorius, sanctitate, doctrina, facundia, constantia, studio pro fidei & Ecclesiae rebus spectatissimus Pontifex: quibus eum titulis laudatus Natalis Alexand. exornat.

Objicit secundo loco Illustrissimus Auctor Stephani II. Responsa ad varia Consulta, quae, inquit, tueri nemo potest. Nempe tertium *de eo qui uxorem habet in patria, & in alia regione versatur*: & XI. *de Presbytero, qui, cum deesset aqua, periclitantem infantem vino baptizavit*.

Quod ad tertium responsum attinet, objicitur Stephano, quod ,, an-
,, cillae

(4) Hist. Saec. VIII. artic. III.

„ cillae connubium solvit, ingenuae „ solvi vetat: quale discrimen co- „ gnitione cognita, nescit Evange- „ lium, neque Canones patiuntur &c. At de illicita copula, non de justo legitimoque conjugio hunc locum laudatus Natalis interpretatur. Tertium, inquit (a), responsum est de eo, qui ancillae seu fornicariae in aliena regione miscetur; deinde in patriam reversus, ingenuam seu legitimam uxorem ducit; postea in alienam regionem denuo profectus, ibi ancillam cum qua fornicatus est, alteri viro sociatam reperit: Pontifex negat, hujuscemodi virum alteri posse in extera regione conjungi, quamdiu superstes est uxor, quam in propria patria duxit.

Sane hoc Stephani Responsum ex Sancti Leonis decreto IV. in epist. ad Rusticum Narbonensem esse derivatum, ipsemet Illustrissimus Adversarius observat: *Ancillam thoro abjicere*, inquit Leo, *& uxorem certae ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis*. Quid ergo vetat, ut in eumdem sensum Leonis & Stephani decreta interpretemur? „ Leo, *in*„ *quit Bossuetius*, non agebat de „ vero & justo conjugio, quod cum „ ancilla iniretur; sed de illicita „ copula, quae ad arbitrium solve„ retur, cum persona servili: quip„ pe cui nullum jus, nulla actio, „ nulla querela contra hominem „ liberum legibus relinquatur. At „ Stephanum II. hic loqui patet de „ ea ancilla, quae justis nuptiis con„ juncta sit: cum redire permittat „ in ejus consortium, nisi alteri „ Viro sociata fuerit.

Ait quidem Stephanus, quod si *ancilla quam prius habuit, alii Viro sociata fuerit; hic talis potest aliam accipere &c.* quod autem in ejus consortium redire ei liberum sit, nisi alteri Viro sociata fuerit, Stephanus non dicit: haec tua consecutio est, quae non necessario ex illis Stephani verbis dimanat. Quamquam & si illud Stephanus adfirmaret; quid vetaret, quominus ejus decretum intelligeremus de justis ac legitimis nuptiis cum ancilla celebrandis; ut nimirum ei tum liberum non esset quamcumque foeminam ducere, sed ad eam ducendam esset obstrictus, quam prius pro vetusti temporis corruptela, uxoris loco habuisset.

Ad alterum decretum de Baptismo in vino respondet idem Nat. Alex. (b) primo hujus responsi non extare satis authentica nec certa monumenta. Secundo, esse verisimile, ineptam constructionem sic emendari debere: *Nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant.* Unde sequitur: *Nam si praesens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur &c.* Non igitur Baptismum talem ratum habuisse censendus est Stephanus II. (si genuinum ejus Rescriptum est:) quia non fuerat interrogatus de valore Baptismi, quem nemo sanae mentis dubitare poterat, plane irritum esse ac nullum; sed de culpa vel poena bap-

S 2 tizan-

(a) Ibid. Artic. VI.
(b) Theolog. Dogmat. lib. II. Tract. II. cap. I. artic. I. Reg. II.

tizantis. Hunc porro nulla poena amplectendum esse respondet, quia cum aliud non posset in extremo periculo, id per simplicitatem fecit, quod postea potuit elapso periculo emendari; nec in caussa fuit, cur infantes postea baptizati non sint aqua, quae sola Baptismi materia est.

Verum expeditior atque solidior harumce difficultatum solutio est, quam suggerit P. Harduinus in Opusculo seu Dissertatione de Baptismo in vino, ubi solidis & gravibus conjecturis demonstrat, non modo tertium & undecimum, verum & alia novem, ex novemdecim Capitulis sub Stephani nomine vulgatis, ipsi plane fuisse malo dolo ab aliquo veteratore supposita. Ad laudatam Harduini Dissertationem Lectorem remitto.

Objicitur etiam Nicolai I. Responsum ad Consulta Bulgarorum de Baptismo in nomine Christi. Respondet ex communi Theologorum sententia Nat. Alex. (a) duo in illa Nicolai responsione haberi, quae accurate distinguenda sunt. Primum, Virum illum, de quo dubitabatur an Judaeus esset an Paganus, Ministrum Baptismi esse potuisse, nec iterandum Baptismum ab ipso collatum, modo in trium Personarum Sanctissimae Trinitatis nomine baptizaverit; qua de re dumtaxat fuerat a Bulgaris interrogatus Pontifex. Secundum, Baptismum etiam ab hujusmodi Viro administratum ratum esse, etiamsi in solius Christi nomine collatus fuerit: qua de re non fuerat interrogatus. Prima pars responsionis est oraculum Sedis Apostolicae ex Ecclesiae sensu secundum traditionem prolatum. Pars altera scitum est Nicolai ut privati Doctoris, ex proprio sensu & opinione, quam S. Ambrosii testimonio niti existimavit, scriptum.

De Sergii III. decretis adversus Formosi Ordinationes satis superius disputatum. Quae autem pertinent ad Gregorii VII. sententiam, & Bonifacii VIII. decretalem circa Romani Pontificis potestatem in temporalia Regum, interim seponantur: longiorem enim disputationem exigunt, quam hujus loci ratio patiatur.

CAPUT XXXIX.

„ Paschalis II. gesta Lateranensis Sy-
„ nodi: Guidonis Viennensis,
„ mox Callixti II. decreta in
„ Synodo Viennensi a Sede Apo-
„ stolica comprobata: Hujus de-
„ creti verba ad Papam: *Nos*
„ *a vestra obedientia repelletis*.

NOlo disputationem de Investituris, fusiore calamo Tomo superiore Parte secunda pertractatam, retexere: inde enim petere Lector poterit quae Meldensis Episcopi in hoc capite objectis obducenda sunt. Idque unum mihi in praesentia praestandum est, ut quid de illis Synodi Viennensis ad Pontificem verbis sentiendum sit, aperiam. Quod sane melius praestare non possum, quam aliquot Gallorum Scriptorum sententiam in medium adferendo.

A R-

(a) Ubi sup. Artic. III. Reg. II. & in Hist. Eccles. saec. IX. cap. I. artic. IX.

ARTICULUS UNICUS.

De his Viennensis Concilii ad Paschalem II. verbis: Nos a vestra subjectione & obedientia repelletis, *Nat Alex. & Petri de Marca judicium adfertur, & confirmatur.*

QUam absona sint & pessimi exempli, quam parum ad modestiam composita; quam aliis etiam illius aevi Galliarum Episcopis improbata; quam denique aliena sint ab avita Gallorum Episcoporum in Romanos Pontifices observantia, ea Viennensis Synodi verba, praeclare imprimis demonstrat Nat. Alex. Dissert. IV. in Hist. saec. XI. & XII. artic. XII. ubi de hac Synodo disserens; in duobus, inquit, peccarunt hujus Synodi Patres. Primum, quod Investituras haeresim esse judicarunt, & S. R. E. se in hoc auctoritatem sequi gloriati sunt. Secundo, in eo peccarunt, quod Romano Pontifici minas intentarunt, se ab ejus obedientia recessuros, nisi Synodi statuta confirmaret: quod pessimi sane exempli est.

Longe modestius sensit ac verius Ivo Carnotensis Episcopus, qui sententiam eorum, qui Investituras defendere volebant contra Ecclesiae decreta, schismaticam tantum, non haereticam censet: & summum Pontificem Paschalem II. familiaribus & caritatem spirantibus litteris admonendum esse, ut se judicet, ac Privilegium Imperatori perperam & contra Ecclesiae utilitates ac libertatem concessum revocet: quod si fecerit, gratiae Deo erunt agendae: sin minus, non ideo tamen esse judicandum &c. Quamquam vero erraverit in regimine, excusandum tamen, quod coactus privilegium Ecclesiae noxium concesserit, ac verenda Patris velanda, compatiendumque Capiti infirmitate laboranti. Ita scribit ad Henricum Angeliacensem Abbatem ep. CCXXXIII.

Majorum religionem & observantiam erga Sedem Apostolicam imitabantur Ivo Carnotensis Episcopus, & Provinciae Senonensis Praesules, cum sibi integrum & fas non esse existimabant, de Summi Pontificis actis ac persona judicium ferre. Episcopi namque Gallicani in Concilio Romano in caussa Leonis III. una cum Italis sedentes, praesente etiam Carolo M. Francorum Rege, in has voces eruperunt: *Nos Sedem Apostolicam, quae est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam & ab ipsa nos omnes & ab ejus Vicario judicamur; ipsa autem a nemine judicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse Summus Pontifex censuerit, canonice obediemus.* Ita refert Anastasius Bibliothecarius in Vita Leonis III. Archipraesul autem Viennensis Guido & alii Praesules in Synodo Viennensi congregati, antiquum Viennensium Archiepiscopum Avitum non imitabantur, nec ejus doctrinam sequebantur, ad Senatores Urbis Romae ex Ecclesiae Gallicanae sententia scribentis de caussa Symmachi Pontificis maximi: *Non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur ..... Reddet rationem qui ovili Dominico praeest, qui commissam sibi agnorum curam*

curam administratione dispenset. Ceterum NON EST GREGIS PASTOREM PROPRIUM TERRERE SED JUDICIS.

Locum hîc etiam habere debent quae in eamdem sententiam eleganter disserit Illustrissimus Petrus de Marca lib. IV. de Concord. Sacerdot. & Imperial. cap. VIII. num. VII. & VIII. Privilegium Investiturarum Paschali II. ab Henrico Imperatore extortum Guido Archiepiscopus Viennensis & Apostolicae Sedis Legatus in Concilio Viennensi e Germanicis Episcopis composito damnavit anno MCXII. ejusque Concilii confirmationem a Paschali petivit, insolenti contestatione adjecta: *Si vero &c. nos a vestra subjectione & obedientia repelletis*. Modestius se in hac quaestione gesserunt Gallicani Episcopi, ac praecipue Ivo Canonici Juris callentissimus; qui Paschalem monendum putabat, *ut factum suum retractaret*. Sin abnueret, temperandum ab illo judicando &c. Communio autem Pontificis & ejus obedientia non est repellenda, ut male placuit Concilio Viennensi habito a Guidone, eo praetextu quod opinionem de Investituris retinendis *haereticam* judicaret, e contra vero Ivo schismaticam tantum censeret. Eamdem sententiam Ivo alibi sequitur, cum evocatus in Concilium a Johanne Lugdunensi Archiepiscopo ad Paschalis factum illud discutiendum, loco indicto se sistere noluit, nec convenire *ad illa Concilia, in quibus non possumus*, inquit (a), *eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec nostro nec ullius hominis probantur subjacere judicio*. Quibus verbis egregie confirmat quod supra ostendi, constantem fuisse Gallicanae Ecclesiae sententiam, Papae personam nullius judicio subjici, nisi a fide manifestissime aberraret: quod in hac ipsa epistola adhuc disertius sequentibus verbis Ivo profitetur. *Principales Ecclesiae claves nolumus sua potestate privare; quaecumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat*. Quod quidem in Romano Pontifice tanquam privata persona absolute accidere posse non abnuimus, aliquando accidisse negamus.

Tanto autem magis improbanda esse videtur liberior illa (ne quid gravius dicam) Viennensis Synodi contestatio, quod Guidoni aliisque Patribus talia ad Pontificem scribendi ne quidem plausibilis ratio suppetebat. Non enim Paschalis II. erratum suum pertinaciter defendebat aut excusabat, sed palam agnoscebat atque deflebat, & paratus erat ad illud corrigendum, imo jam fere correxerat: extabatque jam inter manus ipsius Archiepiscopi Viennensis insigne hoc Pontificiae pietatis monumentum, epistola nempe ad eum a Paschali conscripta, in qua libere profitetur, a se omnia abrogari atque irrita haberi, quae sibi barbarica violentia adversus Praedecessorum suorum & sacrorum Conciliorum sanctiones extorta fuerant: (b) *Scripta, quae in tentoriis &c. de electione seu de Investituris personarum facta sunt ....*

ego

(a) Epist. CCXXXVI.
(b) Epist. XXIV. ad Guidon. Viennen.

ego canonica censura cassa omnino & irrita judico, & sub damnatione perpetua permanere decerno, ut nullius unquam auctoritatis sint, & nullius bonae memoriae. Ea vero quae sacri Apostolorum Canones, & Antiochenum ac universa Concilia, & Praedecessores nostri, & praecipue felicis memoriae Domnus Gregorius & Urbanus de his prohibuerunt, damnaverunt, statuerunt & firmaverunt, ego prohibeo, damno, constituo, & confirmo, & me illorum sanctiones profiteor servaturum. Has litteras datas esse, antequam Guido Viennensem Synodum celebraret, colligitur ex Fleurio Hist. Eccles. lib. LXVI. n. XII. & XIII. qui illarum antea mentionem facit, quam laudatae Synodi acta describat.

Deinde, nonmodo Viennensis Concilii Patres legem Romano Pontifici praescribere adgressi sunt; quod profecto juris illorum non erat; verum & ejusmodi legem, quam neque subjectis constituere, jus ipsis ullum erat; ut nimirum Investiturarum usurpatio tanquam haeresis damnaretur. De hac enim re, ut jam superius animadvertimus, acriter inter Catholicos disceptabatur; neque fas erat aliquot Episcopis controversiam illam tanquam supremo judicio velle dirimere, & non modo suarum Provinciarum Episcopos, verum & ipsum Apostolicae Sedis Praesulem, & omnium Episcoporum Caput, Principem & Pastorem intentatis minis adigere velle ad suam ipsorum sententiam amplectendam & confirmandam. Id quidem optimus Pontifex paci consulens ultro ac sine mora praestitit, datis ad Guidonem litteris, quas e manuscripto Codice primus eruit Sirmondus: quibus, ut loco superius laudato Nat. Alex. observat, etsi Concilii Viennensis decreta absque exceptione confirmat; illud tamen, quo investituras sacrarum dignitatum de manu Laica judicatur haeresis, haud censendus est approbasse, nisi forte haereseos nomen minus proprie & latiori quadam significatione a Patribus acceptum intellexit: Siquidem in Concilio Lateranensi, quod anno MCXVI. celebravit, ferre non potuit Brunonem Signinum Episcopum in priori sententia pertinacem, & palam propugnantem, Privilegium de retinendis Investituris Henrico Imperatori concessum, haeresim continere. Imo nec ipse Guido Viennensis, jam Callixtus II. Romanus Pontifex eam usurpationem velut haeresim aliquando damnasse perhibetur.

Itaque de Guidone Viennensi Apostolicae Sedis Legato, aliisque sanctissimis Viris, Hugone Gratianopolitano & Godefredo Ambianensi Episcopo, qui huic Vienensis Synodo adfuerunt, id dicendum est quod jam superius de Sanctis Cypriano, Polycrate, & Columbano diximus, nempe puriorem caritatis flammam, quae in eorum pectoribus ardebat, has imprudentis zeli nebulas obruisse.

CAPUT XL.

„ Alexandri III. in exponenda Scri-
„ ptura manifestus error, omnium
„ sententia reprobatus, Cap. *Eum*
„ *esse de Testamentis*. Item Inno-
„ centii III. falsa Scripturae ex-
„ positio, Cap. *Per venerabilem*,
„ qui filii sint legitimi.

QUum objectam in hoc Capite difficultatem luculenter eruditeque diluat Cl. Canus lib. VI. de Locis cap. VIII. ad IV. argument., ad eum Lectorem remitto, ubi & in antecessum a praestantissimo Theologo exsufflatam comperiet hanc Meldensis Episcopi cavillationem: „Quod „ autem, *inquit*, idem Scriptor (*Canus*) Pontificii decreti conclusio„ nem a Sacrae Scripturae allega„ tione distinguit; ac valere con„ clusionem ex falsa etiam proba„ tione contendit; facile assentimur „ ubi aliae probationes adhibentur, „ vel adhiberi possunt. Ceterum cum „ Alexander III. nihil hic aliud alle„ get, aut allegare possit, praeter „ unum Scripturae locum male ex „ confesso intellectum; apparet eum „ falso fundamento nixum ad id de„ cretum sub excommunicationis poe„ na edendum prosilisse. Id, inquam, Lector citato loco ab elegantissimo & acutissimo Scriptore occupatum inveniet. Non modo enim demonstrat, Alexandri legem, quae veluti conclusio est, honestam esse, sanctam & legitimam; verum etiam quod ne in caussis seu probationibus erravit quidem. Nam licet, inquit, non sint necessariae, non sunt tamen prorsus ineptae. Consuetudo, inquit Alexander, quae plures quam tres duosve testes postulat, primum aliena est a divina lege, veteris scilicet Instrumenti, quae duos solum tresve ut plurimum testes exigebat: aliena etiam a Patrum institutis, hoc est a more jureque Canonico, ubi in rebus praesertim temporariis duo testes sufficiunt, aliena demum a consuetudine Ecclesiae generali, quae in ejusmodi caussis duobus vel tribus testibus est contenta. Aliena autem, non quasi contraria, sed tanquam nova & axtranea: ob idque parum in Ecclesiae judicio probanda.

Haec tria adeo dilucide Alexander & accurate distinguit in eo textu, quem Illustrissimus Adversarius obiicit lateque describit, ut certe dormitasse aut aliud cogitasse videatur, quum ait: Alexandrum nihil hic aliud allegare praeter unum Scripturae locum male ex confesso intellectum. En Pontificis verba: *Quia vero a Divina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & a generali Ecclesiae consuetudine id esse noscitur .... praescriptam consuetudinem improbamus &c.* An unus hic allegatur Scripturae locus male ex confesso intellectus?

CAPUT XLI.

„ Ejusdem Alexandri III. Decretum quo anteriorum Pontificum de Matrimonio per verba de praesenti statuta solvuntur. Innocentii III. de revelanda confessione Rescriptum ad Cistercienses. Idem Innocentius III. Caelestini III. erroneam decretalem solvit.

Alexander Tertius, inquit Meldensis Episcopus, postquam judicavit, conjugium ratum non dissolvi contracto alio connubio, atque etiam copula consecuta, addit: *Quamvis aliter a quibusdam Praedecessoribus nostris fuerit judicatum*. Consulti ergo judicarunt, contra id quod est postea ab Alexandro III. totaque Ecclesia judicatum.

Illa Praedecessorum Alexandri judicia Hamelius ita interpretatur, ut nequaquam iis statutum, sit, prius illud matrimonium ipso jure dissolvi; sed eam legitimam esse justamque caussam, ut Romani Pontificis auctoritate dissolvatur. Sed major, inquit laudatus Auctor (a), inter Theologos & Juris Canonici peritos oritur controversia: An Summus Pontifex possit, cum legitima subest caussa, matrimonium ratum dissolvere. Ita esse, censent S. Antoninus ..... Navarrus &c. Alii contra reclamant, id nullo jure Pontificibus concessum &c. qui inter alias hac etiam ratione nituntur, quod justa admodum & gravis caussa esse debet, ut sua dispensationi ratio constet: Nam subesse justam caussam quidam volunt, si alter conjugum aliud inierit connubium, idque consummaverit. Verum eam non esse caussam legitimam decernunt Summi Pontifices Alex. III. cap. *Licet*, *de sponsa duorum*, Greg. IV. cap. *Si*, *inter*, *de Sponsalibus*. Itaque juxta hujusce Theologi interpretationem, hac de re a quibusdam suis decessoribus Alexand. III. dissensit, quod non perinde atque illi eam legitimam justamque esse caussam existimavit, ut matrimonium ratum Apostolica auctoritate dissolveretur. Ac subjungit: Quidam Pontifices id sibi licere judicarunt aliis aliter visum est.

Gravibus deinde ac magnificis verbis objicitur Responsum Innocentii III. ad quamdam Cisterciensium Monachorum consultationem super communione sacrilega cujusdam Monachi, quam decrevit non subesse sigillo sacramentali: ut refert Caesarius Cist. Mon. lib. III. Histor. Memorab. cap. XXXII.

Resp. Nat. Alex. lib. II. de Sacram. Poenit. cap. IV. artic. VIII. Reg. LIX. quod si peccator specie confessionis ad Sacerdotis pedes provolvatur, non tamen ut se de peccatis accuset, ut conscientiae suae pondus exponat, sed solo animo irridendi, decipiendi, corrumpendi Confessarium, sive ipsum in consortium sui peccati, v. gr. haeresis, schismatis, conjurationis, libidinis pertrahendi, Confessio illa non est Sacramentalis, nec sigilli religionem indu-

(a) De Matrim. Dissert. III. cap. II.

inducit. Quo pertinet casus a Dominico Soto relatus in IV. sent. Dissert. XVIII. Quaest. IV. Artic. V. ..... Huc etiam pertinet casus singularis relatus a Caesario Cisterciensis Ordinis Monacho &c. Eoque ipsis Caesarii verbis descripto, subjungit: Facinus suum Abbati procul-dubio detexerat sacrilegus ille Monachus, non animo se accusandi coram Deo, & subjiciendi se clavibus Ecclesiae, sed animo irridendi, & pertrahendi Abbatem in criminis sui patrocinium, aut illum impediendi a puniendo scelere, quod aliunde forte noverat, aut illud inquirendi, quod vehementibus indiciis suspicabatur. Nam si animo se accusandi, & peccata sua clavibus Ecclesiae subjiciendi suum illud sacrilegium confessus fuisset, Innocentius III. sigillo celandam qualemcumque illam confessionem respondisset. De illius enim mente dubitari non sinit Canon *Omnis utriusque sexus*, eo auctore in Concilio Lateranensi IV. conditus. Quamobrem vel sic intelligendum est factum illud a Caesario memoriae commendatum litterisque proditum, vel illius narrationi fides deroganda.

Concinit Nat. Alex. Turnelius dicens, quod eo magis suspecta videtur esse haec historia, quod sub eodem Innocentio III. celebratum sit Lateranense Concilium, in quo plane oppositum dogma fuit definitum. Quamobrem dicendum, vel aliquas ab Historico suppressas esse circumstantias, quibus constabat Monachum illum sacramentaliter confessum non fuisse; vel saltem privatam hanc fuisse Innocentii mentem atque sententiam, quam ab Abbatem illum, non ad totam direxit Ecclesiam &c.

Tandem objicitur in hoc Capite ab Illustrissimo Adversario Caelestini III. sententia, qua matrimonii vinculum inter Christianos superveniente alterius haeresi solverat: quem sui Praedecessoris errorem Innocentius III. modeste reprobat his verbis: *Licet quidam Praedecessor noster sensisse aliter videatur*.

Resp. laudatus Turnelius, quod si ita docuit, ut refertur, Caelestinus, male docuit: at definivitne, ut ajunt, ex Cathedra sic ab omnibus credendum? Nullibi gentium. Ad quid igitur illud exemplum? nisi ut videas, quod fatemur, posse Pontifices cum privatam suam mentem ac sententiam exponunt, a vero recedere. Vel in ipso de matrimonio argumento, quam varias & interdum oppositas responsiones dederint Pontifices Romani, nemo ignorat: an eas omnes, quae in jure Canonico referuntur, tanquam ex Cathedra datas, observatis conditionibus & sollennitatibus requisitis, affirmabis? Non ego certe.

His adfinia sunt quae Canus antea observaverat: Non enim Caelestinus, inquit laudatus Auctor [a], quidquam definivit. Verba quippe Innocentii III. sic habent: *Licet quidam Praedecessores nostri sensisse aliter videantur*. Sensisse, ait, non definivisse. Sed ne Innocentius quidem quicquam definit, sed explicat sen-

(a) Lib. VI. de locis cap. VIII. ad 2. argum.

ſententiam & opinionem ſuam, inquiens: *Non credimus, quod in hoc caſuis, qui relinquitur, poſſit ad ſecundas nuptias tranſire*. Quod profecto verum eſt, quanquam per illam Innocentii decretalem non firmiter definitum. Nec enim ſtatim ſi aliquid Juris volumine continetur, fidei dogma eſſe credendum eſt.

CAPUT XLII.

,, Franciſcana controverſia: primo ,, loco ponitur Decretalis, *Exiit*, ,, Nicolai III. Probatur hanc veram eſſe definitionem doctrinalem ac dogmaticam.

MErito id ſibi Illuſtriſſimus Auctor primo loco probandum adſumit: eſt enim omnium de hac controverſia in ſequentibus capitibus diſſerendorum veluti fundamentum. Ex quo proinde recte vel ſecus conſtituto totius diſputationis exitus pendet. Quare & nos ſtatim ad illud labefactandum aggredimur.

ARICULUS UNICUS.

Decretalis Exiit *non ea mente condita eſt, ut ab univerſa Eccleſia tanquam fidei Catholicae regula ſuſciperetur*.

COnſtat id imprimis ex materia ſive ſubjecto, in quo haec Nicolai III. Conſtitutio verſatur, nimirum in explanandis aliquibus difficultatibus, quae circa B. Franciſci regulam occurrebant. Quis porro adeo deſipiat, ut adfirmare audeat, tot laudatum Pontificem articulos fidei condere voluiſſe quot Franciſcanae regulae articulos explanavit? Statuit enim inter cetera, ut ad Capitulum generale, praeter Provinciae Moderatorum, alius quoque Frater mittatur, qui electioni Miniſtri generalis interſit: ne Fratres Minores Monialium ipſis ſubjectarum Monaſteria ingrediantur &c. An haec quoque hiſque ſimilia pro totidem fidei Catholicae articulis habenda erunt: Quoniam deinceps de his omnibus generatim decernitur: *Ne contra praemiſſa per nos*, inquit, *ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata, ſuppleta, approbata, & etiam confirmata dogmatizent ſcribant, determinent, praedicent, ſeu prave loquantur publice vel occulte*? An ergo omnes & ſingulae ordinationes, conceſſiones, decreta, diſpoſitiones ad S. Franciſci regulam pertinentes, & in illa Conſtitutione contentae, ad fidei quoque regulam pertinebunt, quoniam excommunicationis ſententia in eos intorquetur, qui *contra praedicta, vel aliqua ſeu aliquid praedictorum* aut determinare in ſcholis, aut praedicare auſi fuerint? Ita certe dicendum erit, ſi quemadmodum Boſſuetius ait, hac formula *nihil eſt clarius ad definitionem dogmaticam exprimendam*.

Id profecto ab ipſius Nicolai mente perquam alienum fuiſſe, aperte ipſe luculenterque demonſtravit: ait enim: *Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen praedictae Sedis Apoſtolicae deducatur: ut ex auctoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio; cui ſoli conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & edi-*

& edita declarare. Id ex hisce Nicolai verbis consequens esse animadvertit Jacobus Novellus Cardinalis, qui Johanni XXII. Benedicti XII. adscito nomine successit, in brevi Commentario, quem de hac quaestione exaravit, ac secundae Parti Directorii Inquisitorum Eymericus noster inseruit: *Nicolaus*, inquit laudatus Cardinalis, *faciens Decretalem* Exiit, *non videtur, quod putaret se contra veritatem fidei ac morum determinare certitudinaliter, quod scientia requirit: quia dixit, quod si aliquod dubium in sua declaratione insurgeret, non per quoscumque, sed per Romanum Pontificem declarari haberet. Multum autem dubitabile erat id quod dixerat de paupertate Christi & Apostolorum, & an usus in omnibus rebus possit separari a dominio & proprietate. Ideo potuit & debuit Dominus Johannes illud dubium declarare*.

Verum his quae hactenus dicta sunt maximum pondus adjicit ac momentum Johannis XXII. auctoritas, qui in sua Decretali, *Quia quorumdam*, hisce aliisque ejusmodi rationibus eamdem hanc nostram thesim luculentissime confirmavit. Nam & ipsi observatum est, quod materia seu subjectum Decretalis, *Exiit*, ad fidem minime pertinebat: quod laudatam decretalem Nicolaus suorum Successorum retractationi subjecerat: denique quod haereseos notam eam Constitutionem impugnantibus non inusserat. Quod ad primum pertinet: *Dicant*, inquit laudatus Pontifex, *nobis, ubi legant assertiones hujusmodi; quod ad fidem vel mores pertineat, Christum & Apostolos non habuisse in iis quae habuerunt, nisi simplicem usum facti*. Hoc est, dicant, qua Romani Pontificis constitutione, aut Concilii generalis Canone statutum sit, id esse certa divinaque fide tenendum? Et infra: *De Fratribus autem Minoribus constat, quod de ipsorum paupertate & simplici usu facti, seu de dominio eorum, quae ipsis offeruntur; quod Summus Pontifex illud sibi & Romanae Ecclesiae reservaverit, vel potuerit reservare, nec quod illud reservatum successori abjicere liceat, si hoc expedire viderit; seu quod Procuratores constitutos auctoritate Summi Pontificis pro negotiis Ordinis praedicti, Successor revocare non valeat; in praedictis Symbolis, Evangelio, neque Actibus Apostolorum & Epistolis mentio aliqua non habetur*. Quae tamen omnia Nicolaus III. (si Meldensis Episcopi observationes solidae sunt) velut totidem fidei articulos venditavit: quae proinde nullius auctoritate Pontificis revocari potuissent. Nam fides immobilis & irreformabilis est.

Et id quidem aliqui ex Ordine Minorum Pseudo-Theologi contendebant. Adeo omnium mentibus insederat ea sententia, Romanorum Pontificum de fide Constitutiones ullius auctoritate retractari non posse. Verum ipsiusmet Nicolai in ea ipsa Decretali testimonio illos Johannes confutare pergit. Ex eo enim quod praemissa regularis disciplinae capita fidei materia non sunt, nec proinde dogmaticae definitionis objectum esse potuerant, jure ac merito colligit: *Unde non possunt ex predictis concludere nisi falso, quin contra ordina-*

ta per Summos Pontifices, circa talia valeat successor aliud ordinare: quod Nicolaus praefatus expresse in sua declaratione inseruit, ut superius plenius continetur. Haec enim antea praemiserat Nicolai verba, quibus nōn modo Pseudo Minorum & Fraticellorum, verum & Meldensis Episcopi de illius decretali sententia penitus labefactatur: *Si quid*, ajebat Nicolaus Johanni XXII. laudatus, *in praedictis ambiguitatis emerserit, hoc ad culmen Sedis Apostolicae deducatur: ut ex auctoritate Apostolica sua in hoc manifestetur intentio; cui solum concessum est in his statuta condere, & condita declarare. Cujus tamen*, subjungit Johannes, *contrarium asserunt hujusmodi assertores*; hoc est veteres illi Theologastri, quibus improvide in hoc capite Meldensis Episcopus suffragatur, quum ait, non potuisse Nicolaum clarioribus verbis uti ad definitionem dogmaticam exprimendam: quae proinde ex Nicolai mente prorsus irretractabilis esse debuisset. Contra vero Johannes ex hisce Nicolai verbis conficit, decretalem, *Exiit*, a se perinde retractari ac reformari potuisse, quemadmodum aliae vetustiorum Pontificum ad meram disciplinam spectantes Constitutiones, pro variis personarum, Locorum ac temporum circumstantiis, fuerant ab eorum Successoribus revocatae.

Denique iidem Refractarii ut Nicolai III. decretalem vim dogmaticae & irretractabilis Constitutionis habere ostenderent, falso jactabant, statuisse laudatum Pontificem, quod *praesumens contrarium*, non modo *tamquam contumax, & Ecclesiae Romanae rebellis*, verum etiam *ut haereticus haberetur*. At contra Johannes adlatis ipsius Nicolai verbis demonstrat, *assertionem hujusmodi falsum esse. Non enim*, inquit, *continetur in sententia supradicta, quod contra faciens ut haereticus*; sed solum *tamquam contumax, & Ecclesiae Romanae rebellis ab omnibus fidelibus haberetur*. Quod proinde ad aequum rectumque judicium de variis Romanorum Pontificum Constitutionibus concipiendum magni momenti habitum esse, hinc luculentissime apparet. Id quod etiam exemplo suo in hac ipsa Constitutione, *Quia quorumdam*, Johannes confirmavit. Nam Constitutionem, *Cum inter nonnullos*, quae vere dogmatica erat, qua finem controversiae de Christi & Apostolorum paupertate dederat, & quam ut fidei regulam suscipi ab omnibus ac propugnari volebat; hanc, inquam, Constitutionem temere invadens, de fratrum suorum consilio decrevit, *ut tanquam haereticus ab omnibus evidenter habe*retur. At quod pertinet ad alteram Decretalem, *Ad conditorem Canonum*, ut ostenderet quod eam nequaquam ut Constitutionem dogmaticam seu fidei regulam proposuerat, haec tantum in refractarios ac perduelles constituit: *Qui Constitutionem nostram*, Ad conditorem canonum, *impugnare nisi sunt, sicut fertur; districtius de eorumdem Fratrum consilio inhibemus, ne quisquam contra definita, ordinata seu facta per ipsam, verbo vel scripto scienter approbet aliquid vel defendat. Si quis vero contra praesumserit, tamquam contumax & rebellis Romanae Ecclesiae*

ab omnibus habeatur. Cur non & hîc adjungit, *& tanquam haereticus habeatur*? Nisi quia noverat, hanc unam esse ex notis, quibus juxta communem Theologorum doctrinam insigniri solent Apostolicae Constitutiones, quae ex Cathedra eduntur, & tamquam fidei regulae proponuntur.

Haec certe apta & idonea sunt ad sequentia Meldensis Episcopi verba refellenda, quibus infra capite XLVIII. Bellarminum ac Raynaldum perstringit: ,, Quod autem Constitutionem, ,, *Exiit*, ut decretum de fide haberi ,, nolunt; quia id Papa *non expresserit*; neque sua pronuntiata *de necessitate credenda proposuerit*; ,, tametsi contra ea *determinare ac praedicare*, sub excommunicationis poena vetuerit: Nos quanti haec ,, valeant, Lectori dijudicandum re- ,, linquimus. Jam vero quanti haec valeant, aut valere debeant, ex his quae hactenus disputavimus, facile jam, ut nobis videtur, Lector intelligere ac dijudicare potest. Quae etiam magis illustrabuntur, quum infra ad Caput XLVI. de Anonymi Doctoris sententia; & ad Caput XLVII. de Jacobi Sanctae Priscae systemate differetur.

Est autem haec sententia, quod nimirum Nicolai decretalis, *Exiit*, pro fidei regula non sit habenda, etiam inter recentiores Theologos pervulgata; quos proinde singillatim recensere supervacaneum est: quare hîc tantum Nat. Alex. verba subjungam (a): Nicolaus III. decretoriam ,, sententiam in controversia fidei ,, ferre in animo non habuit, cum ,, laudatam condidit Decretalem, ,, *Exiit qui seminat*; sed mens ejus ,, una consiliumque fuit, FF. Minores in observantia Regulae, quam ,, ipsis tradidit Sanctus Franciscus, ,, confirmare; in qua quia paupertas arctissima praecipuus character ,, sacri Ordinis est, ipsam commendavit occasionae data his verbis: ,, *Dicimus quod abdicatio proprietatis &c.* sed commoda interpretatione temperari hanc propositionem oportet &c.

CAPUT XLIII.

,, Decretalem *Exiit* confirmarunt ,, Clemens V. Clementina *Exivi*, ,, & Johannes XXII. Extravagante *Quorumdam*: Mox idem Johannes ejusdem decretalis auctoritatem infringere aggreditur.

Quamquam Nicolai III. Decretali ex Clementis V. & Johannis XXII. confirmatione aliquid auctoritatis accesserit; absonum tamen esset inde conficere, quod in fidei regulam evaserit; quum neque duorum Pontificum, a quibus confirmata est, Apostolicae Constitutiones pro fidei Regulis haberi ullatenus debeant.

Ac quemadmodum Clementis V. & Johannis XXII. confirmatione, Decretalis *Exiit* in fidei regulam non evasit; ita neque alia ejusdem Johannis Decretali, qua *glossandi* interdictum sub excommunicationis poena a Nicolao positum, ad beneplacitum Sedis Apostolicae suspenditur, laxata facultas est ad eam aperto marte impugnan-

(a) Differt. XI. in Hist. Eccles. saec. XIV. & XV. artic. I.

gnandam: neque id sibi sumserunt illius aevi Scriptores, qui vel a Pontifice jussi, aut sua ipsi sponte in eam aliquid commentati sunt. Falsum proinde omnino est quod Bossuetius his verbis docet: „ Quo tempore „ decretalis *Exiit* coepit vacillare „ auctoritas, multaque adversus eam „ scripta prodierunt, quae Raynal- „ dus edidit (*a*). Imprimis impu- „ gnabant illud, quod erat in ea De- „ cretali dictum: Christum habuisse „ loculos infirmorum suscepta per- „ sona, quemadmodum fugam „ praecepit: quae omnia gravissime „ refutabant, & utrumque suo mo- „ do ad perfectionem pertinere con- „ tendebant; cum perfectionis sit „ provide re suis, & egenis, & „ per fugam dare locum irae, nec „ temere aggredi pericula. Consulatur Raynaldus, consulantur scripta, quae Raynaldus edidit, consulatur etiam Nat. Alex. qui suos ex Raynaldi fontibus hortos irrigavit; ac perspicue patebit, falsum omnino esse, ea scripta adversus Nicolai decretalem edita fuisse, aut illorum Scriptorum Auctores ea dogmata refutasse, quo sensu a Nicolao tradita judicabant: plures enim illarum propositionum sensus distinguebant; & quem sanae Catholicaeque doctrinae consonum judicabant, hunc Pontifici tribuebant; quem vero absonum & sacris litteris repugnantem, a Pontificis mente alienum fuisse adfirmabant: in eoque omnis eorum industria laboravit, ut adfictos Nicolai Constitutioni a Fraticellis errores, ab ea amolirentur: Quod certe non erat laudatae Decretalis auctoritatem impetere, sed eam potius adserere ac vindicare. Videsis laudatos Odoricum Raynaldum & Nat. Alexand.

CAPUT LXIV.

„ Johannis XXII. Extravagans, *Ad* „ *Conditorem Canonum*: ea De- „ cretalis *Exiit* dogma rejicit.

De tota hac controversia duo illi mox laudati Scriptores tam luculenter & copiose disseruerunt, & adeo ab illis omnia ferme occupata sunt, ut ne actum agere, videar, Lectores ad eos remittere, satius existimem: praesertim quum nullius momenti sint quae tanto apparatu, & tam dearticulate in tot hisce Capitibus adversus Sedis Apostolicae auctoritatem & inerrantiam Illustrissimus Adversarius intorquet. Quam enim ex. gr. frigidum & elumbe est quod sub finem hujusce Capitis animadvertit: quod nempe „ id vel maxi- „ me (*Johannes XXII.*) inculcabant: „ *Nemine sapientem aestimere de-* „ *bere*, quod Nicolaus III. absur- „ da, injusta, nec possibilia inten- „ derit. Non sane addebat, om- „ nino impossibile esse, ut talia de- „ finiret; quique id fieri posse sen- „ tirent, schismatis aut erroris reos: „ qualia nunc venditant.

S. Augustinus lib. III. adversus Donatistas cap. IV. de haereticorum Baptismo, & S. Cypriani opinione disserens, haec litteris mandavit: *Non quia fieri non potuit*, „ *ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus*

(*a*) Ad an. MCCCXXII. num. LV. & seqq.

unus paucive sentirent ; sed quia non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros , & magno ingenio & uberi doctrina praeditos , nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus , ferenda sententia est , An ergo quia S. Augustinus eos , qui pro uno vel paucis in re ad religionem pertinente adversus innumerabiles sententiam ferrent , erroris & schismatis reos fore , hoc loco non dixit : neque id esse impossibile pronunciavit , ut melius pluribus & innumeris in re unde salus hominum pendebat , unus paucive sentirent ; inde quispiam colligere sibi jure videbitur , nulla nota eos esse afficiendos , qui pro uno vel paucis in rebus ad fidem Catholicam pertinentibus , adversus innumerabiles doctrina & auctoritate praestantes , quibus decretum aliquod Romani Pontificis praeluceret , sententiam ferrent ? Ut non omnia ubique inculcanda sunt , ita non omnia ex singulis sunt locis repetenda . Sanctus Augustinus , uti superius animadvertimus , rem hanc in his libris humanis ut plurimum rationibus ac momentis definit , juxta quae optime & sapientissime ea regula de plurimorum prae uno vel paucis auctoritate constituta est ; de qua tamen aliter loquendum esset , si ad superiores ac divinas rationes exigeretur . Quidni ergo & Johannis XXII. verba in eamdem sententiam interpretemur ? ut nimirum sensus verborum ejus sit , quod vel humano more rem aestimando, nemo sapiens judicare debet, Nicolaum III. absurda , injusta , nec possibilia praecepisse .

CAPUT XLV.

,, Johannis XXII. Extravagans , *Cum*
,, *inter nonnullos* : Ea Decretalis ,
,, *Exiit* , doctrinam de Christi ,
,, & Apostolorum paupertate hae-
,, reseos damnat : a Romanis
,, Pontificibus erronea definiri
,, posse demonstrat : Franciscani
,, appellantes in materia fidei a
,, Papa ad Concilium , ejus rei
,, gratia nullam censuram ferunt .

ARTICULUS UNICUS.

Quamquam decretalis , Exiit , *dogmatica Constitutio non est ; ea tamen in iis quae ad fidem & mores pertinent , cum Johannis Vigesimi secundi Constitutionibus facile conciliatur .*

NUllam esse Constitutionum Johannis XXII. & Nicolai III. dissensionem , agnoscit , & candide profitetur laudata saepius Dissertatione Natalis Alex. Duas enim , inquit , quaestiones attingunt ; Prima est de paupertate Christi & Apostolorum ; altera de jure ac dominio FF. Minorum in res ipsis ad usum concessas . Prima fidem spectat , altera Philosophiam Moralem & Jurisprudentiam . Quoad primam , Johannes XXII. a Nicolao non dissentit : Siquidem Nicolaus non negat , quin Christus aliquando rerum aliquarum dominium habuerit , earum maxime quibus utebatur , vel quas ad suos & suorum usus accipiebat , & aliquanto tempore servabat : sed asserit , Christum abdicationem absolutissimam domi-

dominii rerum temporalium tam in communi, quam in ſpeciali, verbo & exemplo docuiſſe. Quod ſane veriſſimum eſt: hanc enim verbo docuit, cum ait Apoſtolis: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum &c.* (Matth. X.) Hanc exemplo docuit, ſiquidem ait de ſeipſo loquens: *Filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet* (Matth. VIII.) Et ſequebantur eum mulieres, *quae miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. (Lucae VIII.) Tunc enim abſque loculis cum Apoſtolis Chriſtus Dominus vivebat ex piorum largitionibus. Sed & aliud vitae genus ſuo etiam commendavit exemplo, ſiquidem loculos cum Apoſtolis poſſidebat, ex quibus emi jubebat neceſſaria ad communem ſuſtentationem, & pauperibus etiam eleemoſynam erogari (Johan. XIII. Idque imminente etiam paſſione. Porro Chriſtum dominium juſque proprie dictum illas in pecunias non habuiſſe, abſque haereſi dici non poteſt; alioquin eas injuſte poſſediſſet, injuſte expendiſſet, atque ex bonis alienis & injuſte poſſeſſis eleemoſynas erogaſſet. Merito igitur Johannes XXII. pertinacem hujus erroris aſſertionem haereſos damnavit. Nec ab hac alienus fuerat doctrina Nicolaus III. qui Chriſtum *infirmorum perſonam ſuſcepiſſe in loculis* docuerat, *& infirmorum imperfectionibus condeſcendiſſe*. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi poſſeſſio pecuniarum aliarumve rerum in communi, & dominium juſque commune in eas perfectioni repugnet, vel imperfectum ſtatum arguat eorum, qui ſic poſſident; ſed unius imperfectionem & imbecillitatem naturae, quae multarum rerum ſubſidio cum ſuſtentanda ſit, ad haec infirmitatis noſtrae ſubſidia comparanda neceſſariae ſunt pecuniae, quibus etſi Chriſtus ut Angelorum dominus non egebat, huic tamen hominum infirmitati & imperfectioni ſe accommodare dignatus eſt, dum loculos habere, & humano more iis uti voluit. Ita Nicolai III. decretalem expoſuere Cardinales, Epiſcopi, & Doctores eruditiſſimi, a Johanne XXII. rogati ut ſententiam ea de quaeſtione dicerent, ſcilicet Epiſcopus Anicienſis, Epiſcopus Soranus, Petrus Columna Diaconus Cardinalis, Herveus Natalis in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor Theologus Ordinis FF. Praedicatorum, quorum Reſponſa ex Mss. Bibliothecae Vaticanae profert Odoricus Raynaldus ad annо MCCCXXII. Qui proinde omnes teſtes locupletiſſimi ſunt, decretalis, *Exiit*, doctrinam de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, non fuiſſe Johannis XXII. Extravagante, *Cum inter nonnullos*, haereſeos damnatam. Quas enim propoſitiones Johannes velut erroneas & haereticas ea Extravagante damnavit, nulli illius aevi Catholici & eruditi Scriptores, ſed ſoli Fraticelli, aliique ſchiſmatici & haeretici Nicolao III. tribuerunt, ut Romani Pontificis auctoritate ſuas tueri haereſes viderentur. Quod eis praeſidium ut eriperent, cum ipſe Johannes XXII. tum conſulti ab eo Cardinales, Epiſcopi, ac Theologi, communi ſtudio adlaborarunt; a quibus perſpicue demonſtratum eſt, quam longiſſime Nicolaum ab inſanis & per Johannem XXII. merito proſcriptis Fra-

Fraticellorum & quorumdam Pseudo Minoritarum erroribus absfuisse. Qui quamquam in Johannem XXII. insane furebant, ac temere debacchabantur; attamen Romani Pontificis *ex Cathedra* definientis auctoritatem immobilem esse & ineluctabilem praedicabant; neque alia ratione Johannem velut haereticum ac Pseudo-pontificem traducebant, quam quod sollennes suorum Praedecessorum de Christi & Apostolorum, nec non & FF. Minorum paupertate Constitutiones retractare ac resolvere aggressus fuerat: *Quae enim*, inquiebant, *per clavem scientiae in fide ac moribus a Summis Pontificibus semel definita sunt, eorum successoribus revocare non licet in dubium*. Quae profecto ipsi nunquam jactassent, nisi Romanorum Pontificum dogmaticas & sollennes Constitutiones velut irretractabiles habuissent.

Sed alia, inquis, fuisse videtur Johannis XXII. sententia: ut enim Bossuetius observat: „ Johannes XXII. „ edita Extravagante; *Quia quorundam*, Nicolaum excusat ut potest, negatque aut ab ipso, aut „ ab aliis Praedecessoribus definita, „ quae Fratres tanto studio de facti „ usu simplici asserebant: Ac si id „ vel maxime definissent, *Constitu-* „ *tiones illas fore invalidas, erroneas* „ *& infirmas*. Neque vero, quod „ nunc somniant, *id per impossibile* „ dixit, aut omnino negavit evenire „ posse, ut a Romano Pontifice talia definiantur; sed duntaxat haec „ scribit: *Quod usum talem non ju-* „ *stum Conditor Canonis Fratribus* „ *intellexit reservare, probabile non* „ *videtur*. Profecto non putat rem „ esse impossibilem, qui id causatur „ tantum probabile non videri.

Johannes XXII., quemadmodum superius ostendimus, pro certo habebat, Nicolai III. Decretalem, *Exiit*, dogmaticam non esse Constitutionem, sed ex earum numero, quibus regularis disciplina sancitur; subindeque nec invariabilem & immutabilem esse juxta celebre illud ac pervulgatum Tertulliani effatum (*a*): *Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis .... Cetera jam disciplinae & conversationis admittunt novitatem correctionis*. Ostenditque laudatus Pontifex, plures ejusmodi praecedentium Pontificum Constitutiones fuisse ab eorum successoribus revocatas. Quare & sibi licuisse, Nicolai III. Decretalem in quibusdam articulis nequaquam ad fidem pertinentibus revocare; quemadmodum & ipsi Nicolao III. licuerat (si recte ipsius verba Pseudo-Minores interpretabantur) suorum Praedecessorum de Minorum paupertate statuta infringere & abrogare. Huc ergo pertinet quod ait: *Constitutiones illas* (Nicolai), quibus sese refractarii & schismatici tuebantur, *si eorum*, inquit, *falsae assertiones verae exsisterent, fore invalidas, erroneas & infirmas*. Nam statim subjungit: *Si enim nobis non licuit* (quemadmodum praefracte ac pertinaciter iidem schismatici contendebant) *contra constitutionem Nicolai Quarti* (tertii) *predecesso-* ris

(*a*) Lib. de Virg. veland. cap. I.

ris nostri, in qua se fundant, praecipue aliquid statuere commune: nec sibi licuit contra statuta Gregorii, Innocentii, & Alexandri statuere, aut aliquid declarare: quod tamen ipsum fecisse (secundum eorum assertionem) noscitur evidenter. Hinc autem perspicue intelligitur, Bossuetium Johannis verba haud integra fide retulisse. Non enim absolute ait Johannes, si ea Nicolaus definisset quae quidam ex Minorum Ordine Pseudo-Theologi tuebantur, *Constitutiones illas fore invalidas &c.* Sed ait, invalidas &c. fore, si verum erat quod ii Refractarii praesidenter jactabant, non posse ejusmodi praecedentium Pontificum Decretales ab eorum successoribus revocari: hinc enim consequens erat, nec potuisse Nicolaum quaedam suorum Decessorum statuta sua illa Decretali abrogare, prout ea reapse abrogaverat, si recte illius mentem falsi illi Fratres intelligebant. Ex eorum ergo principiis Johannes argumentatur; quod sane argumenti genus non postulat, ut vera vel possibilia sint ea, ex quibus argumentum elicitur. Ita quum Apostolus I. ad Corinth. XV. scribebat: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est & fides vestra: invenimur autem & falsi testes Dei*: numquid haec possibilia esse credebat? Quod quidem ea mente non dicimus, perinde atque tueri velimus, Johannem rem illam esse absolute impossibilem praedicasse, ut nimirum in re ad fidem minime pertinente, cujusmodi erat illa de simplici facti usu, & in Constitutione, qua privatim Regularis disciplina, non autem fides aut dogmata ex Cathedra sanciebantur, Romanus Pontifex laberetur. Quare satis habuit si diceret: *Probabile non videtur &c. Non apparet ipsum dixisse &c.* Si enim rem esse absolute impossibilem praedicasset, Nicolai Decretalem pro dogmatica & sollenni Constitutione habere visus fuisset quod ipse, ut jam superius ostendimus, refugiebat. Igitur ex adlatis ab Episcopo Meldensi Johannis verbis haud jure colligitur, fieri posse, ut sollenni & dogmatica Constitutione, prava & haeretica vel erronea, & ab Evangelica vel naturali lege abhorrentia, a Rom. Pontificibus definiantur.

Addit Bossuetius: „ Et quidem „ Johannes ad Nicolaum excusandum „ haec scripsit: *Non apparet ipsum „ dixisse, sustentationem Christi & „ Apostolorum ejus in solo & nudo „ consistere usu facti*. Verum id nihil „ est, nam etiamsi verum esset, „ concessisse Nicolaum Christo & „ Apostolis non modo usum facti „ simplicem, sed etiam aliquando „ ipsum jus utendi: tamen asserebat interim, usum illum simplicem, non modo esse justum, sed „ etiam perfectum, & in Christo praeluxisse, atque ex ejus „ exemplo ad Fratres propagatum; „ cum Joannes usum illum, & in„ justum esse universe definiret, & „ in Christo admittere haereticum „ judicaret.

Johannes XXII. praeter duas illas de Christi & Apostolorum paupertate haereticas propositiones initio capitis a Bossuetio relatas, damnavit etiam docentes, usum rerum

non justum ad perfectionem pertinere; quod sane per se perspicuum est, & naturali lumine notum; quare & negavit, quod sane negandum erat, Nicolaum III. usum rerum non justum velut Evangelicae paupertatis fastigium Minoribus commendasse. Quum autem justus ac legitimus rerum usus cum aliquo jure utendi conjunctus sit; nam qui sine ullo prorsus jure re aliqua utitur, ea injuste & illegitime utitur; hinc rursum negavit Johannes ad perfectionem pertinere simplicem usum rerum ab omni prorsus utendi jure disjunctum; ac proinde etiam negavit, ejusmodi simplicem usum omni prorsus utendi jure destitutum Nicolaum veluti religiosae paupertatis apicem celebrasse. Et de his quidem nemo ambigere potest, quin utrique Pontifici optime invicem conveniret. Nemo enim nisi insanus adfirmet, Nicolaum usum non justum & ab omni prorsus utendi jure disjunctum Minoribus indulsisse. An vero quicumque rebus usu consumtibilibus jure ac legitime utitur, earum dominus dicendus sit; vel, an legitimus earum usus a vero dominio separetur; quaestio haec, de qua non una fuisse videtur utriusque Pontificis sententia, ad fidem minime pertinebat, sed ad moralem Philosophiam, neuterque Pontifex eam in alterutram partem sollenniter definivit.

CAPUT XLVI.

„ Ejus aevi Doctor a Raynaldo laudatus, harum Decretalium occasione, Papam non esse infallibilem docuit.

„ NUnc, *inquit Bossuetius*, referam ea quae de memoratis Decretalibus senserint ejus ac proximi aevi Scriptores. At trium dumtaxat testimonia profert; alterum in hoc capite anonymi Doctoris; alterum in sequenti capite Jacobi Cardinalis Sanctae Priscae, cui tertio loco adiungit Auctorem Glossae in Clementinam *Exivi*. Nos autem contra demonstramus, tum pervulgatam fuisse hoc aevo de Papae ex cathedra definientis inerrantia & ineluctabili auctoritate sententiam; tum etiam huic doctrinae contrarium non esse, sed ei apertissime patrocinari anonymum Doctorem a Raynaldo & a Bossuetio laudatum. De aliis autem duobus Auctoribus in sequenti capite nostrum judicium promemus.

ARTICULUS UNICUS.

In hac de Evangelica paupertate disceptatione utrinque pro certo habebatur, Romanorum Pontificum ex Cathedra decernentium dogmaticas & sollennes Constitutiones retractari ac revocari non posse: Neque huic sententiae adversabatur, sed ei palam & aperte favebat Anonymus ille apud Raynaldum Doctor, qui tum temporis in Curia Pontificis versabatur.

Michaël Caesenas aliique ex Ordine Minorum Schismatici ac Pseudo-Theologi ut ostenderent revocari non posse quam ipsi propugnabant de Evangelicae Paupertatis fastigio summaque perfectione sententiam, hoc imprimis veluti certissimum & inconcussum effatum adsumebant: *Illud quod pro sano dogmate Sedes Apostolica approbavit, semper teneri debet acceptum, nec ab eo licet alicui quomodolibet resilire.* Ita in litteris, quas e Comitiis Perusinis Michaël Caesenas aliique ad universos Christifideles direxerunt, quo Johanni XXII. fraenum injicerent, eumque a retractandis Nicolai III. Decretalibus deterrerent. Postquam vero Johannes Constitutiones *Ad conditorem Canonum*, &, *Cum inter nonnullos*, emisit, hoc eodem usi principio sunt ad earum frangendam auctoritatem, & invidiam laudato Pontifici concitandam, imo & haereseos labem inurendam: *Quod est*, inquiebant (*a*), *per Sedem Apostolicam in fide & moribus semel definitum & approbatum, fas non est deinceps contradicere: hoc statim probatur Dist.* XIX. Si Novitiorum, *ubi dicitur*: Quod vere Apostolica Sedes approbavit, hodie teneatur acceptum; *& sequenti Capite*: Sed omnes; *&* XIV. q. I. Haec est fides. *Probatur etiam ratione: Quia ...... promissio Christi, qua promisit* Luc. XXII. *quod fides Petri nunquam deficeret, fuisset falsa: tunc enim fides aliquo tempore defecisset. Praeterea Augustinus in Epistola ad Hieronymum arguit sic: si in Scriptura sacra semel aliquid falsum invenitur, tota ipsius Scripturae vacillabit auctoritas: Ergo a simili si Sedes Apostolica aliquid falsum determinasset, tota Ecclesia titubaret.* Quid quaeso luculentius dici potuit ad adstruendam Sedis Apostolicae in definiendis fidei dogmatibus inerrantiam, quam quod ipsius Ecclesiae Catholicae titubaret fides, & vacillaret ac periclitaretur auctoritas, si semel falsum ab Apostolica Sede, vel (quod in idem recidit) a Romanis Pontificibus *ex Cathedra* definiretur? Hinc autem audacissimi homines conficiebant, nefas Johanni fuisse adsertam ab eis de Christi & Apostolorum paupertate doctrinam reprobare, quod eam nimirum Sedes Apostolica comprobasset: *Sed per Sedem Apostolicam*, adjungebant, *semel fuit diffinitum & approbatum, quod Christus & Apostoli nihil habuerunt, quantum ad dominium, in proprio vel in communi: Ergo oppositum asserere nefas est.* Hinc etiam Ludovicus Bavarus, qui ho-

(*a*) Apud Raynald. an. MCCCXXIV. num. 31.

horum consiliis utebatur, in sententia depositionis, quam adversus Johannem ausu sacrilego tulit, inter alias haereses, quarum ipsum insimulat, hanc quoque illi per summam calumniam affingit (a): *Ipse in dicto statuto*, Quia quorumdam, *etiam dogmatizat*, *quod Summus Pontifex in iis*, *quae ad fidem & mores pertinent*, *potest suorum Praedecessorum definitiones & dicta revocare*, *& ejus contrarium statuere quod decernitur in eisdem*. Patet ergo, quod ii quoque, qui Johannis XXII. Constitutionibus pertinacissime refragabantur; attamen propugnabant errori, ac retractationi obnoxia non esse Romanorum Pontificum de fide moribusque decreta. Qua in re aperte secum ipsi confligtabantur: hinc enim Nicolai Tertii Decretalem, *Exiit*, pro irretractabili & irreformabili fidei regula haberi volebant; hinc autem Johannis XXII. Constitutiones saltem non minori conditas sollennitate aut munitas auctoritate, quoniam ad illorum palatum minime sapiebant, haereseos labe notabant. Quapropter sacer Minoritarum Ordo in edicto, quod ex Comitiis Perpinianensibus in Michaëlem Caesenatem, Guillelmum Ochamum, Henricum Chalemium & alios emisit, hunc inter alios quos vocant haereticales errores recensent, quod haeresi sordescere possint Romanorum Pontificum sollennes de fide Constitutiones: *Ex quibus*, inquiunt (b), Michaëlis aliorumque diversis schedulis & epistolis, *evidentius colliguntur errores plurimi*, *qui nostro & dictorum Doctorum*, (qui in ea monumenta examinanda incubuerant) *seu verius universalis Ecclesiae judicio haereticales merito sunt censenai*. Horum ergo errorum, qui universalis Ecclesiae judicio haeretici merito censebantur, *quartus*, inquiunt, *est*, *quod Constitutiones per Romanum Pontificem canonice intrantem editae de consilio sacri ac fidelis Collegii Dominorum Cardinalium*, (cujusmodi erant Johannis XXII. de Evangelica paupertate Constitutiones) *sunt haereticae*. Itaque in hac celebri disceptatione utrinque Theologis conveniebat, irretractabiles esse Romanorum Pontificum sollennes de fide sanctiones; & contrariam sententiam haeresibus ab Ecclesia damnatis communi calculo adcensebant.

Ab hisce aliorum Theologorum sensibus non modo alienus & aversus non erat ille Raynaldo & Bossuetio laudatus Curiae Pontificiae Theologus, verum & eamdem sententiam sequentibus verbis gravissime confirmabat (c): „ Sicut patet extr. de Bapt. & ejus effectu C. *Majores*, quando occurrit „ aliquod dubium in articulis fidei, „ vel in Scriptura sacra, licet declaratio Magistralis possit pertinere ad illos; tamen declaratio & „ determinatio auctoritativa ET FINALIS, cui omnes habent acquiescere, pertinet ad Dominum Papam: quod clare fuit demonstratum Actuum XV. ubi orta dissensione, utrum Legalia debeant servari

(a) Apud Raynald. an. MCCCXXVIII. num. 15.
(b) Apud eumdem an MCCCXXXI. num. 15.
(c) Apud eumd. an. MCCCXXIV. num. 33.

„ vari cum Evangelio, consuluerunt „ Petrum & alios Apostolos, qui „ erant in Jerusalem: & Petrus „ sicut Princeps Apostolorum decre- „ vit, Legalia non esse observan- „ da. Nec obstat, *inquit*, quod Ja- „ cobus ibidem dicit: *Ego judico* „ *non inquietari eos &c.* tum quia „ Petrus primo decrevit, postmo- „ dum Jacobus sicut illius loci Epi- „ scopus &c. Tum quia sententia „ Jacobi non potuit arctare extra „ fines suae jurisdictionis, sicut sen- „ tentia Episcopi Parisiensis non „ arctat illos de Dioecesi alia. Sed „ illa sententia (*Petri*) obligavit „ universos per totum mundum con- „ stitutos: Ergo fuit sententia in „ toto orbe universaliter praesiden- „ tis: ille autem erat solus Petrus; „ quare &c. Consecutio quae supprimitur, alia esse non potest, quam quod solius Petri sit ejusque Successorum dubiis & controversiis circa fidem emergentibus cum auctoritate, cui omnes adquiescere debeant, finem imponere, quemadmodum ex Petri solius, non autem ex Jacobi vel aliorum sententia, Synodi Hierosolymitanae decretum per universum orbem obtinuit.

Quae quum ita sint, objecta ex hoc Auctore ab Episcopo Meldensi & ab aliis (*a*) loca ad sanum ac legitimum sensum facile revocantur. Quum enim primam hanc apud Raynaldum (*b*) Conclusionem statuit: *quod Papa non potest condere Canones contra determinata per sacram Scripturam .... quia si id Papa determinaret, convinceretur non sententiam dare, sed errare*; inde profecto haud jure colligitur, quod id reapse evenire possit. Quemadmodum neque ex eo quod Apostolus ad Galatas scripsit: *Sed licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit*; nemo jure conficiet, re ipsa potuisse Angelos aliud ab illo Apostoli Evangelium Galatis annuntiare. Profecto in hoc ipso loco, quem Illustrissimus Adversarius opponit, diserte laudatus Auctor docet, majorem esse Romani Pontificis quam Conciliorum generalium auctoritatem; & hanc in ipsa Concilia ex Romano Pontifice derivari; ac proinde, praeter decreta fidei, absolutam in alios Conciliorum Canones eidem Pontifici vindicat potestatem. Quum enim hanc tertiam statuisset Conclusionem, *quod nec Dominus Papa potest concedere Canones contra quatuor Concilia principalia*; objicit sibi, decreta Conciliorum revocari posse: quia *Concilium*, inquit, *non dat auctoritatem Summo Pontifici, sed Summus Pontifex Concilio* q. XVII. Quod ille lubens admittit: quare respondet, *quod hoc*, nempe quod eorum decreta per Romanum Pontificem revocari non possint; *competit quatuor Conciliis, non in quantum Concilia sunt, sed inquantum de tali materia sunt, scilicet de veritate articulorum fidei*. Ergo praeter decreta fidei, ceteri Conciliorum canones, juxta hunc

(*a*) Vid. Fleury. Hist. Eccles. l. XCIII. num. XV.
(*b*) An. MCCCXVIII. num 54. &c.

hunc Auctorem, revocari per Pontificem possunt, & in ipsa Concilia ex Romano Pontifice auctoritas derivatur; quae proinde major & eminentior in ipso quam in Conciliis est. Quae nullo modo conciliari possunt cum doctrina Parisiensium de Romanorum Pontificum sanctionibus Conciliorum generalium retractationi & reformationi subjectis.

Pari facilitate solvitur quod ex quarta ejusdem Auctoris Thesi Meldensis Episcopus objicit: *Quarta*, inquit, *Conclusio est, quod* (Papa) *potest condere Canones contra determinata per Praedecessores suos, & contra determinata per se ipsum*. „ Quod subiungit Bossuetius, eo „ pertinebat, ut Johannes XXII. a „ Nicolao III. declaratam doctri- „ nam revocare posset; nihil ergo „ in his infallibile cogitant.

Verum ex his quae statim laudatus Auctor adjungit, manifeste perspicitur, eum minime hac thesi eos Romanorum Pontificum Canones seu Decreta esse complexum, quibus fides aut generalis morum disciplina sancitur; sed eos tantum, qui in iis rebus actionibusque versantur, quae pro variis locorum, personarum ac temporum circumstantiis variam induere possunt aequitatis aut honestatis speciem. Id enim apertissime constat ex argumentis, quibus suam Auctor ille thesim confirmat: „ Et hoc, *in-* „ *quit*, probo auctoritatibus, exe- „ cutione & ratione. Primo aucto- „ ritate Esther XVI. ubi dicitur „ sic: *Nec putare debetis, si diver-* „ *sa jubeamus, ex animi nostri ve-* „ *nire levitate, sed pro qualitate* „ *& necessitate temporum, ut Rei-* „ *publicae poscit utilitas, ferre sen-* „ *tentiam*: Et Extra de Consang. „ & affin. c. *Non debet*, dicitur „ sic: *Non debet reprehensibile ju-* „ *dicari, si secundum varietatem* „ *temporum statuta variantur hu-* „ *mana*: Et Extr. de sent. excom. „ lib. V. cap. *Alma mater*, dici- „ tur sic: *Alma mater Ecclesia* „ *nonnulla plerumque rationabiliter* „ *ordinat & consulte, quae postmo-* „ *dum consultius & rationabilius* „ *revocat in meliusve commutat*: „ ut Dominus noster (Johannes „ XXII. in Constit. *Quia nonnun-* „ *quam* (de qua tum temporis „ acriter disceptabatur) dicit val- „ de pulcre sic: *Quia nonnunquam* „ *quod conjectura profuturum cre-* „ *didit, subsequens experientia no-* „ *civum ostendit; non debet repre-* „ *hensibile judicari, si Canonum Con-* „ *ditor Canones a se vel suis Prae-* „ *decessoribus editos, vel aliqua in* „ *eisdem contenta Canonibus, re-* „ *vocare, modificare vel suspendere* „ *studeat: si ea obesse potius vide-* „ *rit quam prodesse*. Et infra: „ Istud etiam probo ratione sic: „ Par in parem non habet domi- „ nium, Extr. de Electione cap. „ *Innotuit &c.* Sed tantam potesta- „ tem habet unus Summus Ponti- „ fex, sicut alius: Ergo Constitu- „ tio primum facta non arctat alium, „ quin possit eam, si voluerit, „ revocare. Potuitne clarius ac luculentius laudatus Doctor ostendere, quartam hanc thesim non esse generatim intelligendam, sed de iis tantum decretis, quibus pro locorum, personarum ac temporum circum-

cumstantiis variabilis disciplina sancitur ? Neque negamus, quod haec thesis eo pertinebat, ut Johannes XXII. Nicolai III. Decretalem *Exiit*, in quibusdam Capitibus revocare posset: at simul demonstramus, quod ea capita, ex ejusdem Auctoris sententia, nequaquam ad fidem, aut generales & invariabiles morum regulas pertinebant. Alioquin frustra his rationibus & auctoritatibus niteretur ostendere ac suadere, potuisse Nicolai III. laudatam Decretalem a Johanne XXII. in quibusdam capitibus revocari.

CAPUT XLVII.

„ Responsio Jacobi Sanctae Priscae
„ Cardinalis, mox Benedicti XII.
„ Papae, pro Johanne XXII. qua
„ Pontificiam infallibilitatem aperte rejicit: In eamdem rem
„ Glossa memorabilis in Clementinam, *Exivi*.

IN hoc Jacobi Cardinalis testimonio, postquam illud dearticulate perpendit, exultat ac sibi triumphum statuit Illustrissimus Adversarius: „ Haec, *inquit*, docet Cardinalis „ eo aevo doctissimus atque sanctissimus, vitaeque ac doctrinae merito ad Petri Sedem evectus. „ Haec factus Pontifex nusquam retractavit, nusquam infirmavit. „ Haec docentem eum laudat Aymericus acer fidei Inquisitor sub secutis Pontificibus. Porro Aymericum nemo reprehendit; imo „ omnibus fuit diligentissimi Inquisitoris exemplar &c. Fatemur quidem, quod ea quae docet ac Fratricellorum objectis respondet laudatus Cardinalis si prima fronte spectentur, pro adversa sententia aliquid coloris habere videntur. At si intimius considerentur, totumque ipsius de Romani Pontificis & Ecclesiae, nec non generalium Conciliorum auctoritate systema animo complectamur; negamus ea, quae ex ipso Adversarii proferunt, pro illorum doctrina Decretoria esse; quin ea etiam nobis suffragari contendimus. Quod quia paucis exponi non potest, speciali articulo demonstramus.

ARTICULUS UNICUS:

Exponitur Jacobi Cardinalis doctrina de Constitutionibus ac Decretis Pontificis & Ecclesiae, vere ad fidem & ad Cathedram pertinentibus: demonstraturque, eam non minorem auctoritatem Romani Pontificis, quam Ecclesiae universae sanctionibus tribuisse.

QUod maximam difficultatem offerre prima fronte videtur, illud est, quod primo loco, & sub ipsum ferme Capitis initium objicit Illustrissimus Adversarius: „ Secundo dicunt Minores, quod praedictam paupertatem fuisse Christi „ & Apostolorum, determinavit „ Dom. Nicolaus Papa. *Respondet* „ *laudatus Cardinalis*: Quod licet „ illud in Constitutione dicta contineatur, tamen ex Scriptura divina verum esse ibi non ostenditur, „ sed solummodo narratur . . . . . „ Nec hoc asserit simpliciter & determinate Dom. Nicolaus, qui „ dictam Constitutionem fecit, sed

„ solummodo hoc dicit incidenter „ & narrative. Posito etiam, quod „ determinative diceret, non ob- „ staret; cum contrarium invenia- „ tur in Scriptura divina, & nunc „ est per Ecclesiam determinatum. Subjungit Bossuetius: „ An in- „ cidenter dixerit Nicolaus Ter- „ tius id quo ipsa Constitutio, ibi- „ que posita & explicata perfectio „ nititur, aequus Lector dijudicet. „ Nunc profecto sufficit dixisse Car- „ dinalem, etiamsi Papa *determi-* „ *native* diceret, nihil obesse, & „ contrarium esse nunc per Eccle- „ siam determinatum. Recte id quidem: Sed an loquatur Cardinalis de determinatione, quae facta fuisset ex Cathedra, nondum apparet: Videndum ergo, an id ex sequentibus demonstretur.

Pergit ergo, apud Bossuetium laudatum Cardinalis: „ Tertio dicunt (*Pseu-* „ *do-Minores*:) Quod in his quae „ pertinent ad fidem vel mores, „ determinatum semel per Summum „ Pontificem, non potest per alium „ revocari: talis est autem assertio „ Dom Nicolai de Christi & Apo- „ stolorum paupertate. Respondet, „ quod falsum est. Quid autem, „ *inquit Adversarius*, falsum est? „ Nempe ipsa major propositio obje- „ cti Syllogismi; *quod in his quae* „ *pertinent ad fidem vel mores, de-* „ *terminatum semel per Summum* „ *Pontificem, non potest per alium* „ *revocari*. Hanc majorem negabat „ tantus Cardinalis, a nullo re- „ prehensus, ab omnibus laudatus, „ atque ad Petri Cathedram postea „ sublevatus. Attamen rursus repono, quod an loquatur de determinatione, quae sit ex Cathedra, nondum apparet: & exempla decretorum, quibus suam Jacobus responsionem confirmat, suis locis ostendimus, nequaquam ad Cathedram pertinere. Quare quod de Romano Pontifice docet, id quoque de Conciliis adfirmare non veretur. *Ex quibus*, inquit, [exemplis] *constat, quod illud quod circa fidem & mores male determinatum est per unum Papam*, VEL CONCILIUM, *potest per alium, perspecta melius veritate, corrigi & emendari*. Quod autem loquatur de Concilio generali, manifeste apparet ex responsione ad sextam objectionem.

„ Sexto dicunt: quod sequitur, „ totam Romanam Ecclesiam mul- „ tis annis in fide erraſse: (si ni- mirum Nicolaus Tertius per Decretalem *Exiit* contra fidem aliquid definivit) „ quod est contra articu- „ lum fidei: *Credo in unam San-* „ *ctam & Apostolicam Ecclesiam*. „ Respondet: Quod non est impu- „ tandus error Ecclesiae Catholicae, „ si aliquid diffiniat Papa, VEL EC- „ CLESIA SEU CONCILIUM GENERA- „ LE, non pertinens ad fidem vel „ mores, quod pro tunc quando dif- „ finiebatur, non facta plena discus- „ sione, fuit diffinitum: quod tamen „ postea per diligentem inquisitio- „ nem factam apparet contrarium „ esse veritati. Frequenter enim „ contingit, quod multa prius de- „ terminata PER CONCILIA, vel „ per Papam, sunt postea revoca- „ ta, sicut patet per supradicta. Ergo supradictis exemplis non modo usus est ad probandum, quod Romanus Pontifex, verum etiam

quod Concilia generalia in suis circa fidem & mores determinationibus errare possunt. „ Et maxime, „ *inquit*, in talibus ubi sacra Scri- „ ptura non loquitur omnino clare „ & expresse. Unde in talibus li- „ cet absque nota haereticae pra- „ vitatis opinari contraria ante Ec- „ clesiae determinationem sub arti- „ culis fidei positam: hoc est, qua aliquid tanquam certa & divina fide credendum omnibus Fidelibus proponatur. Unde constat, quod ex Jacobi Cardinalis sententia, quemadmodum non omne Romanorum Pontificum decretum, ita non omnis Ecclesiae determinatio pro irreformabili & irretractabili fidei regula habenda est: sed ea tantum qua aliquid credendum tanquam fidei Catholicae veritas vel articulus proponatur. Quam supra haud semel ex Melchiore Cano, ac Turnelio ostendimus unam esse ex conditionibus, quae ad definitionem ex Cathedra desiderantur. Pari ergo passu adhuc incedunt Pontificis auctoritas & Ecclesiae. „ Unde, *subjungit*, „ sicut in Dom. Nicolao non fuit „ error perniciosus, sed venialis ex „ causis supra dictis: ita nec in se- „ quentibus eum ante determinatio- „ nem Dom. Johannis: Qua videlicet in Christo & in Apostolis quarumdam rerum fuisse temporale dominium tanquam fide credendum, ac fidei veritatem vel articulum definivit. Porro non modo privatas personas, verum & ipsam Ecclesiam ante illud Johannis ex Cathedra decretum ait esse secutam Nicolaum venialiter errantem: „ Quod autem, *inquit*, „ fuerit peccatum veniale in Eccle- „ sia circa praesentem materiam „ vel aliam, non est inconveniens. „ Nam cum dicit Apostolus ad „ Ephes. V. quod Christus exhibuit „ sibi Ecclesiam non habentem ma- „ culam neque rugam, debet in- „ telligi de Ecclesia triumphante, „ non de militante, ut dicit Augu- „ stinus libro Retract. Et antea dixerat: quod *ipse* (Nicolaus) *non erravit perniciose*, *nec Ecclesia sequens eum*. Et quod Nicolai decretalis *nunquam fuit approbata per universalem Ecclesiam aliter nisi ut communes Constitutiones Papales*. Ergo ex ejus opinione quemadmodum Nicolaus erravit, ita & Ecclesia ipsum errantem sequens; sed utriusque fuit venialis error, quia nihil contra fidem tanquam articulum fidei credendum proposuerunt. Ac rursus, quemadmodum post Ecclesiae determinationem, qua aliquid certa fide credendum exhibeatur, non licet absque nota haereticae pravitatis opinari contrarium: Ita post similem Johannis XXII. circa Christi & Apostolorum temporale dominium, determinationem, idem Cardinalis veluti haereticos insectabatur, qui illius Constitutionibus pertinaciter refragabantur. Quo etiam pertinent quae mox subjicio ad horumce haereticorum objecta ejusdem Cardinalis responsa.

„ Decimo dicunt: quod veniens „ contra determinationem Papae, „ & Romanae Ecclesiae, est hae- „ reticus censendus, propter quod „ non licuit alicui diffinire contra- „ rium determinationi Dom. Nico- „ lai. *Respondet*, quod illud non est „ verum, nisi determinatio Eccle-

,, siae contineatur in Scriptura divi- ,, na, vel ex ipsa evidenter & ne- ,, cessario concludatur: vel nisi Ec- ,, clesia expresse determinet, quod ,, tale quid si tenendum sicut perti- ,, nens ad fidei articulum; determi- ,, nans, quod dicentes & tenentes ,, contrarium sicut haeretici sunt ha- ,, bendi. Quod autem dixit Nico- ,, laus de Christi paupertate & se- ,, paratione dominii &c. non conti- ,, netur in Scriptura divina, nec ,, potest concludi ex ea, nec fuit ,, positum sub articulis fidei. Viden', ut nullum discrimen interponit inter Ecclesiae & Romanorum Pontificum decreta? Nam quemadmodum docet, quod non quodlibet Romanorum Pontificum decretum ea vi & auctoritate praeditum est, ut qui ei repugnat, haereticus habendus sit: ita negat ejusmodi vim & auctoritatem cuilibet Ecclesiae determinationi convenire. Ac rursus, quemadmodum docet, nefas esse & haereticum iis Ecclesiae sanctionibus obluctari, quibus aliquid credendum statuitur velut articulus fidei, adeout contrarium tenentes velut haeretici judicentur: ita non alia ratione docet, potuisse Decretalem *Exiit* in eo de Christi & Apostolorum paupertate articulo revocari, quoniam a Nicolao non fuit relatus inter articulos fidei, nec pro haereticis habiti qui de illo secus judicarent. Quod perinde est ac si diceret, Decretalem *Exiit* non esse penitus irreformabilem, quoniam ex Cathedra non fuit: nam inter alias conditiones ad ejusmodi definitionem hanc etiam Theologi apud Turnelium requirunt, *ut toti Ecclesiae tanquam de fide credenda proponatur, ac veluti haeretici habeantur, qui post sufficientem sententiae promulgationem ei non acquiescunt ore & corde.*

,, Duodecimo dicunt: quod si Papa Johannes potuit revocare prae- ,, dicta determinata per Dominum ,, Nicolaum, eadem ratione Sum- ,, mus Pontifex potest omnes diffi- ,, tiones suorum Praecedessorum re- ,, vocare, & contrarium constitue- ,, re: ex quo totius fidei & aucto- ,, ritatis Ecclesiae destructio seque- ,, tur. *Respondet*, quod non valet, ,, quia non sequitur, si aliqua def- ,, finita inconsulte in materia abso- ,, lute non pertinente ad fidem & ad ,, mores, possunt & debent revoca- ,, ri; ergo omnia: cum arguatur ,, a particulari ad universale; quod ,, fieri non debet: quia universalis ,, conclusio non sequitur nisi ad prae- ,, missas universales. Item ea quae ,, evidenter & manifeste continen- ,, tur in sacra Scriptura, vel ex ,, ea de necessitate concluduntur, ,, sunt omnia inconcussa stabilitate ,, firmata, nec revocari possunt, ,, nec eorum contraria statui per ,, quemcumque; ut dicit Augustinus ,, in 2. lib. de Baptis., & Gela- ,, sius Papa in ep. ad Episc. Dar- ,, daniae. De numero autem talium ,, non sunt ea quae dixit de pau- ,, pertate Nicolaus Papa: nec unquam ,, pertinuerunt simpliciter ad fidem, ,, vel ad mores; cum contrarium esset ,, verum & Catholicum, ut in suis de- ,, terminationibus Dominus Johannes ,, Papa evidenter ostendit. Haec est altera ex conditionibus, quas apud laudatum Turnelium in Pontifice Scholae Theologi exigunt, ut

ex

ex Cathedra pronuntiare censeatur: *Ut sit propositio vera, revelata in Scripturis aut traditione, ac idoneum Ecclesiasticae deliberationis argumentum*. Porro quamquam adserta a Nicolao III. de Christi & Apostolorum paupertate propositio eo sensu accepta, quo illam quidam ex Ordine Minorum Pseudo-Theologi intelligebant, speciem quamdam pietatis prae se ferre videretur; attamen, uti Cardinalis Jacobus animadvertit, nulla ei vel Scripturae vel traditionis testimonia suffragabantur. Non est itaque existimandum, quod eam Nicolaus ex Cathedra definire voluerit. Imo nec eam esse judicavit idoneum Ecclesiasticae deliberationis argumentum; ut magis ex sequenti observatione patebit.

,, Tertiodecimo dicunt: quod secundum hoc in decretali *Exiit*, erratum fuit in doctrina & vita Christi & Apostolorum. *Respondet*, quod verum est, non tamen errore pernicioso; cum adhuc ad plenum veritas discussa non fuisset, sicut nunc est; sed errore veniali ...... non enim fuit voluntas in crimine, sed defectus humanae intelligentiae. Potissime, quia Dominus Nicolaus dicta sua supposuit correctioni Sedis Apostolicae: hoc est suorum Successorum. Et in responsione ad XI. dixerat, quod Nicolai Pontificis aevo *nondum quaestio de Christi paupertate erat ventilata*: hoc est, deerat altera ex conditionibus, quibus definitiones ex Cathedra insigniri debent; ut nimirum, quemadmodum ex recentibus Theologis docet Turnelius, *praevio maturo examine, & consultis Episcopis ac Doctoribus*, concinnentur. Quare si quid in Epistolis Romanorum Pontificum obscurum ac difficile occurrat, quod non fuerit ante diligenter examinatum riteque discussum, illud intelligimus noluisse Pontificem ex Cathedra definire. Constabat autem, quaestionem illam de Christi & Apostolorum paupertate non fuisse, Nicolao III. Romano Pontifice, plene discussam ac ventilatam: adeoque non mirum, si eam pro sollenni & irreformabili Pontificis & Ecclesiae definitione haberi laudatus Cardinalis nolebat. Qui tamen, quoniam ipsi constabat, Johannem XXII. rem hanc praevio maturo ac diligentissimo examine definisse, ideo hanc Johannis definitionem velut irretractabilem fidei regulam exosculabatur; eique contumaciter reluctantes velut haereticos lacessebat.

Ex quibus omnibus apertissime constat, quod de ipsa doctrinae summa nobiscum examussim Jacobo Cardinali conveniebat. Non enim quaelibet Romanorum Pontificum de fide moribusve decreta Ecclesiae aut Synodi generalis retractationi subjiciebat: (Quamquam hujusce rei nulla in ea contra Fraticellos lucubratione vola aut vestigium est; sed quaedam potius per sequentes Pontifices retractari potuisse contendebat:) sed quasdam in eorumdem Romanorum Pontificum, quemadmodum & Ecclesiae ac Synodorum generalium de fide ac moribus decretis conditiones requirebat: quae si deessent, non magis eas Pontifi-

tificum, quam Ecclesiae & generalium Conciliorum sanctiones pro fidei Catholicae regulis non habebat: at si adessent, non minus eorumdem Pontificum, quam Ecclesiae vel Conciliorum decreta velut irretractabiles & irreformabiles fidei Canones amplectebatur. Porro eas & nos conditiones ut plurimum exigimus, ut Romani Pontificis definitio ex Cathedra proficisci dicatur, ac proinde tanquam fidei regula suscipiatur. Nam neque nos, neque alii Theologi, qui nobiscum sentiunt, hunc summae auctoritatis gradum in quolibet Romani Pontificis decreto suscipimus: *Nec enim*, inquit Cl. Canus (*a*), *statim si aliquid juris volumine continetur, fidei dogma esse credendum est*. Quare quod pertinet ad sententiae ac doctrinae summam, laudatus Cardinalis nobiscum belle consentit.

Dixi, *quod pertinet ad sententiae ac doctrinae summam*: non enim omnia, illius disputationis probamus; quin & plura vehementer improbamus. Ut quod ineptis exemplis utitur ad probandum, errare posse Pontificem vel Ecclesiam aut Concilia generalia, in iis, quae minus sollenniter, ac non adhibitis debitis conditionibus, vel ex Cathedra decernuntur. Quod non semel, Nicolaum Tertium in errore versatum esse, ac falsa docuisse, concedit. Quod ipsam quoque Ecclesiam per plures annos erranti Pontifici adhaesisse non abnuit &c. Quare Cl. Pennae hujus operis censuram probamus (*b*): *Animadvertendum est, in, his Benedicti solutionibus multa contineri dubia, partim, incerta partim, partim denique falsa, quae nec debeant nec possint praeteriri sine animadversione*.

Objicit postremo Illustrissimus Adversarius hanc, ut eam vocat, memorabilem Glossam: *Saepe congitavi, quod utile esset, quod Ecclesia Romana permitteret, libere de hoc disputari: An Christus habuerit, vel non habuerit, vel habere potuerit proprium, vel non potuerit &c.* „ Hoc „ est, ut Meldensis Episcopus addit, „ ut libere disputari posset, non mo„ do de eo, quod Johannes XXII. „ edita Decretali, vanum, absur„ dum, injustum, sed etiam de eo, „ quod haereticum judicarit. Addere debebat, imo & de eo, quod reapse haereticum erat, & quod non modo Romani Pontifices, verum & universa Ecclesia tanquam ab Evangelio ac Patrum traditione manifeste dissonum, ac velut haereticum detestabatur; cujus cogitationis absurditatem nemo non videt: eaque, ut perspicuum est, non solum in Romani Pontificis, verum & in universae Ecclesiae auctoritatem incurrebat.

C A-

(*a*) Lib. VI. de locis cap. VIII.
(*b*) In 2. Par. Director. Inquisit. Comment. XLII.

CAPUT XLVIII.

„ Bellarmini ac Raynaldi effugia.

Videri possunt quae ad superiora Capita dicta sunt. Nec profecto mirum, si in re ad fidem ac religionem minime pertinente, quam quisque Theologus magis probat, eam libere opinionem sequatur.

CAPUT XLIX.

„ Quaestio de visione beatifica ante
„ universalem resurrectionem: in
„ ea Johannes XXII. falsa prae-
„ dicat & suadere nititur, Gallis
„ obsistentibus: Ecclesiaeque Ca-
„ tholicae consensioni cedit.

Quum ad superiora capita exposuerimus, quibus notis insigniri, seu quas conditiones habere debeant eae Romanorum Pontificum Constitutiones, quibus tantum immobilem vindicamus & indeclinabilem firmitatem; nulla profecto ratio est, cur in hac quaestione, de Visionis beatificae dilatione ad usque universalem resurretionem, ventilanda, nostro & Lectoris otio abutamur. Utcumque enim privatim Johannes XXII. erraverit; constat, non modo nullam earum, quas tantum irretractabile & irreformabiles esse defendimus, verum & nullam omnino ab ipso editam de hoc argumento Constitutionem. Quare id tantum in praesentia disceptandum esset: quomodo cum aliquot ejusmodi Romanorum Pontificum privatis lapsibus & erratis conciliari nostra doctrina possit, juxta quam Romanos Pontifices a Deo in Ecclesia positos fuisse defendimus totius religionis & fidei firmum & immobile fundamentum. Sed hanc difficultatem sub ipsum statim libri sequentis initium commodius amovebimus.

FINIS LIBRI TERTII.



LIBER



LIBER QUARTUS

QUO

DEFENSIONIS

LIBER DECIMUS QUINTUS

Expenditur & confutatur.


Uic Libro, cujus modo examen & confutationem aggredimur, hoc statuit Meldensis Episcopus argumentum: *Probatur, convenire cum Declaratione Gallicana haec: Quod Romana Sedes fidesque nunquam defectura sit; Et quod prima Sedes non judicetur a quoquam*. Probat autem haec duo Illustrissimus Adversarius, ut potest; eorum interpretationem proprio systemati accommodans, eaque magis praejudicatae opinioni & ὑποθέσει servire cogens, quam ad Patrum doctrinam, & Ecclesiae ac traditionis sensum ac spiritum exigens. Nos ergo non aliquam horumce communium Effatorum, quibus maxime nostra sententia nititur, ex nobis interpretationem comminiscemur: sed eam tuebimur, quam Scripturae, veterum Patrum, Conciliorum atque Pontificum verba, eorumque obvius ac nativus sensus, vis ac potestas exigunt: gratisque illis adfictos ab Adversario sensus, nec non additas pariterque gratis excogitatas limitationes & exceptiones repellemus.

CAPUT PRIMUM.

„ Fides Petri quid sit: Verba Pe-
„ tri, *Tu es Christus*; & Chri-
„ sti, *Tu es Petrus &c.* Petri
„ fides Ecclesiae fundamentum:
„ ad locum Matth. XVI. ℣. 16.
„ & sequenti.

NOn utique inficias imus, aliquot laudari posse veterum Patrum testimonia, quibus in his

Chri-

Christi Domini verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Petri fides, petra & fundamentum est, cui suam Christus inaedificarit Ecclesiam. Neque omnino hanc Christi verborum interpretationem rejicimus, imo & aliquo sensu probamus. At ferre non possumus, tum quod Cl. Adversarius hanc proferat veluti primariam, & maxime propriam sacroque textui congruentem; tum etiam quod de illa haec quae sequuntur tam fidenter obtrudat: Laudatis enim S. Leonis verbis, quibus illa quodammodo insinuatur: *Super hanc fortitudinem aeternum exstruam templum; & Ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget*; statim Bossuetius adjungit: „ Haec idem Pontifex „ passim inculcat; haec omnes uno „ ore Romani Pontifices; haec denique Patres omnes; ut in re „ clara & confessa plures locos congerere supervacaneum sit. Omnino fixum illud est & immotum. „ Cum Ecclesia Catholica aedificio comparetur, eam quam Petrus confessus est fidem, aeterni „ aedificii aeternum fundamentum „ esse.

Haec ita generatim & absolute pronuntiata admittere ac probare non possumus, sed cum iis tantum limitationibus, quas celebriores controversiarum & sacrorum dogmatum Tractatores adjungunt: de quibus haec subtilissime disserit doctissimus Cardinalis Perronius (*a*): Quum enim Magnae Britanniae Rex in sua Responsione dixisset: „ Car elle „ (*l'Eglise Catholique*) sera tousjours, & les portes des Enfers „ ne prevaudront jamais contre elle, qui est fondée en Christ la „ vraye Pierre, & en la foye de „ Pierre & des autres Apostres: *haec ipsi laudatus Cardinalis reposuit*: „ Ce que tantost les Peres exposent ces paroles, *Sur ceste Pierre l'édifieray mon Eglise*, de la „ foy de S. Pierre, & disent, „ que l'Eglise a esté fondée sur la „ confession de Pierre: Et ce que „ tantost il les exposent de la personne de Pierre, & disent que „ l'Eglise a esté fondée sur la „ personne de Pierre; ne sont point expositions contraires, & exclusives l'une de l'autre, mais „ conjointes & inclusives l'une de „ l'autre. Car ils entendent que „ l'Eglise, pour parler le langage „ de l'Echole est fondée causalement sur la confession de Pierre; „ & formellement, sur le ministere „ de la personne de Pierre, c'est adire, que la confession de Pierre a „ esté la cause pour la quelle Christ „ l'a choisi, a fin de le constituer fondement du ministere de son Eglise. *Quod ille pluribus eleganterque declarat; tum vero subjungit*: „ Mais la difference de ces deux expositions „ est, que l'une est immediate, & „ l'autre mediate: l'une directe, „ & l'autre collaterale: l'une literale, & l'autre morale: l'une „ originale & perpetuelle, & l'autre accessoire & temporelle: l'une „ consignée des le commencement, „ & l'autre introduitte par occasion. „ Car

(*a*) Reliq. a la Respons. du Roy de la Grand Bretagne liv. prim. Chap. LVI.

„ Car avant que les Ariens se fussent élevez, c' est a dire, avant „ le siecle de Constantin, & du „ premier Concile de Nicée, l'interpretation qui avoit cours en „ l'Eglise, estoit celle, non de la „ confession de Pierre, mais de la „ personne de Pierre. Quod ille probat praeclaris ac luculentis Tertulliani, Origenis & Cypriani Martyris testimoniis inferius describendis: pergitque suam hanc observationem sequentibus verbis exponere: „ Mais „ depuis l' advenement de Constantin, comme les Ariens se furent „ élevez contre la Divinité de Christ; „ les Peres ne trouvant point de „ passage en l' Ecriture plus exprés „ pour leur prouver que Jesus-Christ „ estoit Fils de Dieu, non par adoption, mais par nature, que ceste confession de S. Pierre, *Tu* „ *es Christ le Fils de Dieu vivant*.... „ eurent soin d' exalter le plus qu'il „ leur fut possible la dignité de ceste confession. Et pour ce que en „ faveur d'elle & a cause d' elle „ S. Pierre avoit esté constitué fondement de l' Eglise, se licentierent de l'appeller elle mesme „ par metonymie, c' est à dire, „ par translation du nom de l' effect à la cause, le fondement de „ l' Eglise, a fin d' avoir d' autant „ plus de sujet de declamer contre „ ceux qui la destruisoient, en leur „ reprochant qu' ils ruinoient le „ fondement de l' Eglise, c' est à „ dire, la confession en faveur de la „ quelle & à cause de la quelle „ celuy qui l' avoit faicte, avoit „ esté constitué fondement de l'Eglise. Mais neantmoins pour monstrer qu'ils n'entendoient pas en „ ce faisant, exclure la personne de „ Pierre d' estre le fondement formel de l' Eglise: ce que les mesmes Peres avoient dit en un lieu „ de la confession de Pierre come „ fondement de l' Eglise causalement; ils le disoient en l' autre, „ voire bien souvent au mesme lieu, „ de la personne de Pierre, come „ fondement de l' Eglise formellement. Laudatque in hanc rem plura SS. Hilarii, Johannis Chrysostomi, & Cirilli Alexand. testimonia quae pariter inferius exhibebimus. Haec celeberrimus Cardinalis: quae fere Latina fecit, adoptavitque Natalis Alexander (a): apud quem ea legere poterunt si qui Gallica non intelligunt. Ex quibus perspicue demonstratur, Illustrissimum Adversarium haud jure jactasse, omnes uno ore Romanos Pontifices & Patres omnes in iis, de quibus nunc agimus, Christi verbis, *Petrae* nomine, supra quam veluti firmum & immobile fundamentum suam extruxerit Christus Ecclesiam, Petri fidem seu confessionem intellexisse: neque hanc merito proposuisse veluti primariam, & maxime aptam & idoneam eorumdem verborum expositionem. Quum illa interpretatio, quae laudata verba ad Petri personam refert, quemadmodum post Cardinalem Perronium docet laudatus Nat. Alex., immediata sit; haec vero, quam Bossuetius depraedicat, mediata: illa primitiva & perpetua; haec

(a) Differt. IV. in Hist. Eccles. saec. I §. III.

haec adventitia & temporanea: illa ab initio Ecclesiae quatuor saeculorum serie sola tradita; haec vero data occasione prolata; ut nimirum Ariani dogmatis pernicies, quo ipsum Ecclesiae fundamentum concutitur, eo textu demonstraretur; quum ante Arianae haereseos exortum altera solum expositio vigeret.

Sunt alia in hoc Capite Meldensis Episcopi verba non utique sine animadversione praetermittenda; haec nimirum:,, Atque hîc (*in eo scilicet Evangelii loco*) duo quidem ,, (*Christus*) confirmavit.... Alterum, quoties Successores Petri ,, communem Ecclesiarum fidem, ,, ex communi traditione, pro officio promerent, eorum decretum, ,, praedicationem, fidem, fore Ecclesiae fundamentum. Quod quidem verum est. At quemadmodum non modo Petri fides, verum & ipse Petrus; ita non modo fides, quam Petri successores ex officio promant, verum & ipsi ejus successores pro Ecclesiae fundamento ab ipsa Christianae Religionis origine habiti sunt, quod & ipse Illustrissimus Adversarius sequenti Capite profitetur. Neque tamen, ut deinceps videbimus, ideo habent ut Ecclesiae fundamenta dicantur, quoniam communem Ecclesiae fidem ex communi Ecclesiae traditione quum ex officio promunt, & immota sunt aut esse debent eorum decreta: sed contra, quoniam ipsi firma & immota sunt Ecclesiae fundamenta, ideo in exponenda communi Ecclesiae fide, nutare & vacillare non possunt.

CAPUT II.

,, Ipse Petrus & Petri successores ,, propter injunctum officium praedicandae & asserendae fidei, ,, Ecclesiae fundamentum: Huic ,, officio merito adjunctae claves.

ET ipse ergo Illustrissimus Adversarius agnoscit, quod & ,, ipse Petrus, ejusque successor Romanus Pontifex, tanto in aedificio fundamenti loco est: Ut qui ,, ex commisso munere, Ecclesiastici regiminis Princeps, praecipuique ac fundamentalis officii, praedicandae scilicet & asserendae fidei, caput executorque sit. Haec adeo ex constanti veterum Patrum, & ipsorum Romanorum Pontificum, & Conciliorum traditione clara & perspicua sunt; ut de his nulla esse inter Catholicos disputatio possit. Sed an inde jure ac merito conficiatur, Romanos Pontifices, quum injuncto praedicandae adserendeque fidei officio funguntur, ab errandi periculo tutos esse & immunes; id vero est, de quo invicem digladiamur. Subjungit enim Bossuetius, ,, quod ea ex re si quis sequi putat, Romanum Pontificem commissi officii ,, gratia fundamento comparatum, ,, ideo in exponenda fide esse infallibilem, fallitur: Aliud enim est, ,, ut ei aliquid officii injungatur: ,, Aliud, ut illud procul omni dubio ,, praestiturum esse constet. Nos ergo qui utrumque tuemur, judice Bossuetio, fallimur: Ut vero nobis videtur, ipse qui alterum negat, in eo apertissime falsus est. In hac er-

go ſententiarum conflictione ad veteres Patres, & Concilia, & ipſos quoque Romanos Pontifices provocamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Ex ipſo textu Evangelico, & conſtanti Patrum traditione probatur, Chriſtum non modo Eccleſiae, verum & Romano Pontifici; imo huic prius & immediatius, quam illi, aeternae ſtabilitatis vim & promiſſionem adjeciſſe.

„ Atque ut officium, *inquit Meldenſis Epiſcopus*, quemadmodum oportet, ab ipſo effectu ſecernamus, advertendum ſupereſt, cui rei Chriſtus aeternae ſtabilitatis promiſſionem adjecerit: „ An ipſi Pontifici? an vero Eccleſiae? Recte: inde enim tantae controverſiae judicium maxime pendet. Reſpondet: „ Eccleſiae certe, „ ut verba declarant: „ *Et portae*, „ inquit, *inferi non praevalebunt* „ *adverſus eam*; Eccleſiam ſcilicet, „ ut & verborum docet ipſa connexio, & Leo atque alii Patres „ luculentiſſime profitentur. At nos nequaquam negamus Eccleſiae Catholicae aeterne ſtabilitatis promiſſionem adjectam. Quis enim hoc Catholicorum inficias iverit? Sed quod Eccleſiae aeterna ſtabilitas promiſſa ſit; inde profecto non ſequitur, quod ea promiſſio ad Romanum Pontificem non attingat. Imo & verborum ipſa connexio, & Leo atque alii Patres, & fundamenti atque aedificii analogia, omnino ſuadent, ut qui promiſit aedificium fore in aeternum ſtabile, is perinde promiſiſse credatur, fore & illius aedificii inconcuſſum & ſtabile fundamentum.

Id, inquam imprimis ſuadet Evangelicorum verborum ipſa connexio. Quis enim non videat, Simonem Johannis filium propter fidei firmitatem Petrae ſeu Petri nuncupatione fuiſſe a Chriſto donatum? Porro ideo ſuper hanc petram aedificatum iri Eccleſiam, ne tantum & in aeternum manſurum aedificium ſuper arenam & molle lutum extrueretur. Denique portas inferi nunquam adverſus Eccleſiam praevalituras, quod ſuper firmiſſimam petram extruenda eſſet. Prorſus huc faciunt quae ipſe Chriſtus alibi docet (a) de Viro ſapiente, *qui aedificavit domum ſuam ſupra petram*. Nam *& deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in in domum illam; & non cecidit*. Quid ita? *Fundata enim erat ſupra petram*. At contra de Viro ſtulto ejuſque domo obſervat, quod in eam ventis, imbribus & fluminibus irruentibus, cecidit: quoniam ſuper arenam fuerat aedificata. Chriſtus ergo volens Eccleſiam ſuam nullis unquam inferorum inſultibus ac turbinibus concuti, tanquam ſapiens architectus fundamentum poſuit ſtabile & inconcuſſum, Petrum ſcilicet, ejuſque in hoc ipſo Eccleſiam ſuſtinendi munere Succeſſores. Haec eſt ergo horumce verborum plana & nativa connexio: Super te, quoniam firmiſſima petra es, meam aedificabo Eccleſiam; quae idcirco nullis unquam inferorum conatibus evertetur. Cujuſmodi verborum

(a) Matth. VII. ℣. 24. & ſeqq.

rum sensus atque connexio omnino postulat, ut aeternae stabilitatis vis atque promissio non modo ad Ecclesiam, ut Adversarii contendunt, verum & ad Petrum, imo & ad ejus Successores Romanos Pontifices referatur.

Haec non ex nostro sensu dicimus, sed veterum Patrum & Conciliorum, ipsorumque Romanorum Pontificum constanti traditione & auctoritate probamus: ex quorum videlicet testimoniis haec summa conficitur: 1. Apostolorum Principem Petri seu petrae appellatione donatum propter ipsius in profitenda & adserenda fide immobilem firmitatem. 2. Propter hanc ejus in praedicanda retinendaque fide indeficientiam fuisse super illum velut inconcussum & stabile fundamentum Ecclesiam aedificatam. 3. Ideo inferi portas seu vires nunquam adversus Ecclesiam praevalituras, quoniam ipsius fundamentum in hac firmissima petra positum est. 4. Haec omnia non ad solam Petri personam, verum & ad ejus in Sede Apostolica Successores Sedemque ipsam Apostolicam pertinere: perinde atque Christus Petrum, & omnium Romanorum Pontificum seriem, velut unam personam respexerit & adloquutus sit; ut quae tunc Petro dicta & promissa sunt, eadem ejus successoribus dicta & promissa credantur. Jam ergo aliquot ejusmodi veterum Patrum testimonia promamus, quibus haec omnia diserte adstruuntur, undeque eadem sponte fluere ac manare videntur.

Et quidem priora duo quae posuimus ex iis imprimis Patrum testimoniis probantur, quorum alii Petrae nomine, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, Petri fidem, alii vero Petri personam intelligunt: quum duo haec interpretamenta, ut Cardinalis Perronius, Nat. Alex. aliique demonstrant, minime pugnent, sed facile concilientur; ut nimirum solida Petri fides ipsi divinitus inspirata, caussa fuerit, cur & ipse Petrae seu Petri nomine donaretur, & super ipsum veluti solidissimam petram & immobile fundamentum Ecclesiae aedificatio consurgeret. Itaque tum ipse Petrus propter fidei ipsi divinitus inspiratae soliditatem; tum etiam fidei Petro inspiratae soliditas dici quodammodo possunt hujusce divini operis fundamentum: haec enim, ut verbis ex schola depromtis utar, illius veluti forma est. Quemadmodum & in materialibus aedificiis perinde est, seu quis solidam petram, seu petrae soliditatem domus aut templi fundamentum appellet: neutrum enim seorsim spectatur; sed durissimi saxi soliditas formae instar est & ratio, cur solidum saxum fundamenti loco ponatur. Sic ergo & Patribus perinde fuit, seu Petri solidissimam fidem, seu Petrum ipsum propter fidei soliditatem Ecclesiae fundamentum praedicarent. Non enim, ut & Nat. Alex. observatum est, Petri fidem & confessionem solam & seorsim spectabant, sed prout ab ipso Petro edita est, suumque in eum meritum & firmitatem refudit. Haec libet singillatim aliquot Patrum testimoniis confirmare. Ac primo & secundo loco ea proferam, quibus absolute vel Petrus ipse, vel Petri fides Ecclesiae fundamenta dicuntur.

§. I.

§. I.

Ecclesia super Petrum aedificata.

TErtullianus lib. de Praescript. capite XXII. *Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae Petram dictum?* Et lib. de Monogamia cap. VII. *Per Ecclesiam, quae super illum* (Petrum) *aedificata &c.*

Origenes in cap. XVII. Matth. *Per promissionem meruit fieri Ecclesiae fundamentum*. Et apud Eusebium libro VI. Hist. cap. XIX. *Petrus, super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorum portae non praevalebunt, aedificata est.*

S. Cyprianus epist. LXXIII. ad Jubajanum: *Nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, potestatem istam dedit &c.* Et rursum: *Quo venturus est .... an ad Ecclesiam, quae una est, & super Petrum, qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata est?*

Firmilianus in Epist. ad Cyprianum: *Nec permanet in fundamento unius Ecclesiae, quae semel a Christo supra petram solidata est; hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit:* „ Quaecumque ligaveris super terram &c.

Plura congeri possent, verum haec interim de hac re Patrum testimonia sufficiant; ex quibus perspicuum est Card. Perronio merito animadversum, hanc primigeniam esse illorum Christi verborum expositionem; sequentem vero fuisse posterius excogitatam: quum Launojus, qui singulos Patres huic suffragantes diligentissime recensuit (a), ab Hilario incipiat, quo longe vetustior Tertullianus fuit; & integro saeculo post Origenis, Cypriani, & Firmiliani exitum floruit.

§. II.

Petri fides seu fidei confessio Ecclesiae fundamentum.

ITa S. Hilarius lib. VI. de Trinitate: *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiae aedificatio est.* Et infra: *Haec fides Ecclesiae est fundamentum: per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum.*

Ita Sanctus Ambrosius lib. VI. in Lucam cap. IX. *Fundamentum Ecclesiae fides est.*

Ita S. Johannes Chrysostomus Hom. LV. in Matth. „ Et super hanc „ petram aedificabo Ecclesiam me„ am; *id est, fidem & confessionem.*

Ita Sanctus Cyrillus Alex. lib. IV. in Isaiam Orat. II. „ Tu es Pe„ trus; & super hanc petram ae„ dificabo Ecclesiam meam: *petram opinor vocans immotam fidem discipuli.* Et lib. IV. de Trinitate. *Petram, opinor, nihil aliud, quam inconcussam & firmissimam fidem vocans, supra quam etiam citra casus periculum formata est & fundata Christi Ecclesia.* Qui plura cupit, adeat laudatam Launoi epistolam, in qua plurima occurrit ejusmodi testimoniorum congeries.

§. III.

(a) Part. V. Epist. ad Guillem. Voëllum.

§. III.

Plures ex iis Patribus, qui docent, Ecclesiam super Petri fidem & confessionem aedificatam; docent etiam aedificatam fuisse supra Petrum.

ITa omnes Patres quos §. superiore laudavi. S. Hilarius in Psalm. CXXXI. num. 4. *Cui* (Petro) *superius claves regni caelorum dederat, super quem Ecclesiam aedificaturus erat.* Et paullo post eumdem Petrum vocat *primum Filii Dei confessorem, Ecclesiae fundamentum &c.*

S. Ambrosius apud S. Augustinum lib. I. Retract. capite XXI. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii ubi de Gallo Gallinaceo.*

„ Hoc ipsa petra Ecclesiae
„ Canente culpam diluit.

Sanctus Johannes Chrysostomus hom. II. de Poenit. in Psalm. L. *Columna illa Ecclesiae, illa fidei basis, illud Apostolici chori caput, Petrus, annon semel, & iterum, & tertio Dominum abjuravit?*

S. Cyrillus Alex. lib. II. super Johan. cap. XII. *Nec Simon fore jam nomen sibi, sed Petrus, praedicit; vocabulo ipso commode significans, quod in eo tanquam in petra lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Ecclesiam.*

Ita etiam S. Leo in locis infra referendis utramque simul interpretationem complexus est. Quare oportet, ipsorum quoque Patrum opinione, eas invicem non opponi, ne turpissimam contradictionis maculam tantis nominibus adspergamus.

§. IV.

Petrus propter fidei firmitatem petrae appellatione donatus est.

ITa S. Ambrosius lib. VI. in Lucam cap. IX. *Etiam discipulo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantiae, fidei firmitatem.*

Ita S. Leo pluribus in locis. Sermone III. de Anniversario Adsumtionis suae ad Pontificatum: „ *Quia*, Tu es Petrus; *idest, quum ego sim inviolabilis petra: ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego, fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, qui mea virtute solidaris; ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia ..... & Ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget.* Petrus itaque petra dictus propter fidei firmitatem, seu propter firmam & alacrem confessionem, quam virtute divina solidatus & adflatus emisit. Similia prædicat & inculcat Serm. II. in eadem sollennitate, Serm. de Transfiguratione, & Serm. II. de Nat. Apostolorum Petri & Pauli.

Ita S. Prosper, seu quisquis alius auctor librorum de Vocat. Gent. lib. II. cap. XXVIII. *Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortissimam petram, quae ab illa principali petra communionem & virtutis sumsit & nominis, hoc &c.*

Ita Eucherius Lugdunensis Episcopus,

scopus, seu quivis alius, hom. de Nat. S. Petri: *Tu dicis & verum dicis, quia ego sum Christus Filius Dei vivi*: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, *fide fortior, & doctrina stabilior*: *Nisi enim in hoc nomine fortitudinem & stabilitatem Christus intellexisset; quare ea quae sequuntur, protinus addidisset dicens*: ,, Et super hanc petram aedificabo ,, Ecclesiam meam.?

Ita Hincmarus Remensis Archiepiscopus Opusculo XXXIII. contra Hincmarum Laudunensem cap. V. *Cui* (Petro) *ob robur solidissimae fidei Christus* ,, *petra a se nomen indidit, dicens*: ,, Tu es Petrus &c.

Odo Cluniacensis Abbas Serm. de Cath. S. Petri paulo ante descripta S. Leonis verba sua fecit.

§. V.

Petrus propter eamdem fidei firmitatem Ecclesiae Catholicae firmum & immobile fundamentum.

ID Origenes haud obscure significat, quum hom. V. in Exodum, Petrum vocat *magnum Ecclesiae fundamentum, & petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam*: quae clarius & luculentius explicat in caput XVII. Matthaei, ubi observat, quod Petrus *de veritate dicebat*: Tu es Christus filius Dei vivi: ac subjungit: *In quo* (hoc est, in qua seu propter quam veritatis professionem) *& beatificatus est, & per promissionem meruit fieri Ecclesiae fundamentum.*

Concinit S. Hilarius in Matth. cap. XVI. *Et dignum plane confessio Petri praemium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset..... O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra &c.*

S. Basilius in cap. II. Isaie: *Illico per hanc vocem, Petrus, intelligimus Jonae filium..... qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in seipsum recepit.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXVI. *Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat.*

Praeclarius ac luculentius S. Epiphanius haeresi LIX. *Princeps Apostolorum Petrus, qui quidem solidae petrae instar nobis exstitit; cui velut fundamento Domini fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus exstructa est: imprimis quidem quod Christum Dei vivi filium esse confessus est; idque vicissim audiit; supra hanc solidae fidei petram aedificabo Ecclesiam meam.*

S. Hieronymus in cap. XVI. Matthaei: *Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petrae recte dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te.*

S. Leo Serm. de Transfiguratione: *Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petrae acciperet firmitatem, supra quam fundata Ecclesia portis inferi & mortis legibus praevaleret.*

S. Petrus Chrysologus Serm. LIII. de S. Stephano: *Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam*

clesiam fidei firmitate fundare.

§. VI.

Fides Petri non absolute ac seorsim spectata, sed ut a Petro edita, Ecclesiae fundamentum.

ID constat ex omnibus Patrum testimoniis, quae duobus praecendentibus §§. exhibuimus. Si enim solus Petrus propter fidei firmitatem & alacrem confessionem obtinuit ut petra diceretur & fundamentum esset Ecclesiae; manifestum est, quod fidem Petri non absolute & seorsim spectatam, sed ut a Petro editam, Ecclesiae fundamentum in iis locis dixerunt. Praeclarius autem & evidentius hunc sensum Hilarii, & Magni Leonis testimonia praeferunt. Quum enim S. Hilarius primum praemittit, quod *dignum plane confessio Petri praemium consecuta est*; ac postea subjungit: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum &c.* quid aliud significat, quam quod non ipsa fides seorsim spectata, sed potius Petrus propter ipsam id obtinuit, ut petra diceretur & Ecclesiae fundamentum? Hunc sensum non minus evidenter exigit alius ejusdem S. Doctoris locus lib. VI. de Trinitate num. 36. *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiae aedificatio est*. Et rursus num. 37. *Haec fides Ecclesiae fundamentum est, per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum. Haec fides regni caelestis habet claves. Haec fides quae in terris solverit aut ligaverit, & ligata in caelis sunt & soluta*. Haec enim non absolute dicta esse de fide, sed ut ad Petrum singulari modo refertur, inde compertum est, quod haec eadem statim *beatae fidei suae confessione* Petrum *promeruisse* doceat. Et quum iterum inculcasset: *Haec revelatio Patris est, hoc Ecclesiae fundamentum, haec securitas aeternitatis est*; statim de Petro adjunxit: *Hinc regni caelorum habet claves; hinc terrena ejus judicia, judicia caelestia sunt*. Nec omnino omisit quod in aliis locis disertis verbis adfirmat, quod & hinc Petrus habet ut sit Ecclesiae fundamentum. „ Quid enim, inquit Cl. „ Cutantius (a), aliud sibi vult il- „ lud num. 20. *Post sacramenti con- „ fessionem beatus Simon aedificatio- „ ni Ecclesiae subjacens, & claves „ regni caelestis accipiens*? Namque „ aedificationi Ecclesiae, qua ratio- „ ne, quaeso, nisi ut fundamentum „ subjacet? Ergo quemadmodum fides non absolute, sed in Petro regni caelorum cum primatus praerogativa claves accepit: ita non absolute, sed in Petro, fundamentum Ecclesiae constituta est.

Sed nihil disertius his S. Leonis verbis Serm. II. de Natali Apostolorum Petri & Pauli, & Serm. III. in Anniv. adsumt. suae ad Pontific. Quia tu es Petrus; *id est, quum ego sim inviolabilis petra; ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt pro-*

(a) Not. in Com. ad cap. XVI. Matth. num. 7.

propria , sint tibi mecum participatione communia . Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam &c. *super hanc , inquit , fortitudinem aeternum exstruam templum , & Ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitatate consurget . Hanc confessionem portae inferi non tenebunt , mortis vincula non ligabunt* . Quum perinde habeat , seu Petrum dicat propter divinae virtutis consortium & fidei soliditatem id habere communem cum Christo, ut petra dicatur & Ecclesiae fundamentum : seu dicat Ecclesiae sublimitatem aeternumque templum , super hanc fortitudinem , & in hujus fidei firmitate consurgere ; planum profecto & perspicuum est ; fidem , Ecclesiae fundamentum a S. Leone praedicari , non absolute , sed propter eam , quam in Petro habuit peculiarem & immmobilem firmitatem.

Eumdem sensum ea quoque testimonia manifeste praeferunt , quibus Ecclesia Romana aut Sedes Apostolica vel Petri Sedes praecipue dicitur in Petri confessione & fidei soliditate firma & immota consistere. Cur enim id unice ac singulariter de Ecclesia Romana aut Sede Apostolica vel Sede Petri diceretur , nisi Petri fides fideique confessio , ut ab ipso edita , est habita fuisset Ecclesiae Catholicae fundamentum ? Haec vero testimonia Artic. seq. expendemus.

§. VII.

Verba illa : Et portae inferi non praevalebunt adversus eam ; *non modo ad Ecclesiam , verum & ad petram , supra quam Ecclesia est aedificata , referenda sunt* .

Docet id claris conceptisque verbis Origenes in Caput XVI. Matthaei , verba illa exponens : *Tu es Petrus &c. non praevalebunt adversus eam* . Quaerit enim : *Quam autem* , Eam ? *An enim petram , super quam Christus aedificat Ecclesiam ; an Ecclesiam ? ambigua locutio est : an quasi unam eamdemque rem , Petram & Ecclesiam ? Hoc ego verum esse existimo ; nec enim adversus petram , super quam Christus aedificat Ecclesiam , nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt .... Quod si adversus aliquem inferi portae praevalebunt ; qui talis erit , neque petra fuerit , super quam Christus Ecclesiam aedificat ; nec Ecclesia a Christo super petram aedificata fuerit . Petra quippe serpenti inaccessa est , & fortior portis inferi sibi adversantibus , adeout propter robur illius , portae inferi adversus eam non praevaleant : Ecclesia vero tanquam Christi aedificium , qui sapienter* aedificavit domum suam super petram , *portarum inferi capax non est , praevalentium quidem adversus quemcumque hominem , qui extra petram & Ecclesiam fuerit , sed invalidarum adversus illam* . Porro frustra est quod Adversarii reponunt , haec Origenem ad moralem sensum inflectere ; nec *petrae* nomine singularem Petri personam aut Romanum Pontificem in-

intelligere, sed omnes justos. Nam sensus allegoricus seu moralis litteralem & historicum non evertit aut perturbat; sed in eo potius fundatur, ad eumque sese accommodare debet. Id ergo nobis satis superque est, quod Origenis judicio verborum Christi ipsa connexio eorumque vis, & fundamenti atque aedificii analogia id exigant, ut verba illa; *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; non modo ad Ecclesiam, verum & ad petram, super quam Ecclesia aedificata est, referantur; quaecumque illa sit petra, supra quam Ecclesia aedificata esse dicatur. Quoniam in eam, quaecumque illa sit, jure convenit quod ait Origenes, quod si adversus illam portae inferi praevalerent, super illam Christus non aedificaret Ecclesiam; quod propter robur illius est, ut adversus eam portae inferi non praevaleant; quod Ecclesia portarum inferi capax non est, quod eam Christus sapienter super petram aedificavit. His autem si adjicias, quod & in hoc ipsum caput & in caput sequens, tum etiam in aliis locis, ad haec Christi verba, & proprium ac litteralem eorum sensum respiciens, Petrum Origenes singulariter vocat Ecclesiae fundamentum & petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam; consequens erit, ut ejus judicio verba haec; *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; non modo ad Ecclesiam, verum & ad Petrum referenda sint; ac proinde quod & Christus super Petrum non aedificasset Ecclesiam, si possent adversus illum portae inferi praevalere: quod propter robur illius est, quod adversus Ecclesiam portae inferi non praevaleant: quod Ecclesia portarum inferi capax non est, quod eam Christus sapienter super hanc petram, id est Petrum Petrique Sedem aedificavit.

Neque ab his admodum abludit S. Johannes Chrysostomus Homil. LV. in Matthaeum exponens haec eadem Christi verba: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*: ait enim: *Si vero adversus Ecclesiam non praevalebunt, multo minus adversus me praevalebunt*: Quae observatio perinde quadrat in eum, quem vice sua Christus Ecclesiae petram & fundamentum pronunciarat; ut ex sequentibus Sancti Doctoris verbis haud obscure colligitur: *Ego autem dabo tibi claves regni caelorum*. Observat enim, quod Christus *se ipsum his duabus pollicitationibus filium esse Dei revelat & ostendit*. *Nam quae Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat: cujus caput & pastor piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet; haec, inquam, omnia quae solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & Pater ad Jeremiam dicebat*: Sicut columnam ferream, & sicut murum aeneum posui te. *Sed ipsum quidem genti uni Pater, hunc autem universo terrarum orbi Christus praeposuit*. Ex his ergo verbis: *Et portae inferi &c.* non modo colligit Sanctus Doctor Ecclesiae medios inter fluctus & saevissimas tempestates immobilem firmitatem;

tatem; verum etiam quod Petrum hominem ignobilem & piſcatorem totius orbis impreſſioni velut adamantem & columnam ferream Chriſtus objecerit. Nimirum aedificii firmitas, ut etiam Origeni animadverſum, ex fundamenti ſtabilitate, & membrorum vis ex capitis vigore pendent. Quod ſequentibus verbis Chryſoſtomus adhuc luculentius exponit: Subjungit enim, quod Filius Petro dedit, *ut quamvis homo eſſet mortalis, caeleſti tamen poteſtate polleret, & claves haberet regni caelorum*. Quodnam vero caeleſtis hujuſce poteſtatis, qua mortalem hominem a Chriſto donatum fuiſſe praedicat, argumentum adfert? Hoc unum ſcilicet, quod *Eccleſiam per univerſum orbem amplificatam caelo etiam ipſo validiorem Petrus monſtravit*. ,,Tranſibunt, *inquit*, caelum & terra: ,, verba autem mea non tranſibunt.

Collimant in eamdem verborum Chriſti interpretationem & haec S. Simplicii verba epiſtola IV. ad Zenonem Auguſtum: *Perſtat enim in ſucceſſoribus ſuis haec & eadem Apoſtolicae norma doctrinae, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui ſe uſque ad finem ſaeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras eſſe promiſit, cujus ſententia, quae ligarentur in terris, ſolvi teſtatus eſt non poſſe nec in caelo*. Quae omnia relativa patet unam eamdemque perſonam, Petri videlicet Apoſtolorum Principis, deſignare.

Denique iis omnibus adjungi poſſent ea veterum Patrum teſtimonia, qui ex iiſdem Chriſti verbis efficiunt, Petri Sedem Eccleſiae fundamentum eſſe nullis inferorum portis ſeu viribus concutiendum. Ea vero teſtimonia inferius ſubjiciemus. Interim vero ex praemiſſis in §§. ſuperioribus, propoſitionibus eamdem colligimus veritatem.

Si enim, ut oſtendimus, adverſus Eccleſiam portae inferi praevalere non poſſunt, conſequens eſt, ut nec praevalere poſſint adverſus eam petram, ſuper quam Eccleſiae fundamenta locata ſunt, ſeu potius quae ipſum eſt Eccleſiae fundamentum. Id quod conceptis verbis docet Origenes, ceteri autem PP. pro certo habent, atque ii maxime, qui ut ſuper firmius & immotius fundamentum, quam vel ipſa Eccleſia ſit, eam extructam eſſe demonſtrent, *petrae* nomine Chriſtum ipſum intelligunt. Id etiam ii omnes Patres certum & exploratum habent, qui fidem ipſam & confeſſionem Divinitatis Chriſti Eccleſiae aedificio fundamenti loco ſubſternunt, indeque docent fidem ipſam transferri & labefactari non poſſe. Quin S. Hilarius lib. VI. de Trinit. num. 37. ex eo quod haec fides Eccleſiae ſit fundamentum, colligit, quod propter eam adverſus Eccleſiam portae inferi praevalere non poſſunt: *Haec fides*, inquit, *Eccleſiae fundamentum eſt: per hanc fidem infirmae adverſus eam ſunt portae inferorum*. Si autem propter eam adverſus Eccleſiam portae inferi praevalere non poſſunt, multo minus adverſus eam. In id ergo Patres omnes conſentiunt, ut fundamentum Eccleſiae conſtituant aliquid, quod non minus quam ipſum aedificium, firmum & immobile ſit, quod aedificii firmitas in fundamenti firmitate

tate

tate consistat. Hinc S. Leo superius laudatus: *Super hanc fortitudinem aeternum exstruam templum, & Ecclesiae caelo inserenda sublimitas in hujusce fidei firmitate consurget*. Atqui iidem Patres, ut jam ostendimus, aut Petrum ipsum propter fidei ipsi divinitus inspiratae firmitatem; aut, quod in idem recidit, fidem non absolute spectatam, sed ut a Petro editam, suumque in eum meritum ac firmitatem refudit, Ecclesiae fundamentum esse docuerunt. Id speciatim Hilario & Leoni traditum demonstravimus: ergo ex eorum aliorumque Patrum sententia, ea petra, quae Petrus est, adversus inferi portas invicta est, imo propter hanc petram infirmae, ut Hilarius ait, adversus Ecclesiam sunt inferorum portae.

Superest ut illud, quod supra postremo loco positum est, demonstremus; nimirum haec omnia, quae hactenus de Petro diximus, aeque in Romanum Pontificem, seu Romanam Ecclesiam, vel Sedem Apostolicam convenire. Namque hisce nominibus in praesentia indiscriminatim utimur. Sed huic argumento pertractando propter rerum copiam & ubertatem specialem articulum destinamus.

ARTICULUS II.

Quae superiori Articulo de Apostolorum Principe dicta sunt, omnia in Romanum Pontificem convenire, Pontificum, Conciliorum, & Patrum traditione probatur.

MAximi ad praesentem controversiam momenti sunt, de quibus in praesenti Articulo dicere aggredimur. Ea vero ad haec tria capita revocamus.

Primum est: Recensita in articulo superiori Petri privilegia ad Sedem Apostolicam, ejusque in eadem Sede successores transierunt.

Secundum est: Ex iis privilegiis jure colligitur, Ecclesiae Catholicae fidem ex Romani Pontificis vel Sedis Apostolicae doctrina & auctoritate pendere.

Tertium est: Verba illa: *Et portae inferi &c.* non modo ad Ecclesiam universalem, aut Petrum solum; verum & ad Sedem Petri ejusque successores referenda sunt.

§. I.

Petri privilegia, atque imprimis istud, quod sit non modo Ecclesiae, verum & fidei Catholicae petra, columna & immobile fundamentum, ad Petri Sedem, ejusque in ea successores transierunt.

NEgat hanc Thesim disertis rotundisque verbis Turnelius (a): „ Ello, *inquit*, S. Petrus firma fue„ rit

(a) De Eccles. quaest. V. art. III.

„ rit columna fidei, & inconcussum
„ Ecclesiae fundamentum, (mini-
„ steriale nempe ac secundarium)
„ non tamen personales illas suas
„ praerogativas, excepto primatu,
„ ad suos successores Romanos Pon-
„ tifices transmisit. *Et antea dixerat*: „ Demus etiam petrae no-
„ men recte ipsi (*Petro*) congrue-
„ re, ob firmitatem, & constan-
„ tiam fidei ipsius, pro qua Chri-
„ stus oravit ut non deficeret :
„ (quamquam in textu originali
„ & primigenio *Petrus* & *petra*
„ idem plane est; atque sensus ver-
„ borum Christi iste est: Tu es Pe-
„ trus, & super te Petrum aedifi-
„ cabo Ecclesiam meam) attamen
„ firmitatem illam ac constantiam
„ Petri in fide retinenda, plane in
„ ipso personalem fuisse, nec ad
„ ipsius successores Romanos Pon-
„ tifices transfundi, jam probavi-
„ mus. Quare ad argumentum Bellarmini; ex nomine petrae, quo constantia & firmitas fidei Petri designata est, inerrantiam in definiendis fidei controversiis Romano Pontifici vindicantis; laudatus Theologus *in forma*, ut ait, ita respondet:
„ Petrus a Christo per mutationem
„ nominis dicitur petra, ob firmam
„ & indeficientem ipsius fidem per-
„ sonalem ad ejus successores non
„ transmittendam, concedo: ad suc-
„ cessores transmittendam, nego.

Nos autem superiori articulo demonstravimus, non modo Petrum, propter fidei immobilem firmitatem Petri vel petra fuisse nuncupatione donatum; verum ob hanc ipsam infractam invictamque fidei soliditatem, constitutum a Deo fuisse Ecclesiae Catholicae firmum & immobile fundamentum. Inde autem consequens est, ejusmodi privilegium; nimirum ut ejus fides indeficiens sit & inconcussa; personale in Petro non fuisse, sed per ipsum ad ejus Successores Sedemque Apostolicam transiisse in eis jugiter retinendum. Nam aeterni aedificii immotum sit oportet & inconcussum fundamentum; ac propterea quemadmodum post Petrum ipsius in Sede Apostolica Successores hujusce aeterni aedificii, quod est Ecclesia Catholica, fundamentum & columnae sunt; ita necesse est, firmitatem illam & constantiam Petri in fide praedicanda & adserenda, ob quam Petrus, & petra fidei dictus est, personalem in ipso non fuisse, sed ad Romanos Pontifices velut perennem haereditatem transmitti, indivulseque Sedi Apostolicae cohaerere. Ne id vero ex nostro sensu merisque nixi conjecturis adfirmare videamur, Patrum hac de re Conciliorumque testimonia proferemus: ex quibus compertum & exploratum habemus, Pontifices Romanos Sedemque Apostolicam, perinde ac Petrum, non modo Ecclesiae, verum & fidei Catholicae sacrorumque dogmatum petram esse, columnam & fundamentum. Quid porro inde consequens sit, §§. seqq. expendemus, iisdemque Auctoribus demonstrabimus.

Primum autem ad id, quod in praesentia contendimus, adstruendum, haud minimi momenti sunt notissima illa S. Hieronymi verba scribentis ad Damasum (a): *Ego nullum*

(a) Epist. XV. al. XIV. vel LVII.

nullum praevium nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Petitque ab hac petra, ut totius Orientis Episcopis ac Theologis de usu vocis ὑπόστασις digladiantibus, eumque singulis ad suas adjungere partes conantibus, *sive tacendarum sive dicendarum hipostaseon* certa sibi & inconcussa *detur auctoritas ... Meletium respuo, ignoro Paulinum ... Decernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere*: quamquam, ut ex tota epistola apparet, in alteram opinionem ejus vehementer animus propenderet.

Huc etiam faciunt illa S. Augustini verba in Psalmo contra partem Donati:

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa
Sede Petri:
Et in ordine illo Patrum, quis,
cui successit videte.
Ipsa est Petra, quam non vincunt
superbae inferorum portae.

Vincerent autem, si possent haereses & profana dogmata hujus petrae firmitatem labefactare fideique frangere soliditatem.

Philippus Presbyter & Apostolicae Sedis in Synodo Ephesina Legatus sententiae in Nestorium Caelestini nomine Actione III. prolatae illa praefatus est: *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps & caput, fidei columna, & Ecclesiae Catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemtore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor & locum tenens sanctus beatissimusque Papa noster Caelestinus &c.* Quorsum, rogo, illa Philippus praefatus est, nisi ut aperte significaret, Petrum ejusque Successores accipiendos non esse nisi ut unam Petri personam, (quod & infra capite V. ipsi Meldensi Episcopo observatum est,) & eum, qui fidei columna & fundamentum est, in suis Successoribus adhuc vivere, & judicium exercere; hos vero locum illius implere qui fidei columna & Ecclesiae fundamentum est?

Respondet Turnelius ubi supra: „ Nihil esse in eo testimonio unde „ inferri necessario debeat, Pontifi„ ci Romano fidei indeficientis pri„ vilegium a Christo Domino con„ cessum fuisse. Non ex eo, *su„ bjungit*, quod S. Petrus dicatur „ *Apostolorum princeps & caput*: „ primatus enim praerogativam su„ pra ceteros Episcopos hinc Roma„ no Pontifici merito cum omnibus „ Catholicis asserimus .... Non ex „ eo quod S. Petrus dicatur *fidei „ columna, & Ecclesiae Catholicae „ fundamentum*. Namque .... esto „ fuerit columna fidei, & inconcus„ sum Ecclesiae fundamentum .... „ non tamen illas suas praerogati„ vas, excepto primatu, ad suos „ Successores Romanos Pontifices „ transmisit. Sic ille pro arbitrio suo dividit quae Apostolicae Sedis Legatus, toto plaudente Concilio, conjunxit; & quamquam Philippus

Pe-

Petrum non modo velut Apostolorum principem & caput, verum etiam ut fidei columnam & Ecclesiae fundamentum, in suis adhuc Successoribus viventem & judicium exercentem exhibeat, & ab universo Concilio spectari velit: hesternus homo tandem post tredecim saecula monet, corrigendam esse illam Romani Pontificatus ideam, quam suapte vi Apostolici Legati verba mentibus ingerunt: & Petrum quidem ut Apostolorum principem & caput in suis Successoribus adhuc vivere; idque ex Legati verbis merito colligi; at periisse, nec in Petri Successoribus vivere firmam illam fidei columnam & inconcussum Ecclesiae fundamentum, jubente Turnelio, sentiendum ac dicendum est. At Philippus aeque utrumque testatus est. Aut ergo utrumque, aut neutrum ex illius verbis colligi debet, ac proinde tantum testimonium Catholicis eripit ejusque vim labefactat, dum illud nobis eripere quoquo modo conatur. An porro hinc confici debeat, fidei indeficientis privilegium Petri Successoribus, quum Petri locum tenent, ejusque in Cathedra sedent, adserendum esse, §§. seqq. expendemus.

Eadem omnino vis est verborum, quae similiter Paschasinus S. Leonis in Concilio Chalcedonensi Legatus sententiae in Dioscorum latae Actione III. praemisit: *Unde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnae & senioris Romae Leo per nos & praesentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicae Ecclesiae, & recte fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate &c.* Quorsum & illa praefatio, nisi ut Patres intelligerent, neutiquam periisse, sed in Leone adhuc vivere, & judicium exercere petram illam & crepidinem Ecclesiae, rectaeque fidei fundamentum? Quod sane & ipsis Patribus persuasum erat, quum lecta Leonis Epistola ad Flavianum, in has statim voces eruperunt: *Petrus per Leonem loquutus est*; eique propterea ut incommutabili fidei regulae adhaeserunt. Nimirum in Leone audierant illum, qui recte fidei fundamentum est. Paullo aliter ea Paschasini verba refert Leo ipse Epist. XCIV. ad Episcopos Galliae (a), unde etiam luculentius efficitur, eam Petri praerogativam & auctoritatem, qua petra fidei & Ecclesiae fundamentum est, non ei personalem fuisse, sed ad suos Successores Romanos Pontifices transiisse: *Unde sanctus ac beatissimus Papa caput universalis Ecclesiae Leo .... Petri Apostoli praeditus dignitate*. In quonam vero posita illa erat Petri dignitas, qua Legatus Leonem praeditum praedicabat? Eam Paschasinus sequentibus verbis describit: *Petri*, inquit, *Apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamen & petra fidei caelestis regni janitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit &c.* Haec quum dicta sint ad conciliandam Leonis judicio auctoritatem; vis verborum omnino exigit, ut quae hoc loci

(a) Tom. IV. Conciliorum.

loci Petro dignitas tribuitur, eadem omnino Leonem praeditum fuisse intelligamus; ut nimirum & ipse, perinde ac Petrus, cujus erat praeditus dignitate, fundamen Ecclesiae fuerit & petra fidei.

At longe uberius eorumdem verborum vim pluribus in locis suorum operum Leo exerit. Quid enim his luculentius, quae Serm. II. in die adsumt. suae ad Pontif. disertissimus Pontifex praedicavit? *Ipse tamen* (Christus) *dilecti gregis custodiam non reliquit: de cujus principali aeternoque praesidio etiam Apostolicae opis munimen accepimus, quod utique ab opere suo non vacat: & firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiae superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est: & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit; ita permanet quod in Petro Christus instituit .... Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, Ecclesiae gubernacula non reliquit. Sic enim prae ceteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur ... qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus. Qui nunc plenius & potentius ea, quae sibi commisa sunt, peragit .... Si quid itaque a nobis recte agitur, recteque discernitur .... illius est operum atque meritorum, cujus in sede sua vivit potestas, & excellit auctoritas.* Quid hoc quaeso aliud est quam apertissime praedicare, quod Petrus in suis Successoribus adhuc vivens, adhuc per eos, & in eis, sollicitudine, meritis, potestate, auctoritate, tanquam firmissima & solidissima petra Ecclesiae molem sustentat? sicut permanet, inquit, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet quod in Petro Christus instituit: Quid vero in ipso Christus instituit? Id nimirum, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, quaedam ipsi in hoc munere cum Christo esset societas, atque, ut alibi docet, quae Christo potestate sunt propria; ut scilicet petra sit fidei, & Ecclesiae immobile fundamentum; sint Petro participatione communia: Ergo si manet adhuc dispositio veritatis, si permanet quod in Petro Christus instituit, profecto adhuc Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, incumbentis sibi templi molem, fidei perpetua soliditate sustentat, ac tamdiu sustinebit, quamdiu in ejus sede ipsius vivet potestas & excellet auctoritas.

Non ergo haec fuit in Petro singularis seu personalis praerogativa, quod firma fuit columna fidei, & inconcussum Ecclesiae fundamentum, sed hoc privilegium ad ejus Successores transmissum est, atque indivulse illius Sedi seu Cathedrae adhaeret. Quod non minus evidenter demonstrant haec ejusdem S. Pontificis verba epist. LXXXIX. ad Episcopos provinciae Viennensis adversus Hilarium Episcopum Arelatensem cap. I. (a): *Hunc* (Petrum) *in consortium individuae unitatis ad-*

 sum-

(a) Tom. IV. Conciliorum.

ſumtum, *id quod ipſe erat voluit nominari dicendo* : Tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam ; *ut aeterni aedificatio templi mirabili munere gratiae Dei in Petri ſoliditate conſiſteret* : *hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans*, *ut illam nec humana temeritas poſſet appetere*, *nec portae contra illam inferi praevalerent*. Hanc autem Petri ſoliditatem, in qua aeterni aedificatio templi Dei ordinatione conſiſtit, immote ipſius Petri ſedi ejuſque Succeſſoribus adhaerere, quae mox ſubjungit verba demonſtrant : *Verum hanc petrae iſtius ſacratiſſimam firmitatem Deo*, *ut diximus*, *aedificante conſtructam*, *nimis impia vult praeſumtione violare*, *quiſquis ejus poteſtatem tentat infringere*. Utique Hilarius non aliquam Petri perſonalem praerogativam, & proprium ipſius ac ſingulare privilegium invadebat, ſed Leoni reſiſtebat, ejuſque Sedis jura violabat ; qui tamen Leoni dicebatur petrae illius ſacratiſſimam firmitatem, ſuper quam aeterni aedificatio templi conſurgit, impetere ac violare : hoc igitur privilegium, haec inſignis praerogativa, ut firma eſſet & ſolida fidei petra, & inconcuſſum aeterni aedificii fundamentum, ad ſedem Petri Romanoſque Pontifices tranſmiſſum eſt. Et in Epiſtola ad ſecundam Synodum Epheſinam (*a*) Theodoſii Junioris fidem & pietatem laudat, quod excitatas per Eutychem in Oriente de religione graviſſimas controverſias componere volens, *hanc reverentiam divinis detulit inſtitutis*, *ut ad ſanctae diſpoſitionis effectum*, *auctoritatem Apoſtolicae Sedis adhiberet*, *tanquam ab ipſo beatiſſimo Petro cuperet declarari*, *quod in ejus fide laudatum ſit*. Quae cum ſuperioribus optime cohaerent, ex eiſque lumen mutuantur : & hic enim Petrus ipſe Leoni dicitur velut adhuc in ſua reſidens Sede, evangelica dogmata ſuamque fidem interpretari. Cui concinunt illa S. Petri Chryſologi ad Eutychem (*b*) : *Beatus Petrus*, *qui in propria ſede & vivit & praeſidet*, *praeſtat quaerentibus fidei veritatem*. Ideoque veſanum Haereſiarcham hortatur, *ut his*, *quae a beatiſſimo Papa Romanae civitatis ſcripta ſunt*, *obedienter attendat*. Profecto verendum non eſt, ne Petrus in ſua ſede vivens & praeſidens a petrae fortitudine & ſoliditate recedat ; ac proinde ad Petri ſedem, ejuſque in ea Succeſſores, qui velut una cum Petro perſona ſpectari debent, haec praerogativa tranſmiſſa eſt, ut ſint firma & ſolida fidei petra, & inconcuſſum Eccleſiae fundamentum.

Haec eadem traditio etiam ad ſequentia ſaecula propagata eſt. Ita ſaeculo ſexto Poſſeſſor Epiſcopus Africanus Conſtantinopoli degens, & de Fauſti Reienſis libris Hormiſdam Pontificem conſulens : *A quo*, inquit, *magis eſt nutantis fidei ſtabilitas expectanda*, *quam ab ejus ſedis Praeſide*, *cujus primus a Chriſto rector audivit* : „ Tu es Petrus, & „ ſuper hanc petram aedificabo Ec„ cleſiam meam ? qui proinde ad ſuos

(*a*) 1. Par. Conc. Chalcedonen. cap. XIII.
(*b*) 1. Par. Conc. Chalced. cap. XV.

suos in eadem sede Successores hoc privilegium transmisit, ut sint nutantis fidei stabilitas; proindeque & ejusdem fidei petra, columna & fundamentum.

Clarius adhuc & luculentius eadem veritas constat ex libello seu professione fidei, quem ad eumdem Hormisdam Johannes Constantinopolitanus Patiarcha transmisit: *Non potest Domini Jesu Christi praetermitti sententia dicentis*: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Haec quae Petro dicta sunt, vera probantur effectu; quia in Sede Apostolica inviolabilis semper religio custoditur .... In Apostolica Sede est integra Christianae religionis & perfecta soliditas.* Hunc autem aut similis formae libellum, ut alibi etiam animadversum, subscribere hoc saeculo cogebantur, quotquot ab Acaciano schismate recedentes ad Sedis Apostolicae communionem adspirabant. Ergo Orientales Episcopi sollenniter hoc saeculo profitebantur, in Apostolica Sede inviolabilem esse & perfectam Christianae religionis soliditatem, quia non potest Christi promissio deficere; *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* quae proinde verba, quibus Petrus solida & inviolabilis Christianae religionis & fidei petra constitutus est, ad ipsam quoque Petri Sedem ejusque in ea Successores referenda sunt.

Hoc eodem saeculo desinente, aut sub initium sequentis haec ad Theodelindam Longobardorum Reginam Gregorius Magnus scribebat (a): *In vera fide persistite; & vitam vestram in petra Ecclesiae, hoc est in confessione Beati Petri Apostolorum principis solidate.* Confessionem Apostolorum principis vocat, non illam, quam a Christo cum ceteris Apostolis interrogatus emisit; sed quam Ecclesia vel Sedes Beati Petri Apostolorum principis, in qua ipse adhuc vivit & praesidet *, profitebatur. Praemiserat enim: *Dignum est, ut de Ecclesia Beati Petri Apostolorum principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis*; statimque addidit: *sed in vera fide persistite &c.* Itaque, auctore Gregorio, petra illa Ecclesiae, super quam fides vera subsistit & solidatur, haud alia est quam Beati Principis Apostolorum Sedes seu fides ac doctrina, quam ipsa profiteatur.

Saeculo septimo S. Maximus Martyr in epistola ad Abbatem Thalassium de Legatis Sedis Apostolicae loquens Constantinopolim ad Heraclium profectis, eos *stabiles* vocat *& firmae revera & immobilis petrae Ministros, maximae videlicet & Apostolicae, quae illic* (Romae) *est, Ecclesiae.*

Eodem saeculo S. Sophronius Hierosolymitanus Patiarcha Stephanum Dorensem Episcopum, ad urgendam Monothelitarum damnationem, *ad Apostolicam Sedem* se se conferre jube-

(a) Lib. III. Epist. XXXI. Tomo VI. Concilior.

* Id etiam S. Eulogius Alexand. Episcopus in suis ad S. Gregorium litteris agnoscebat, ut constat ex ejusdem S. Pontificis ad eum Epistola XXXVII. lib. VI. Reg. *Suavissima mihi Sanctitas vestra multa in epistolis suis de Sancti Petri Apostolorum principis Cathedra locuta est, dicens, quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat.*

jubebat *ubi*, inquiebat, *orthodoxorum dogmatum fundamenta exsistunt*: quae illius verba Stephanus ipse libello supplici inseruit, quem Secretario II. Concilii Lateranensis S. Martino I. porrexit.

Sed nihil de hac re magnificentius & excelsius desiderari potest his Sergii Cypriensis Metropolitae verbis in epistola ad Theodorum Papam, quae lecta est in eodem mox laudatae Synodi Secretario: *Firmamentum a Deo fixum & immobile*, καὶ στηλογραφίαν διαφανῆ τῆς πίστεως, *ac tituli seu columnae fidei formam lucidissimam referentem, vestram Apostolicam Sedem constituit, o Sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt*. Romanum Pontificem Petrum vocat, eumque iisdem titulis & encomiis exornat, quibus Legati Sedis Apostolicae in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi Petrum ipsu exornarunt; fixum appellans & immobile fundamentum, & columnam lucidissimam fidei; quae proinde Cypriorum Episcoporum judicio personales non fuerunt Principis Apostolorum praerogativae.

Ejusdem sensus ac spiritus sunt quae Patres sextae Synodi in Synodicis litteris Agathoni Papae scripserunt, *stanti* (eorum verba sunt sub ipsum fere litterarum initium) *super firmam fidei petram*: litterasque ex ea fidei firma petra ad Imperatorem transmissas, *ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas* sese agnovisse testaatur, *per quas*, inquiunt, *exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus*. Ergo quae ex Petri Cathedra, illa nimirum firma fidei petra, Romani Pontifices scribebant, velut ipsius Apostolorum Principis verba, & tanquam certissimam fidei regulam, qua haereses profligarentur, oecumenicae Synodi suscipiebant. Hinc in eadem VI. Synodo Act. VIII. Domitius Episcopus Prusiados easdem Agathonis litteras, *tanquam ex Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum Petri, & digito praedicti ter beatissimi Papae Agathonis scriptas*, sese suscipere & amplecti, atque ut in eis decretum est, ita credere profitebatur. Quae, ut mox vidimus in suis ad Agathonem litteris Synodus universa probavit: iisdemque & Imperator ipse Constantinus Pogonatus consensit, tum in epistola ad Leonem II. tum in altera ad Synodum Sedis Apostolicae his verbis: *Tamquam ipsius divini Petri vocem Agathonis Relationem supermirati sumus*.

S. Theodorus Studites post initium saeculi noni suo & aliorum Praepositorum nomine ad Paschalem I. Romanum Pontificem scribens, his eum verbis compellabat (a): *Audi Apostolorum caput, a Deo praepositae pastor ovium Christi, janitor regni caelorum*, PETRA FIDEI, *super quam aedificata est Catholica Ecclesia*. PETRUS ENIM TU, *Petri Sedem exornans & gubernans*.

Nicolaus I. epistola XXXVII. ad Hincmarum Remensem Episcopum: Tu

(a) Lib. II. Epist. XII.

Tu autem, frater carissime, omnem inobedientiam depone . . . . . ad Apostolicam Petri sedem quantocius dirigere studeas, si tuam caritatem in integritate firmissimae petrae desideras collocare, ubi Christus Domum suam fundavit.

Aeneas Parisiensis Episcopus in praefatione libri, quo Graecorum errores ejusdem Nicolai hortatu refellit, observat, non esse mirum, hoc nunquam in Apostolica Sede dedecus contigisse, ut in ea haeresiarches sederet, quoniam illam summus Apostolorum princeps sessione sua illustravit, & fuso sanguine consecravit: Huic vero dictum a Domino fuerat: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, &, Tibi dabo claves regni caelorum.* Ex quibus in hunc modum argumentatur: *Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem quum Petrum dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit.* Quae profecto nihil ad Ecclesiam Romanam pertinent, nisi Petri successores velut una cum ipso persona spectentur; & nisi firmitas fidei, qua ipsum cum Petri nomine Christus donavit, ad Rom. Pontifices una cum Sede & summo Ecclesiae principatu transmissa sit.

Saeculo XI. S. Petrus Damiani Ecclesiam Romanam matrem fidei vocabat; ac propterea velut fidei constupratorem & haereticum insectabatur, quicumque in eam temere insiluisset (a): *Hic proculdubio in haeresim labitur, & dicendus est haereticus: fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quae mater est fidei.*

Denique, ut alios omittam quorum testimoniis haec disputatio locupletari posset, saeculo XII. S. Thomas Cantuariensis Episcopus & Martyr scribens ad omnes Episcopos Angliae: *Quis*, inquit (b), *Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicae doctrinae ambigat esse? . . . . . Nonne in fide & doctrina Petri totius Ecclesiae structura consurgit? Quicumque sit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi qui plantavit in fide Petri, & doctrinae ipsius adquiescit.*

Ex hac testimoniorum serie, & veterum Patrum constanti traditione discere Lector poterit, quam nullo jure Turnelius hanc esse adfirmaverit Apostolorum principis personalem praerogativam, ut firma fuerit fidei petra, & inconcussum Ecclesiae fundamentum; & quam temere ejusmodi privilegium Sedi Apostolicae Romanisque Pontificibus eripuerit, quod illis omnium fere saeculorum traditione vindicamus: quum ipse nullum omnino producere possit vetus testimonium, quo diserte adfirmetur, illud non fuisse ad Petri successores una cum Sede & summo Ecclesiae principatu transmissum. Jam vero si pro libito ac despecta Patrum traditione ea Christi verba: *Tu es Petrus &c.* interpretari fas est; dandae manus haereticis erunt praefracte negantibus, ea ullo modo ad Romanos Pontifices pertinere; aut si quod Petro eximium & singulare privilegium, vel in ceteros Apostolos pria-

(a) Tom. III. Opusc. V.
(b) Lib. I, Epist. XCVII.

principatus concessus est, eum ad eosdem Romanos Pontifices transiisse: quos profecto non melius & efficacius quam Patrum traditione refellimus. Haec porro non modo qualemcunque principatum a Petro in ejus successores derivat, verum & indeficientem in proponendis ex Petri Cathedra fidei dogmatibus firmitatem; imo Petrum ipsum, hoc est, firmissimam illam fidei petram, columnam & fundamentum, velut adhuc in sua Cathedra & Sede viventem ac docentem exhibet, ac spectare docet Romanos Pontifices velut unam cum Petro personam, iisdemque ipsos ac Petrum praeconiis celebrat, ac titulis exornat.

Verum, ut quod res est fateamur, unus ex primaeva antiquitate occurrit celeberrimus Scriptor, quem suae opinionis testum Turnelius laudare potest, scilicet Tertullianus in libro de Pudicitia cap. XXI. ubi & verba illa: *Tu es Petrus &c.* ad solam Petri personam referenda esse, diserte docet: & quod super illum velut immobile fundamentum Ecclesia aedificata sit; & quod ad fidei controversias dirimendas summam habuerit & irretractabilem auctoritatem; personales fuisse Petri praerogativas, idem Auctor commentus est. En ejus verba: *De qua nunc sententia quaero, unde hoc jus Ecclesiae usurpes? Si quia dixerit Petro Dominus:* Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam &c. *idcirco praesumis & ad te derivasse solvendi & alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam: qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem?* Super te, *inquit*, aedificabo Ecclesiam meam: *Et:* dabo tibi claves, *non Ecclesiae: Et:* Quaecumque solveris, vel alligaveris, *non quae solverint vel alligaverint. Sic enim & exitus docet. In ipso Ecclesia exstructa est, id est per ipsum. Ipse clavem imbuit... Sed & in illa disceptatione custodiente nec ne legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, & de nationum vocatione praefatus:* Et nunc, *inquit*, cur tentastis Dominum &c. *Haec sententia & solvit quae omissa sunt legis, & alligavit quae reservata sunt.* Has ergo Tertullianus fuisse contendit personales Petri praerogativas. Sed ejus testimonii pudere Turnelium debet, quum is liber in lucem editus sit, postquam ejus Auctor ad Montani castra defecerat: adeoque ex haeretica officina prodiisse demonstrat Turnelianam hanc Christi verborum interpretationem, quae ad solam Petri personam refert ejusmodi privilegium, quod ejus sententia exortae circa fidem morumque disciplinam disceptationes absoluta & indeclinabili auctoritate solvi ac definiri potuerint.

§. II.

Ex eo quod Romani Pontifices vel Sedes Apostolica sint petra fidei & Ecclesiae fundamentum, jure colligitur, Ecclesiae fidem atque doctrinam ex Romanorum Pontificum aut Sedis Apostolicae doctrina & auctoritate pendere.

Hanc quoque thesim potissimum adversus Turnelium statuo, qui loco superius citato longe quam » Bossuetius audacius hanc Sedi Apostolicae

licae praerogativam adimit : ,, Petrus,
,, *inquit*, ejusque successor Romanus
,, Pontifex immobilis est ac firma
,, Ecclesiae petra, quamdiu toti ae-
,, dificio tenaciter adhaeret. Sicut
,, enim petra non est domus funda-
,, mentum, nisi cum domui substerni-
,, tur & ipsi conjuncta est : ita Pon-
,, tifex non potest esse fundamentum
,, Ecclesiae, nisi illi substernatur ;
,, hoc est, ei conjunctus sit consen-
,, sione ejusdem fidei ac doctrinae.
,, Atque hîc in eo manca est ac defi-
,, cit comparatio domus materialis
,, cum suo fundamento, quod firmi-
,, tas ac soliditas domus materialis
,, omnino pendeat ex firmitate funda-
,, menti cui subnixa est ; firmitas ve-
,, ro spiritualis fundamenti (*f. domus*,
,, *erat aedificii*) Ecclesiae ab uno Chri-
,, sto immediate profluat, qui eam
,, sanguine suo acquisivit, quique est
,, ipsius fundamentum essentiale, pri-
,, marium & internum ; non vero a
,, Romano Pontifice, qui dumtaxat
,, fundamentum est Ecclesiae acciden-
,, tale, externum, secundarim & mi-
,, nisteriale ; in quo proinde Eccle-
,, sia non fundatur, nisi quatenus ipse
,, cum toto Ecclesiae aedificio, ut
,, oportet, cohaeret ac conjungitur,
,, a quo suam ipse firmitatem trahe-
,, re debet, sicut egregie docet Six-
,, tus III. S. Pontifex in epist. X. ad
,, Episcopos Illyrici : *Ut omne cor-*
,, *pus*, ait, *capite regitur, ita ip-*
,, *sum caput nisi suo corpore sustente-*
,, *tur, firmitatem & vigorem suum*
,, *perdit, & non tenet quam habuerat*
,, *dignitatem* .... Unde non audien-
,, dus Bellarminus cum ait, Eccle-
,, siae firmitatem a Petro ejusque suc-
,, cessore Romano Pontifice pen-
,, dere. Non ita est profecto : pen-
,, det enim a Christo suo auctore ac
,, institutore, quem habet semper
,, praesentem, ac jugi influxu sem-
,, per praesidentem : *Vobiscum sum*
omnibus diebus. Haec ille, hisque si-
milia, quod ad substantiam doctrinae
pertinet, etiam Meldensis Episcopus
docet, sed verbis longe magis ad mo-
destiam compositis. Ait enim, quod
,, mutuam sibi operam fundamentum
,, ipsum compagesque, praestant :
,, atque ut compages fundamento su-
,, stentatur, sic fundamentum com-
,, page protegitur. Quae quodamo-
do admitti possent, nisi & ipse reap-
se & in hoc ipso capite Ecclesiae fir-
mitatem proxime & ἀμέσως a Chri-
sto aedificante, non autem fundamen-
ti soliditate ac firmitate, derivaret.
Quod sequenti §. data opera confuta-
bimus. Interim vero Turnelium im-
primis aggrediemur, ut qui sine fuco,
& nullis pigmentis oblitam doctri-
nam adversariorum exponat.

Atque hic imprimis occurrunt no-
tissima illa S. Leonis verba Serm. III.
de anniversf. die assumt. suae : *Specia-*
lis a Domnio Petri cura suscipitur,
& pro fide Petri proprie supplicatur,
tanquam aliorum status certior sit fu-
turus, si mens principis victa non fue-
rit. In Petro ergo omnium fortitudo
munitur, & divinae gratiae ita ordi-
natur auxilium, ut firmitas, quae per
Christum Petro tribuitur, per Petrum
Apostolis conferatur.

Respondet Turnelius, singulare
hoc fuisse ac personale Apostolorum
principis privilegium : ,, An porro,
,, *inquit*, dicet Bellarminus, singu-
,, lare ac personale donum perseve-
,, rantiae finalis in gratia & fide
,, S. Pe-

„ S. Petro datum, ad Successores ejus „ transmitti? Non puto. Eademque Meldensis Episcopi infra capite quarto responsio est.

Non quidem dicimus, singulare ac personale donum perseverantiae finalis in gratia & fide S. Petro datum, ad Successores ejus transmitti. At meminisse oportet eorum, quae superiori §. ex eodem S. Pontifice exscripta sunt: quod nimirum soliditas illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est: & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. Quod manet adhuc dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Denique quod adhuc in Petri sede ejus vivit potestas & excellit auctoritas. Itaque manet adhuc in Ecclesia haec divinae veritatis dispositio, ut Petrus omnium fortitudo sit; ac firmitas, quae per Christum Petro tributa est, per Petrum adhuc in sua Sede viventem omnibus conferatur.

Verum id magis perspicue constabit, si tota illius loci series & scopus prae oculis habeatur. Praemiserat enim hoc veluti totius Sermonis argumentum, quod Petrus *ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut quum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit*. Quam ille thesim uberius enarrans & exponens, statim subjungit: *Nihil indispositum sapientiae, nihil erat arduum potestati .... Et tamen de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic Viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio: & si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.* Quis nisi plane desipiat, negaverit hoc argumentum, hanc thesim ad Petrum, non ut privatam personam, sed tanquam totius Ecclesiae caput omniumque Pastorum & Sacerdotum principem esse referendam; & propterea hanc personalem non esse ejusdem Petri praerogativam, sed quae ad ejus Successores transierit? aut quod eodem recidit, hanc thesim intelligendam esse de Petro, prout adhuc in suis Successoribus vivit, unamque veluti cum eis personam constituit. Haec ergo Petro per Christum fuisse collata; quae propositae thesis confirmatio est? duplici demonstrat Evangelico testimonio, quod utrumque copiose atque eleganter edisserit. Primum petit ex cap. XVI. Matthaei: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam &c.* unde inter cetera colligit, quod supra fidem & confessionem Petri Ecclesia universa consistit, & quod huic firmissimae petrae aeterni aedificii moles incumbit: *super hanc fortitudinem aeternum exstruam templum, & Ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget*. Quae, ut supra ostendimus, & sermonis scopus & argumentum demonstrant, non de fidei Petri seorsim & absolute spectata

ctata intelligi debent, sed ut ab ipso ea fidei professio edita est, ac specialem ad ipsum velut ad fidei petram, & columnam, & immobilem fundamentum σχέσιν & respectum habet. Tum adjungit alterum locum ex Lucae cap. XXII. *Simon, Simon...... Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex quibus dum jure ac merito colligit quae superius descripta sunt: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur &c.* quis non videat haec & similia ad primarium illum totius sermonis scopum & propositum esse referenda, quod verbis paullo superius relatis disertissimus Pontifex adumbravit? *De toto mundo unus Petrus eligitur &c.* Quibus Petri primatum describi ac demonstrari, cum aliis Theologis Turnelius sentit (*a*), ad illum adstruendum his verbis utitur; eoque etiam haec refert Capitis III. verba (*b*): *Transivit, quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius, & ad omnes Ecclesiae principes decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur &c.* Quum igitur haec sancti Pontificis verba de Petro ut Apostolorum principe intelligenda sint; quumque his Petri primatus ac principatus, qui utique ad Romanos Pontifices transiit, praerogativae demonstrentur; quis ferat, ut quae in eodem capite subjungit, alio torqueantur, & de peculiaribus ac personalibus Petri privilegiis intelligantur? Praecipue quum sanctus ipse Pontifex disertis verbis significet, se se de Petro non ut privata persona, sed tanquam Principe loqui. *Tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit*: Et tum haec, tum ea quae mox adjicit: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur &c.* confirmatio sint hujus Theseos, quam initio sermonis statuit: *nihil in quemquam sine illius* (Petri) *participatione transivit.....&, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis* (*Principibus*) *non negavit*. Quae certe ad Petrum ut ad principem spectant, & ad Petri principatum adstruendum, qui utique in Romanos Pontifices transit, ab ipsis Adversariis, ut jam diximus, adhibentur. Ac proinde verba illa: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur &c.* id aperte significant, quod ex Sedis Apostolicae, in qua Petri vivit potestas & excellit auctoritas, firmitate ac soliditate fidei, totius Ecclesiae firmitas & soliditas pendet.

S. Avitus Viennensis Episcopus in epistola ad Faustum & Symmachum Urbis Senatores, qua Italiae Episcopos culpandos docet, quod velut ad judicandam Symmachi Pontificis caussam ad Romanam Synodum convenissent; ut universus Episcopatus, ac proinde universa Ecclesia a Romano Pontifice tanquam a fundamento domus, seu corpus a vertice pendeat, sequentibus verbis non ex suo tantum, verum & omnium Episcoporum Galliae sensu, demonstrat (*c*): *Dum de caussa Romanae Ecclesiae anxii nimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum*

(*a*) De Eccles. Quaest. V. art. I. pag. 17. Edit. Paris.
(*b*) Ibid. pag. 8. vid. & Nat. Alex. Dissert. IV. in Hist. saec. 1. pag. 254. & 261. edit. Paris. an. 1676.
(*c*) Tom. V. Conciliorum.

nostrum in lacessito vertice sentientes; quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat; si statum Principis obruisset: perlata est solicitudini nostrae &c. Et infra: *In conspectu vestro non sit Ecclesiae minor quam Reipublicae status; quodque vobis Deus posse praestitit, prosit & nobis: nec minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo, quae Romae geritur caussa, cogitanda est. In Sacerdotibus ceteris potest, si quid forte nutaverit, reformari. At si Papa Urbis vocatur in dubium, EPISCOPATUS JAM VIDEBITUR NON EPISCOPUS VACILLARE. Nostis bene, inter quas haeresum tempestates, veluti ventis circumstantibus, fidei puppim ducamus. Si nobiscum hujusmodi pericula formidatis, expedit ut Gubernatorem vestrum participato labore tueamini.* Injurias, quibus Romanus Pontifex adspergebatur, tanquam sibi illatas Galliarum Episcopi reputabant: Sedis Apostolicae auctoritatem labefactari dolebant, perinde atque proprius eorum status fuisset in lacessito vertice appetitus: In iis quae Romae geruntur, non unam, sed omnes Ecclesias cogitandas esse, quibus omnibus consulit, quisquis unius Ecclesiae Romanae jura & privilegia sarta tectaque tuetur: contra vero qui in Romani Pontificis auctoritatem impetum facit, non unum aliquem singularem Episcopum laedit, sed in ipsum Episcopatum invadit, qui velut concusso fundamento nutare & vacillare videtur. Hos autem haud proprios sibique peculiares, sed communes fuisse omnium Episcoporum Galliae sensus, sub ipsum fere epistolae initium his S. Avitus verbis testatur: *Quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo Ordini vestro pagina haec aliquod moveat quasi ab uno directa fastidium; quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minus per mandata quam per litteras oneratus, quaecumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi.* Quod autem olim sanctissimi illi Galliarum Episcopi ad Senatores Urbis scribebant; nempe in lacessito vertice ipsum quoque appeti Episcopatum; id hodie eorum Successores ipso quoque experimento compertum habent. Nam qui praefractius in Sedem Apostolicam irruunt, hos etiam videmus ipsius quoque Episcopatus jura impudentissime violare, eademque contumacia, qua Romanis Pontificibus resistunt, suis quoque Episcopis obluctari: ad quorum sana impetus retundendos Episcopalis auctoritas impar erit, nisi petrae fidei & Ecclesiae fundamento tanto arctiori glutino hahaereat, quanto procacius quidam & immanius vel in ipsam fidem, vel in Ecclesiae potestatem suis pravis opinionibus debacchantur. Ad vos ergo Galliarum Episcopi, summa qua debemus reverentia, ea hodie dirigimus, quae olim ad Senatores Urbis Majores vestri scribebant: *Nostis bene, inter quas haeresum tempestates, veluti ventis circumstantibus, fidei puppim* Romani Episcopi ducant. *Si nobiscum hujusmodi pericula formidatis, expedit ut Gubernatorem vestrum participato labore tueamini.*

At ne in singulis Patrum locis referendis immoremur, qui nostro dogmati suffragantur; libet ea generatim ex-

expendere, quae superiori §. in medium adlata sunt. Quum enim Patres, Concilia, Pontifices Sedem Apostolicam, Romanam Ecclesiam Romanosve Pontifices, fidei petram, & Ecclesiae columnam & immobile fundamentum appellant: quum dicunt, fidem, sive Ecclesiam in hujusce petrae firmitate & soliditate subsistere: quum docent, Ecclesiae structuram in fide & doctrina Petri consurgere; Petri Sedem Ecclesiae firmamentum esse; super hoc firmamentum Ecclesiae columnas esse confirmatas, ipsique totius aedificii molem imcumbere: quum, inquam, haec Patres docent, praedicant, & passim inculcant; annon ejus mentem praejudicatis opinionibus occupatam esse putandum est, qui statim non intelligat, ita plane Ecclesiam ejusque fidem atque doctrinam ab Apostolicae Sedis Romanorumque Pontificum fide & auctoritate pendere, quemadmodum domus aut quodcumque aliud aedificium a fundamento pendet? Nec juvat Turnelii responsio ,, in eo mancam esse ac de- ,, ficere comparationem domus mate- ,, rialis cum suo fundamento, quod ,, firmitas ac soliditas domus materia- ,, lis omnino pendeat ex firmitate ,, fundamenti, cui subnixa est; fir- ,, mitas vero spiritualis fundamenti ,, Ecclesiae ab uno Christo immedia- ,, te profluat.... non vero a Roma- ,, no Pontifice &c. *Et infra quum* ,, *monet* ,, non esse audiendum Bel- ,, larminum, quum ait Ecclesiae fir- ,, mitatem a Petro ejusque Successo- ,, re Romano Pontifice pendere: non juvat, inquam, ejusmodi responsio. Nam 1. ii, quos hactenus laudavi, & de quibus nunc agimus, Patres, Romani Pontifices, & Oecumenicae Synodi cum eam comparationem instituunt domus cum suo fundamento, & Ecclesiae cum Sede Petri, in eo potissimum ut, jam vidimus, hanc comparationem & similitudinem collocant, quod quemadmodum firmitas & soliditas domus materialis omnino pendet a firmitate fundamenti, cui subnixa est: ita firmitas spiritualis domus seu templi, quod est Ecclesia, omnino pendet ab hac firmissima petra, supra quam ex Christi institutione hujusce spiritualis aeternique aedificii altitudo consurgit. Quis ergo ferat, Catholicum Theologum serio monere, in eo mancam esse ac deficere ejusmodi similitudinem, in quo Patres, qui illam adhibent, eam imprimis reponunt? Deinde fundamenti atque aedificii nomina a rebus corporeis & materialibus ad significandam Sedem Apostolicam & Ecclesiam, translata sunt; oportet ergo ut similes utrinque notiones excitent: usus enim harumce similitudinum ac troporum non est ideas notionesque rerum invertere ac perturbare, sed eas potius componere, & in optimo lumine collocare. Quis porro fundamenti nomine aliud in rebus corporeis & materialibus intellexit, quam quod reliquum aedificium firmitate sua & soliditate sustentat? quemadmodum aedificii nomine eam quisque molem seu compagem intelligit, cujus a fundamento firmitas & soliditas pendet. Si ergo ab Apostolicae Sedis aut Romani Pontificis immobili firmitate firmitas Ecclesiae minime pendet, sed contra ipsi potius Romani Pontifices aut Sedes Apostolica ab Ecclesiae Catholicae firmitate, ut Adversarii contendunt; perperam omnino veteres

Patres Sedem Apostolicam fundamento: Ecclesiam vero aedificio similem praedicarunt, perinde atque ista ab illa regatur & sustentetur: quod plane haec nomina & haec analogia significare videntur; quum tamen non modo, uti Turnelio placet, in eo manca sit ac deficiat ejusmodi comparatio, verum, & contra res accidat, & quod fundamenti locum obtinet, ab aedificio regi & sustentari dicatur. Quod autem idem Auctor adjungit, firmitatem Ecclesiae ab uno Christo immediate profluere, non vero a Romano Pontifice, id superius relatis S. Leonis verbis apertissime refragatur: *Quum multa solus, acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transivit ...... Quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regit Petrus, quos principaliter regit & Christus ...... Si quid cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit .... In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Sunt aliae apud veteres Patres similitudines, ex quibus eadem veritas, quod nempe Ecclesia a Romano Pontifice pendeat, non autem Romanus Pontifex ab Ecclesia, non minus aperte colligitur; velut illa radicis & arboris apud S. Cyprianum (*a*) Gelasium Papam (*b*) & alios; ut enim Apostolus ait (*c*): *Non tu radicem portas, sed radix te*: & illa fontis & rivulorum apud Innocentium I. epistola XXV. ad Patres Conc. Milev. & in epistola PP. Africanorum ad Theodorum Papam Secret. II. Concilii Lateranensis sub S. Martino I. Non enim a flumine aut a rivulis fons, sed a fonte flumen aut rivuli pendent: & illa capitis & corporis seu membrorum apud Patres Concilii Chalcedonensis in epistola seu Relatione ad S. Leonem: Non enim a membris caput, sed a capite corpus & universa membra reguntur. Nisi forte quoniam & ipsum caput nisi membris adhaereat, vigorem suum perdit, ideo dicendum est, caput vigorem suum ex membris trahere, uti Turnelius adfirmat: adeo ipse, dum praejudicatis opinionibus serviat, minime dubitat ac veretur, rerum ideas & communes notiones invertere! „ In Romano Pontifice, *inquit*, Ecclesia non fundatur, nisi quatenus „ ipse cum toto Ecclesiae aedificio, „ ut oportet, cohaeret ac conjungitur, a quo suam ipse firmitatem „ trahere debet, sicut egregie docet „ Syxtus III. S. Pontifex in epistola X. * ad Episcopos Illyrici: *Ut* „ *omne corpus*, ait, *capite regitur*: „ *ita ipsum caput, nisi suo corpore* „ *sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenent* „ *quam habuerat dignitatem*. De Romano Pontifice Syxtus ibi non loquitur, sed de concordia & unione, quae intercedere debet inter Epi-

(*a*) Tract. de Unit. Ecclesiae.
(*b*) Epist. VIII. ad Anastas. Imperat.
(*c*) Ad Rom. cap. XI. vers. 18.
* Seu potius XVII. in ea Collect. quae a Luca Holstenio vulgata est una cum Actis Concil. III. Romani sub Bonifacio II. an. DXXXI.

Episcopos provinciae & eorum Metropolitanum. Si autem, quoniam propositio generalis est, eam quoque ad Romanum Pontificem transferre Turnelius vult; pari nos quoque ratione capiti tum naturali, tum politico eamdem accommodabimus. Nam & caput naturalis corporis, unde similitudo & analogia derivata est, si a reliquo corpore divulsum & abscissum fuerit, vigorem suum amittit; numquid ergo & caput corporis naturalis Turnelius dicet vigorem a membris trahere; & caput a membris, non a capite membra pendere? Quin & Rex politicum regni caput nisi multitudini & regni proceribus & magistratibus ut oportet cohaereat, sed ab eis temere & improvide sejungatur, vigorem & ipse suum amittet: Numquid ergo & Regis vigorem & auctoritatem a Proceribus & Magistratibus, & consensu multitudinis Gallus Theologus derivabit, docebitque non Regnum a rege, sed Regem a regno pendere? Quod si ipse absurdum & ineptum reputabit; quo jure ex iis Syxti verbis, quae aeque in caput naturalis & politici corporis quadrant, colligere sibi videtur, Ecclesiae firmitatem a Petro ejusque successore Romano Pontifice minime pendere, quum ipse potius suam ab Ecclesia firmitatem trahere debeat? Id enim prorsus illae radicis & arboris, fontis & rivulorum, capitis & corporis seu membrorum, fundamenti atque aedificii similitudines respuunt. Nec tamen prorsus negamus, quin Romano Pontifici alii per orbem Episcopi, dum ipsi mutua concordia & indivulsa caritate adhaerent, eumque suis & ad Deum precibus, & doctrina, & consiliis adjuvant, esse utiles possint; quemadmodum; ut & Meldensi Episcopo scite observatum est; mutuam sibi operam fundamentum ipsum compagesque praestant, atque ut compages fundamento sustentatur, sic fundamentum compage protegitur. At quod statim adjungit, non improbare non possumus; „ ipsique fundamen„ to, scilicet Romanae Sedi, non „ nudo tantum obsequio, sed etiam „ adunati, auctoritate provident; id, inquam, dum in Romana Sede legitimus & indubius Pontifex sedet, admittere non possumus; & Ennodii Ticinensis verbis & auctoritate refellimus, qui in libello Apologetico, quem Synodus Romana quinta sub Symmacho vim decreti obtinere voluit, hanc, ut suo loco videbimus, quorumdam illius aevi schismaticorum cogitationem disjecit: *Praenoscit enim* (Petrus) *quid Ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur. Sed hinc actibus vestris caelestem potentiam putatis esse suffragio, quod ad praesidium Beati Apostoli adjutricem, ut dicitis, dexteram commodatis. Nescitis, stolidi, Solem facibus non juvari, nec ad praesidium divinae lucis lychnos accendi?*

§. III.

§. III.

Verba illa : Et portae inferi non praevalebunt adversus eam, *non modo ad universam Ecclesiam, & ad Petrum; verum & ad Petri Sedem ejusque in ea successores, ab antiquis Patribus referuntur.*

Refert imprimis ad Sedem Apostolicam ea Christi verba S. Leo epist. LXXXIX. ad Episcopos Provinciae Viennensis ita scribens: *Hunc enim* (Petrum) *in consortium individuae unitatis adsumtum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo:* Tu es Petrus &c. *ut aeterni aedificatio templi, mirabili munere gratiae Dei, in Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent.* Hanc autem Petri soliditatem, in qua aeterni aedificatio templi consistit, quaeque Ecclesiae tribuit, ut portae contra illam inferi non praevaleant, etiam ad Sedem Apostolicam transiisse, ex iis quae statim adjungit, manifestissime constat: *Verum hanc petrae istius sacratissimam firmitatem, Deo, ut diximus, aedificante constructam, nimis impia vult praesumtione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere.* Si ergo adversus Ecclesiam inferi portae ideo praevalere non possunt, quoniam in petrae illius sacratissima firmitate & soliditate consistit; multo minus adversus ipsam petram, id est Sedem Apostolicam poterunt eaedem inferi portae praevalere. Idemque argumentum elici poterit ex iis omnibus veterum Patrum testimoniis, quibus praecedentibus §§. demonstravi, Sedem Apostolicam fidei petram, & Ecclesiae columnam & fundamentum esse; a quo proinde ipsius Ecclesiae firmitas & soliditas pendeat. At praeterea id etiam aliis Patrum locis confirmamus, quibus thesis nostra apertissime continetur.

Quid enim disertius his S. Augustini verbis, quae etiam superius adlata sunt?

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa
Petri Sede:
Et in ordine illo Patrum, quis,
cui successit videte.
Ipsa est Petra, quam non vincunt
superbae inferorum portae.

Palam est ea, de quibus nunc agimus, Christi verba Sanctum Augustinum hoc loco ad Petri Sedem referre.

Nec minus perspicue S. Gelasius Papa in Commonitorio ad Faustum: *Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant; potius cogitantes, Christi vocem non esse superfluam, quae Confessioni Beati Petri Apostoli inferni portas nunquam praevalituras asseruit.* Confessio Beati Petri, adversus quam inferi portas nunquam praevalituras Christus promisit, eadem esse videtur ac Sedes Petri, quam ei potissimum loco adfixam Veteres cogitarunt, quem ipsi quoque, haud secus ac nos hodie, Petri Confessionem jam inde a vetustioribus saeculis appellarunt. At quae statim adjicit luculentius etiam demonstrant, haec Christi verba eo esse, ex mente Sancti Pontificis, referenda. *Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, quam & vox Christi,* (qua nimirum inferi portas

Petri

Petri confessioni nunquam praevalituras esse promisit) *& Majorum traditio*, *& Canonum fulcit auctoritas*, *ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet*. Probat ergo Sedis Apostolicae sententiam resolvi non posse, tum ea quam diximus Christi voce, tum Majorum traditione, tum denique Canonum auctoritate; ac proinde ea Christi vox ad Sedem Apostolicam, Gelasio auctore, referri debet. Sed haec lucem accipere ampliorem possunt ex aliis ejusdem Sancti Pontificis locis.

Epistola enim octava ad Anastasium Imperatorem haec in eamdem sententiam laudatus Gelasius scribit: *Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel* CONFESSIONI, *quem Christi vox praetulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet devota Primatem. Impeti possunt humanis praesumtionibus; quae divino sunt judicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacrae religionis auctore praefixum est, non potest ulla virtute convelli*: „ Firmamentum enim Dei „ stat. Et intra: *Quia mundo radix est Apostoli Petri gloriosa* CONFESSIO &c. Quem locum Bossuetius infra cap. VI. eleganter illustrat: „ Qua voce, „ *inquit*, designari solet Ecclesiasti- „ co stylo sacer ille & omni honore „ prosequendus locus, quo Apostolorum condita corpora Ecclesiae „ Romanae, totique Christianitati, „ nec minus Orbi quam Urbi tutelae „ sunt. Sic enim idem ad Euphemianum (al. *Euphemium*) Constantinopolitanum Patriarcham (a): *Veniemus*, *frater Euphemianae ad illud pavendum Christi tribunal*; „ *ubi comprobandum*, inquit, *utrum Beati Petri Confessio gloriosa cuique eorum, quos regendos accepit, quidquam subtraxerit ad salutem*. „ Ecclesiam Romanam nominat a potissima parte, ab ipso sacrario, „ quo Petri reliquiae requiescunt, „ quo ex loco Ecclesia Romana primatum repetebat suum. Inde scilicet facta est Ecclesiarum caput, „ quod Apostolorum Princeps in ea „ Sedem fixerit, in ea martyrium „ fecerit, eam sanguine dedicarit: „ quem ad locum videas, priscorum quoque Pontificum tempore, „ Synodos celebratas, tanquam a „ Petro deductis Apostolicae doctrinae ac disciplinae rivis. In his ergo Gelasii textibus Confessio Petri idem valeat ac Petri Sedes; cujus privilegia, utpote divino constituta judicio, quum ait SS. Pontifex, impeti posse humanis praesumtionibus, sed vinci aut convelli quorumlibet virtute aut potestate non posse, perinde est ac si diserte, doceret adversus Petri Confessionem vel Apostolicam Sedem portas inferi praevalere non posse. Quod in ea ipsa, quam etiam Meldensis Episcopus laudat ad Euphemianum vel Euphemium epistola Sanctus Pontifex rotundis verbis adfirmat: *Legisti*, inquit, *sententiam*: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: *illud scilicet ver-*

(a) Epist. I. Tom. V. Conciliorum.

verbum, *quod* CONFESSIONI *Beati Apostoli Petri portas inferi nunquam praevalituras esse promisit*.

Sed nihil disertius his, quae epistola XIV. idem Gelasius his verbis tradit: *Quum omnes* (Apostoli) *aequaliter spirituali luce fulgerent; unum tamen Principem esse ex illis voluit Christus eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua Urbe vel prima primum vel praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, aeterno hospitio conquiescit; praestans Sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nonnunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus*.

Concinit Gelasio Leo IX. epist. IX. ad Michaëlem Cerularium cap. VII. *Sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quaecumque sunt vera*: Portae inferi non praevalebunt adversus eam. *Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre, idem Filius protestatur dicendo ad Petrum* .... Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c. *Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata & convicta, atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?*

Ita & Alexander III. in epistola ad Indorum Regem vulgo *Preto-Johannem*, versans ea Christi verba: *Tu es Petrus &c.* Ait enim: *Hanc petram Christus esse voluit in Ecclesiae fundamentum, quam praeconat nullis ventorum turbinibus, nullisque tempestatibus quatiendam*. Hoc autem Christi praeconium etiam ad illam petram, quam in Eccelesia fundamentum Christus ipse diposuit, esse referendum, quae mox subjungit aperte demonstrant: *Et ideo non immerito Beatus Petrus, super quem fundavit Ecclesiam, ligandi atque solvendi specialiter & praecipue inter Apostolos alios meruit accipere potestatem: Cui dictum est a Domino*: „ Tibi dabo claves regni caelorum. „ *Et*: Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Petrus ergo petra illa est, quam Christus praedixit nullis ventorum turbinibus nullisque tempestatibus quatiendam, quoniam Petro, qui petra illa erat, Christus ipse promisit, quod nunquam adversus eum portae inferi praevalebunt. Quum autem haec eo referat, ut Sedis Apostolicae commendet auctoritatem; patet, haec perinde ad Petri Sedem ejusque in ea Successores, atque ad ipsum Petrum, Alexandri sententia & judicio pertinere.

Nec modo Romani Pontificis, verum & alii Scriptores pietate ac doctrina insignes, in Sedem Apostolicam ea Christi verba transcribunt. Ita profecto haud obscure Sanctus Theodorus Studites lib. II. epist. LXIII. ad Naucratium: *Testor nunc coram Deo & hominibus: se ipsos avulserunt a corpore Christi, & supremo verticali Throno, in quo Christus claves posuit fidei: adversus quam*

non

non praevaluere hactenus, nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum: sicut pollicitus est qui non mentitur. Quae verba non de fide seorsim & absolute spectata, sed ut specialem ad Sedem Apostolicam, apud quam ipsius claves Christus deposuit, respectum habet, esse intelligenda, tum series scopusque orationis demonstrant, tum Gregorii Proto-Syncelli & Gennadii Patriarchae auctoritas suadet, a quibus hoc pacto exposita sunt. Eorum verba sup. lib. I. cap. XXXVII. articulo II. a nobis descripta videri possunt.

Eadem fuisse videtur Carolini Operis Auctori mens, quum iis Christi verbis exscriptis: *Tu es Petrus &c.* haec addidit: *Haec ergo* (Sedes Apostolica) *sanctae fidei spiritualibus munita armis, & a fonte lucis & origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, & horrendis atrocibusque haeresum obsistit monstris, & melliflua praedicationis pocula Catholicis per orbem ministrat Ecclesiis.* Et infra, id omnibus Ecclesiis esse observandum docet, *ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant, quae*, inquit, *non habet maculam nec rugam, & portentosa haeresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.* Quae post Christum ad muniendam fidem adjutricem manum suppeditat; quae fidelium mentes in fide corroborat; quae spiritualibus fidei munita armis, horrendis atrocibusque haeresum obsistit monstris, eorumque portentosa capita calcat; adversus eam utique portae inferi, hoc est haeresim monstra, eorumque vires & ora praevalere non possunt.

Octavae Synodi Act. VIII. Bahanes Patritius huic Christi verborum interpretationi apertissime suffragatur: *Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchiis, & definivit in Evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quod Capita Ecclesiae sint: Etenim illud quod dicitur:* Et portae inferi non praevalebunt adversus eam; *hoc denunciat, quando duo ceciderint, currunt ad tria; quum tria ceciderint, currunt ad duo; quum vero quatuor forte ceciderint, unum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiae.* Quum itaque aliae quatuor, quas vocat Ecclesiae capita, hoc est post Romanam praecipuae Sedes, ab inferi portis impulsae disjectae sint; vis verborum ejus, & ab eo descripta Ecclesiae constitutio, omnino postulant, ut adversus eam, quae permansit in omnium capite Christo, & quae reapse sola est universae Ecclesiae summum & unicum caput, portae inferi praevalere non possint.

Ad hunc octavae Synodi locum respexisse videtur Sanctus Anselmus Lucensis Episcopus, quum haec adversus Guibertum Pseudo-Pontificem aliosque schismaticos scriberet: *Uno, vel duobus* (e tribus praecipuis Patiarchis) *a fide corruentibus, Romanus in ejusdem fidei fundamento, licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis:* Coelum *enim* & terra transibunt, verba autem *ejus* non transibunt, *qui dixit*: „ Tu es Petrus & „ super hanc petram aedificabo Ec„ clesiam meam, & portae inferi „ non praevalebunt adversus eam. Quae etiam postrema verba constat

esse ad Romanum Pontificem referenda, quum iis ratio contineatur, cur idem Pontifex, licet pulsatus, licet concussus, hoc est inferi portis & viribus exagitatus, steterit tamen immobilis: quia nimirum immobilis est ea de ipso ejusque Sede Christi promissio: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

Paria sunt ejusdemque sensus ac spiritus quae & Sanctus Thomas Cantuariensis ad omnes Episcopos Angliae epist. XCVII. libri primi scribebat: *Christus, qui Ecclesiae Romanae praesidet, omnes adversarias cobibet potestates. Et qui potentes potenter puniet, omnem decrevit puniri inobedientiam. Non humiles tamen adducens in judicium, sed gloriosos terrae humiliat Ecclesiae ministerio, adversus quam nec portae inferi praevalebunt.* Et infra: *Mementote, quomodo salvi facti sunt Patres nostri; quommodo, & quibus tribulationibus Ecclesia creverit & dilatata sit; quas procellas evaserit navis Petri, quae Christum habet vectorem.* Loqui Sanctum Episcopum & fortissimum Maryrem de Ecclesia Romana, ut Ecclesia particularis est, ex toto Epistolae contextu manifestissime apparet.

Ac ne plures nominatim recenseam, Archiepiscopus Rhodius Sessione VII. Concilii Florentini quum Sedi Apostolicae adseruisset eam singularem praerogativam quod in ea sola *potestas sit explicandi fidem*; adjunxit, quod propterea *nunquam portae inferi, hoc est, haereses praevaluere adversus eam, imo ne attigerunt quidem.* Nutaret enim Catholica fides, si ea penes quam solam potestas est ejus dogmata declarandi, ejusmodi esset periculo obnoxia.

Denique huc etiam faciunt quae Articulo superiori §. ult. ex Origene, Chrysostomo, & Simplicio Papa descripsimus; quaeque vel generatim probant verba, de quibus agimus, non modo ad Ecclesiam, verum & ad illam petram esse referenda super quam Christus ipsam aedificavit Ecclesiam; vel speciatim ad Petrum; cui certum est, in hoc munere sustinendi Ecclesiam, ne ab inferi portis impulsa corruat, sed eas potius frangat atque dejiciat, Romanos Episcopos successisse: quos propterea, perinde atque ipsum Petrum, verborum Christi vis & series, nec non & veterum Patrum auctoritas suadent, ut illos eam esse petram existimemus, cujus vi ac robore efficitur, adversus Ecclesiam inferi portae praevaleant.

CAPUT III.

„ Locus; *Rogavi pro te*: &, *con-*
„ *firma fratres tuos*, Luc. XXII.
„ 32. Aliud praeceptum, aliud
„ promissum; praeceptum, *Con-*
„ *firma fratres*, quid sit.

Monet, ac recte monet Illustrissimus Adversarius, in hac Christi sententia distinguenda ea, quae ad officium Petri pertinent, & ea quae ad Christi promissionem. Et quidem ad officium Petri pertinere: *Confirma fratres tuos*; ad Christi vero promissionem: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* „ Hoc ergo, *inquit*, „ ex officio Petrus habet: hoc Petri „ Suc-

,, Successores in Petro acceperunt, ,, ut fratres confirmare jubeantur ; ,, non profecto ut ei officio nunquam ,, defuturi sint . At nos dicimus , quod quemadmodum in Petro Petri Successores acceperunt , ut fratres confirmare jubeantur ; ita profecto in eodem Apostolorum principe acceperunt , ut pro eis Christus oraret , ne deficeret eorum fides ; ac proinde ut quum Petri officio funguntur , quum in Cathedra Petri sedent ; vel potius quum per eos loquitur Petrus & universam Ecclesiam ex officio docet ; ne Christi pro illis fuerit inanis oratio ; fortissimam habeat & invictissimam fidem , vel ut verbis utar Bernardi , nullum apud eos *possit fides sentire defectum* . Cur enim priora verba , secus autem posteriora ad Petri Successores pertinerent ? Sed de hac re ad proximum caput data opera differemus .

CAPUT IV.

,, Promissio in illa precatione : *Ut* ,, *non deficiat fides tua* : Fides Petri quid sit : nunquam defectura ,, neque in ipso Petro , neque in ,, Catholica Ecclesia , neque in ,, Sede Apostolica , seu peculiari ,, Petri Ecclesia .

VArias hoc capite Illustrissimus Auctor adfert horumce Christi verborum interpretationes aliis etiam Auctoribus recensitas . Sunt enim , qui Christum orasse docent , pro singulari persona Petri , & ne propria ipsius & personalis fides deficeret ; ac proinde in Petro in persona propria promissum minime ad posteros transiisse . Alii docent , Christum pro Petro orasse ut personam gerebat universalis Ecclesiae , eamque propter suum primatum singulari quadam ratione repraesentabat ; ac propterea ex ea Christi oratione & promissione consequens esse , quod nunquam defectura sit fides universalis Ecclesiae . Alii Petrum hic accipi volunt strictiore quadam significatione , ut qui non modo Ecclesiae universae personam susceperit , sed Successores in primatu suos , eorumque curae commissam peculiarem Ecclesiam , Romanam scilicet , singulari titulo repraesentaret . Hos autem Auctores Launojus in duas praeterea classes distribuit [a]; quorum alii sentiant , orasse Christum , ne fides in Ecclesia Romana per Petrum fundata ; alii vero , ne in ipsa Petri Sede unquam deficiat.

Turnelius loco saepius indicato priorem expositionem maxime probat ; ex eaque hoc Bellarmini argumentum : ,, Ille errare non potest , cujus fides non potest deficere : atqui ,, fides Petri deficere non potest : hoc ,, inquam Bellarmini argumentum ,, hoc pacto solvit : Distiguenda minor propositio : fides personalis Petri , pro qua rogavit Christus , deficere non potuit , verum est : fides ,, Successorum Petri , quasi indefectibilitas fidei S. Petri ad illos foret transmittenda , negatur .

Bossuetius nullam ex laudatis expositionibus improbat ; sed tertiam & quartam quomodo aut quatenus probet postea videbimus. Interim Patrum

(a) P. V. Epistr. epist. ad Bevilaquam .

loca adferamus, qui laudata Christi verba, secus atque Turnelius statuit, non ad singularem Petri personam, sed vel ad Ecclesiam Romanam, vel ad Petri Successores, vel ad Sedem Apostolicam retulerunt: has enim voces indiscriminatim, ut identidem observabimus, usurparunt.

ARTICULUS UNICUS.

Loca Patrum recensentur, qui ex laudatis Christi verbis Ecclesiae Romanae, vel Petri Successoribus, vel Sedi Apostolicae hoc privilegium adserunt, quod a fide deficere non possint.

CErtum est, & ex locis quae superius adtulimus apertissime constat, S. Leonem Evangelicos textus, quibus aliquid auctoritatis & potestatis, aut aliquod privilegium Apostolorum Principi in ceteros Apostolos aut prae ceteris collatum est, ita in suis epistolis & Sermonibus interpretari, ut ea nequaquam cum Petro extincta fuisse significet, sed adhuc ea in Petri Successoribus vivere, in ejusque sede integra & incorrupta vigere: *Manet* enim, ut ipse ait, *quod in Petro Christus instituit*: & adhuc in Petri Sede ejus *vivit potestas & excellit auctoritas*. Id autem in Petro Christus instituit, ut nihil in quemquam sine illius participatione transiret: ut omnes regat Petrus quos principaliter regit & Christus: ut nunquam nisi per ipsum daret quidquid aliis non negavit. Manet ergo in Sede Petri haec ipsa dispositio, quam veritas in Petro primum instituit; ac propterea quae ad hanc divinae Veritatis ordinationem demonstrandam ex Evangelio Sanctus Pontifex adfert loca, ea non modo ad Petrum, verum & ad ejus Successores ex ipsius sancti Pontificis mente referenda sunt. Hanc porro aeternae Veritatis dispositionem in eo maxime loco resplendere docet, quo Christus Petrum adloquens ait: *Simon, Simon, ecce satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Hunc enim locum Sermone tertio in anniversario die Adsumtionis suae ad Pontificatum ita in hunc scopum & in hanc mentem laudatus Pontifex interpretatur: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinae protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*. Quae, ut supra ostendimus, eo pertinent, ut Ecclesiae fideique ipsius firmitas ex fundamenti & capitis firmitate pendeat; ac propterea si deficere non potest Ecclesiae fides, nec Petri fides in ejus Sede unquam defectura sit, in qua nimirum omnium fortitudo munitur, & quae solidum illud fundamentum est, cui totius aedificii moles incumbit.

Pro eadem Christi verborum interpretatione ii etiam laudandi sunt, qui

qui ex his verbis: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; Apostolicae Sedis primatum, ejusque summam in universam Ecclesiam auctoritatem demonstrant. Nulla enim ratio est, cur haec verba, secus autem quae proxime praecedunt, ad Sedem Apostolicam referantur. Horum autem Auctorum, post S. Leonem I. agmen ducere videtur S. Gelasius itidem I. epistola V. ad Honorium adversus haeresim Pelagianam, quam his verbis auspicatur: *Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati vix respirare valeamus; pro Sedis tamen Apostolicae moderamine totius Ovilis Dominici curam sine cessatione tractantes, quae Beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est*: Et tu conversus confirma fratres tuos. *Et item*: Petre amas me? Pasce oves meas: *Dissimulare nec possumus, nec debemus, quae nostram solicitudinem forma perstringat &c.* Quum probat, sibi totius Ovilis curam incumbere, quoniam id Petro creditum est iis verbis: *Et tu aliquando &c.* an non aperte significat, haec ipsa verba, adeoque & quae immediate praecedunt, non modo ad Petrum, verum & ad ejus successores Romanos Pontifices esse referenda?

Pelagius II. epistola quinta ad Eliam Aquileiensem & ceteros Episcopos Istriae perinde ac S. Leo, ex iisdem Christi verbis docet, fidem Petri in aeternum deficere ac mutari non posse, & Petri fidem eam vocat, quae in ejus Sede ac successoribus viget. Non enim aliter haec ejus verba interpretari licet: *Nostis enim in Evangelio Dominum proclamantem*: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos &c. *Considerate, carissimi, quia Veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari. Nam quum omnes Discipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, & ab eo voluit ceteros confirmari: cui etiam pro majori dilectione, quam prae ceteris Domino exhibebat, pascendarum ovium solicitudo commissa est: cui & claves regni caelorum tradidit; & super quem Ecclesiam suam aedificaturum esse promisit, nec portas inferni adversus eam praevalere testatus est*. Quorsum vero haec? Numquid Elias aliique schismatici Petri fidem propriam & personalem in suspicionem vocabant? Minime profecto; sed ab Ecclesiae Romanae ipsiusque Pelagii tanquam fidei temeratoris communione abhorrebant ob probatam trium Capitulorum damnationem, qua Chalcedonensis Concilii fidem convelli & violari judicabant. Ergo, temerarias esse & iniquas ejusmodi suspiciones, ex eo probat, quod fides Petri ex ipsius Christi promissis deficere & labefactari non possit: id enim satis esse debuerat, ne unquam Ecclesiam Romanam Romanosque Pontifices violatae fidei schismatici postularent. Attamen ut omnes ab eorum mentibus pravae suspicionis nebulas amoliretur, effusiore quadam & propensissima in eos indulgentia suae ad illos fidei professionem transmisit: *Ne forte*, inquit, *quisquam maligno studio aliqua de fidei nostrae integritate diaboli instigatione fingere praesumserit & argumentari, & ex hoc vestri fortasse videantur animi perturbari*. Et rursus: *Quatenus nulla possit in cordibus vestris de nobis remanere*

manere suspicio. Floruit Pelagius integro ante Agathonem saeculo, & quinque ferme saeculis ante Leonem IX. Inscite ergo Launoius Agathonem ait familiam ducere eorum Auctorum, quibus traditum est, orasse Christum, ut Romana Ecclesia per Petrum fundata a fide nunquam deficiat: & adhuc inscitius a Leone IX. incipit ac ducit eorum seriem, qui id adfirmant de Sede Apostolica, sive de Sede Petri.

S. Gregorius Magnus haec Christi verba: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; in epistola ad Sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum, perinde ac superius laudatus S. Gelasius, cum aliis Evangelicis verbis, adhibet ad summum in universam Ecclesiam principatum Sedi Apostolicae vindicandum: *Quis enim*, inquit (a), *nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur*: Tibi dabo claves regni caelorum. *Cui rursus dicitur*: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Iterumque*: Simon Johannis amas me? Pasce oves meas. *Itaque quum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis Sedes in auctoritate convaluit*. Quum ergo, Sancto Pontifice auctore, ea Christi verba: *Confirma fratres tuos*; ad Petrum ut principem dicta sint, ejusque principatum & summam Sedis Apostolicae auctoritatem demonstrent; quis ambigat, quin & ea quae praecedunt, ad Petrum ut Ecclesiae principem directa sint, adeoque ex Sancti Pontificis mente quin ea quoque in Petri successores conveniant?

Floruit etiam aliquot ante Agathonem annis Stephanus Dorensis Episcopus, qui in libello supplici, quem S. Martino I. Secret. II. Synodi Lateranensis obtulit, ad Evangelicum textum, de quo in praesentia disserimus, digitum intendens, haec ait: *Et iterum ipse* (Petrus) *praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare exagitatos consortes suos & spiritales meruit fratres; utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem, accipiens & sacerdotalem auctoritatem*. Haec autem perinde in Petri successores Sedemque Apostolicam convenire, ex consequentibus apertissime liquet. Nam statim adjungit: *Quod utique sciens beatae memoriae Sophronius quondam Patriarcha sanctae Christi Dei nostri Civitatis, sub cujus Dioecesi fungebar Sacerdotale officium .... studuit meam humilitatem sine mora, pro hujusmodi tantummodo Capitulo*; hoc est pro caussa fidei a Monothelitis male in Oriente vexata; *cum sua suggestione ad hanc Apostolicam magnamque dirigere Sedem &c.* Igitur Sophronius pro fidei caussa ad Sedem Apostolicam Dorensem Episcopum destinarat, quoniam perspectum habuerat, quod Petrus firmam habens in Deum & immutabilem fidem, jussus fuerat consortes suos in eadem fide confirmare: quod prorsus ἀσύστατον est, nihilque

(a) Lib. VI. epist. XXXVII. Tom. VI. Concilior.

que omnino ad rem pertinens, nisi haec Petri privilegia in Sedem Apostolicam transierunt. Videri etiam possunt quae verba primo loco relata proxime praecedunt; quae pariter minime cohaerent, nisi quae hic de Petro dicuntur, in Sedem Apostolicam transcribantur.

Praecessit etiam Agathonem in Sedis Apostolicae regimine Vitalianus; qui & ipse tamen ea Christi ad Apostolorum principem verba perinde accepit atque interpretatus est, ac si ad omnes Romanos Pontifices pertinerent, ac directa fuissent. Scribens enim Paulo Archiepiscopo Cretensi: *Quae praecipimus*, inquit, *tibi secundum Deum & propter Dominum, tuaeque Synodo, stude illico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed secundum virtutem sacratissimorum Canonum conversari*. Porro unde sibi tantam in eum ejusque Synodum auctoritatem vindicet, his statim verbis aperit: *Scriptum namque est*: „Dominus inquit: Petre rogavi pro te, „ut non deficeret fides tua: & tu „aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Et rursum*: Quodcumque ligaveris, Petre &c.

Sequitur notissimum illud S. Agathonis testimonium ex epistola ad Constantinum & Tiberium Imperatores, quam sexta Synodus velut a Spiritu Sancto per os Petri dictatam amplexa est. Hoc vero quoniam & inferius ad examen revocabimus, & Launojus ipse fatetur nostrae sententiae consentaneum esse, ideo in praesentia eo describendo supersedemus.

Ab Agathone ad Leonem IX. hoc est a saeculo VII. ad XI. statim Launojus transit, perinde ac nulli hoc fere quatuor saeculorum spatio Pontifices aut Scriptores ad Petrum, velut successores in primatu suos, eorumque speciali curae commissam Romanam Ecclesiam aut Sedem Apostolicam singulari titulo repraesentantem, ea Christi verba retulerint. At falsum id esse, constat imprimis ex epistola XII. libri secundi a S. Theodoro Studita, suo & aliorum Hegumenorum nomine, ad Paschalem I. conscripta, in qua Pontificis animum adversus Iconomachos his, inter alia, verbis excitat & inflammat: *Huc igitur ab Occidente, o Christi imitator*, exsurge, & ne repellas in finem. *Tibi dixit Christus Deus noster*: Et tu aliquando conversus, confirmabis fratres tuos. *Ecce tempus, ecce locus, opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus: porrige manum quantum fieri potest: habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps es: in quo & positus es &c.* Si autem haec Christi verba Romanis Pontificibus dicta sunt, cur non & ea quae proxime praecedunt, quaeque rationem continent, cur Petrus speciatim confirmare fratres jussus est?

Saeculo VIII. ad exitum properante, ac proinde tribus ferme ante Leonem saeculis Sedem Apostolicam Hadrianus I. administrabat; & in epistola ad Carolum Magnum pro defensione cultus sacrarum Imaginum & septimae Synodi, privilegia omnia Apostolorum principi iis aliisque verbis a Christo in Evangelio collata, ad successores fuisse transmissa, haud obscure significabat: *Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto & omnium Apostolorum principi Petro claves regni caelorum, & totius*

tius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oves meas. *Ipsi dicitur:* Ecce Satanas expetivit cribrare vos sicut triticum; & ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua &c. *Ipsi* dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. *Ecce cura ei totius Ecclesiae & principatus committitur.* Quae omnia ex S. Gregorii Magni epistola XXXII. ad Mauricium Imperatorem lib. IV. desumta sunt (a). Subjungit Hadrianus: *Et ipse vices suas vicariis suis Pontificibus relinquere dignoscitur Ecclesiae curam gerendi.* Quo perspicue declarat, quae praemissa sunt, non modo ad Petrum pertinere, verum & ad ejus successores Romanos Pontifices transiisse.

Medio Saeculo IX. habemus Nicolaum I. Epist. VIII. ad Michaëlem Imperatorem in haec verba scribentem: *Privilegia istius Sedis perpetua sunt, Divinitus radicata atque plantata; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, & quousque Christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.* Et infra ostendens unde tam libere ejusmodi praedicaret, ait: *Nam & inter cetera is per quem nobis praecipue ista sunt privilegia collata,* Tu aliquando conversus, *audivit a Domino,* confirma fratres tuos. Et Epistola IX. ad eumdem Imperatorem: *Sicut imperii tui divinitus inspirata sapientia novit, cunctarum Christi ovium cura constringimur, quum vices illius per abundantiam caelestis gratiae gerimus, cui specialiter a Deo dicitur:* Pasce oves meas. *Et rursus:* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Eademque occurrunt Epistola prima ad universos Catholicos.

Johannes VIII. duobus circiter saeculis Leonem IX. praecessit. Is vero non semel ea de quibus agimus Christi verba non modo ad Petrum, verum & ad Sedem Apostolicam refert. Ita enim Epistola LXXIII. ad Lambertum Comitem: *Sedes Apostolica libera semper exsistens, liberam ubique suam mittit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis:* „ Ego pro „ te rogavi Petre, ut non deficiat fi„ des tua: & tu aliquando conver„ sus, confirma fratres tuos. Ita & Epistola LXXVI. ad Petrum Comitem, qua ipsum hortatur, ut Michaëlem Bulgarorum regem ad Romanae Ecclesiae gremium revocet, atque inter alia, haec Regi suggerenda significat: ut nimirum *Evangelicam legat historiam, & videat ibi praecipue soli Petro, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei vivi filium revelatum, & singulariter dictum:* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. *Ergo si istis falsa putantibus, Petro veritas praecipue revelata est: & si pro fide Petri oratum singulariter est a Filio ne deficeret; consideret sapiens Rex quam laudabiliter fecerit, urbem quaerens, ad quam iste talis & tantus Apostolus venit & praedicavit; cui Patre revelante, veritas Filii patefacta est, & cujus fides, quia Filius rogavit, non defecit.* Pluribusque inter-

(a) Tom. VIII. Conciliorum.

interpositis, quibus Ecclesiae Romanae fidem ex Apostolorum Principis ejus satoris, plantatoris & fundatoris auctoritate, & Pauli praeconio commendat, haec praeterea subjungit: *Hanc itaque fidem suggere semper & suade, carissime, pio Regi sitire: hanc non alibi praecipuae quaerere nisi Romae, ubi plantata est & radicata a Beato Petro, qui hanc, ut supra ostendimus, sicut veraciter cognovit, veraciter & praedicavit: quoniam sicut aqua numquam potest alibi tam munda vel tam limpida, quemadmodum in fonte, unde originem protrabit, inveniri: ita & fides numquam omnino poterit alibi tam pura vel tam nitida reperiri; sicut in Ecclesiae nostrae vivario: ubi eam, non tecta perstillantia, quibus letigiosa mulier, idest haeretica pravitas comparatur; sed ille polorum Claviger ubertim & purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc caelitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit.*

Sequitur S. Leonis IX. testimonium, de quo nobiscum Launojo convenit, & de quo inferius ad Cap. X. data opera disseremus, ideoque in praesentia illud omittimus; quemad modum & S. Gregorii VII. pro eadem interpretatione suffragium ob easdem omnino rationes.

Floruit iis Pontificibus S. Petrus Damianus, cujus haec verba ex Sermone XXIII. de Nativitate S. Johannis Baptistae idem Launojus exscribit: *Illa mater & magistra Ecclesiarum omnium Ecclesia Romana, cui dictum est*: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; *in honore S. Johannis Baptistae post Salvatoris nomen consecrata est & signata.*

Floruit etiam per eadem tempora S. Anselmus Episcopus Lucensis, qui in Opere adversus Guibertum Pseudo-Pontificem ait, quod *quum pro fide Petri ne deficiat, a Christo oratum sit, unius Romani Patriarchae fides, in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiet.*

S. Gregorium VII. post Victorem III. Urbanus II. excepit, qui scribens Madelmo Abbati Sanctae Sophiae, his epistolam verbis auspicatur: *Potestatem ligandi atque solvendi in caelis & in terra, Sancto Petro Apostolo suisque Successoribus, auctore Domino, principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus est eum Dominus allocutus*: Quaecumque ligaveris in terra &c. *Ipsi quoque & proprie firmitas, & plenae fidei confirmatio, eodem Domino auctore, praestatur, quum ad eum dicitur*: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Oportet ergo nos, qui licet indigni Petri residere videmur in loco, prava corrigere, recta firmare &c.* Idemque omnino prooemium suis litteris alii Romani Pontifices praemiserunt, ut Paschalis II. epistolae LXXVIII. ad Guidonem Viennensem, Eugenius Tertius epist. LXXII. ad Johannem Archiepiscopum Toletanum, & Anastasius IV. epistolae VIII. ad Canonicos Regulares Lateranenses.

Paschalis II. in Concilio IV. Lateranensi, quum Brunonem Signinum Episcopum privilegium investiturarum Imperatori concessum velut haeresim continens palam proscindentem audisset, his Synodum verbis adlocutus est: *Fratres & domini mei,*

audite : Ecclesia ista nunquam habuit haeresim , imo hic omnes haereses conquassatae sunt : hic Ariana haeresis, quae per trecentos fere annos viguit , annullata est : ab hac Sede haeresis Eutychiana & Sabelliana contrita ; Photius ceterique haeretici destructi sunt . Pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua oravit , quum dixit : ,,
,, Ego pro te rogavi , Petre , ut non
,, deficiat fides tua :

Nec multum ab his discrepare videntur quae Callixtus II. post Gelasium II. Paschalis item secundi Successor in Concilio Remensi protulit: *Scitis , quamdiu Ecclesia contra diversas haereses laboravit ; & sicut per beatum Petrum , cui specialiter dictum est a Domino* : Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos : *Simon Magus , judicio Spiritus Sancti , ab Ecclesia Dei eliminatus periit : sic usque ad nostra tempora idem , per Vicarios suos* (Romanos scilicet Pontifices) *sequaces Simonis expugnare , & ab Ecclesia Dei extirpare non desinit*. Nimirum perinde atque adhuc in sede sua praesideret, & in suis Successoribus ille viveret, ad quam illa Domini verba directa sunt: *Ego rogavi &c.*

Sed nihil in rem nostram disertius ac luculentius his S. Bernardi verbis epistola CXC. seu Tractatu adversus errores Abaëlardi ad Innocentium II. *Oportet* , inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque & scandala emergentia in regno Dei , ea praesertim quae de fide contingunt . Dignum namque arbitror , ibi potissimum resarciri damna fidei , ubi non possit fides sentire defectum . Haec quippe hujus praerogativa Sedis . Cui enim alteri aliquando dictum est* : Ego pro te rogavi , Petre , ut non deficiat fides tua ? *ergo quod sequitur , a Petri Successore exigitur* : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos . *Id quidem modo necessarium . Tempus est ut vestrum agnoscatis , Pater amantissime , principatum , probetis zelum , ministerium honoretis . In eo plane Petri impletis vicem , cujus tenetis & sedem , si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis , si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.*

Innocentius II. inquit Launojus , idem quod Bernardus sentit in epistola , quam ad Senonense Concilium rescribit: *Nos itaque qui in Beati Petri Cathedra , cui a Domino est dictum* : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ; *licet indigni residere conspicimur : communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio , destinata nobis a vestra discretione capitula , & universa ipsius Petri perversa dogmata , sanctorum Canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus , eique tanquam haeretico perpetuum silentium imposuimus .*

Aëlredus Rievallensis Abbas scribens in Isaiam , & hunc exponens Canticorum locum : *Si ingnoras te , egredere &c.* in Ecclesiae Romanae laudes effunditur , atque inter cetera haec habet nostro argumento maxime apta : *Fratres , nemo vos seducat inanibus verbis , nemo vobis dicat , ecce hic Christus , vel ecce illic , quum in fide Petri semper sit Christus , quam sancta Romana Ecclesia mutuavit a Petro , & servat in petra quae est*

Chri-

Christus... Haec est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, haereticus est. Illius interest consulere omnibus, judicare de omnibus, omnibus providere, ad quam in Petro vox ista dirigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Quidquid ista statuerit suscipio, approbo quod approbaverit, quod damnaverit damno.*

Potho Prumiensis Abbas libro tertio de Domo Dei: *Sed haec*, inquit, *dispensatio* (Canonum) *penes illum est, qui vicem Christi in terris agit, cui una cum Petro dicitur a Domino* : „ Et tu aliquando conversus, „ confirma fratres tuos.

Ornavit etiam hoc XII. saeculum doctrina, pietate, rebusque gestis Anselmus Havelburgensis, qui in opere adversus Graecos, de Ecclesiae Romanae auctoritate praeclare disserens, haec inter cetera habet: *Unde & Dominus sciens alias Ecclesias haeretica impulsione nimium vexandas, & Ecclesiam Romanam, quam ipse supra Petrum fundaverat, nunquam in fide debilitandam, dixit Petro* : Ego rogavi pro te &c. *ac si aperte ei dicat: tu qui hanc gratiam accepisti, ut aliis in fide naufragantibus, semper in fide immobilis & constans permaneas, alias vacillantes confirma & corrige, & tanquam omnium provisor & Doctor, & Pater, & Magister omnium curam & solicitudinem gere. Merito ita privilegium praelationis super omnes accepit, qui in conservanda integritate fidei prae omnibus privilegium a Domino susceperat.*

Ex Innocentii III. epistola ad Episcopum Arelatensem textum Launojus refert, qui habetur in Cap. *Majores* de Baptismo & ejus effectu: *Majores Ecclesiae caussas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelliget, qui eum quaerenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit* : Tu es Christus filius Dei vivi; *& pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.* Alia ejusdem Pontificis loca inferius adducemus.

Exhibet quoque idem Auctor hunc Jacobi Cardinalis Vitriaci locum ex capite LXXV. Orientalis historiae: *Deus Romanam civitatem totius mundi Metropolim & capitaneam, sicut in temporalibus omnibus praeerat, ita & in spiritualibus universis fidelibus voluit praefuisse.* Et infra: *Patet ergo, quum super hanc petram, pro qua Dominus rogavit ut non deficiat fides ejus, post Christum aedificata sit & fundata Christi Ecclesia, quod omnes qui a Romana Ecclesia recedunt, qui absque fundamento aedificant in vanum laborantes, & ab eo qui a Domino Cephas vocatus, separati, acephali & monstrosi homines merito sunt reputandi.*

Laudat etiam idem Launojus Angelicum Praeceptorem, qui in expositione Symboli observat, quod *Ecclesia Petri.... semper fuit firma in fide: Et quum in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus; Ecclesia tamen Petri, & fide viget, & ab erroribus munda est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro, Lucae XXII.* „ Ego pro te ro„ gavi &c.

Insignis est & merito hic recensendus Gregorii IX. locus epistola V. ad Germanum Constantinopolitanum Patriarcham: *Praevidens autem Dominus, quod Ecclesia a tyrannis concul-*

caretur, & ab haereticis laniaretur, & schismaticis scinderetur, dixit. Rogavi pro te, Petre &c. *Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis quaestio fidei referenda sit.*

Denique, ut alios interim omittamus, quorum testimoniis in promtu esset praesentem dissertationem locupletare, Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in Expositione pro Concilio Florentino cap. V. in eamdem Christi verborum interpretationem consentit: *Omnes Ecclesiae ab haereticis tanquam a fluctibus vexatae ad Romanum Pontificem velut ad portum salutis confugiunt, ubi tranquillitatem & quietem omnem nanciscuntur: nam eo loci fidei claves Christus apud Petrum Apostolum deposuit, ut Ecclesiam totam pasceret atque gubernaret; nec apud illum tantum, sed etiam apud ejus Successores ipsi dicens:* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: *quae quidem non soli Petro contigerunt, sed & ejus Successoribus.*

Ex his ergo quae hactenus disseruimus, Bellarmini argumentum, quod supra propositum est, adversus Turnelium ejusque responsionem, facile instauramus: Ille errare non potest, cujus fides non potest deficere, vel pro quo Christus rogavit ne deficeret fides ejus: atqui juxta S. Leonem, Gelasium I. Pelagium II. Gregorium Magnum, Stephanum Dorensem, Vitalianum, Agathonem, Theodorum Studitam, Hadrianum I. Johannem VIII. Leonem IX. Gregorium VII. Petrum Damiani, Anselmum Lucensem, Urbanum II. Paschalem II. Callixtum II. Bernardum, Innocentium II. Eugenium III. Anastasium IV. Aëlredum, Pothonem, Anselmum Havelburgensem, Innocentium III. Jacobum Vitriacum, Thomam Aquinatem, Gregorium IX. & Gennadium Constantinopolitanum Patriarcham, non modo fides personalis Petri verum, & Successorum ejus, vel Sedis Apostolicae, vel Ecclesiae Romanae, deficere non potest; seu pro iis etiam Christus rogavit, ne deficeret eorum fides: ergo Romani Pontifices, vel Ecclesia Romana, vel Sedes Apostolica errare in fidei rebus non possunt.

Frustra vero Launojus veterum Patrum & Ecclesiasticorum Tractatorum testimonia congerit, quibus probet, orasse Christum, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur a Diabolo, sed in ea & gratia Dei tum demum perseveraret. Nam quisquis eam testimoniorum farraginem, non dico, expenderit, sed vel cursim legerit, statim intelliget, praeter paucos recentiores Theologos, nullum ex Patribus, & vetustioribus atque gravioribus Scriptoribus esse, qui nobis, seu potius tot Romanis Pontificibus, aliisque quos jam produximus gravissimis Auctoribus adversetur. Quum enim ii docent orasse Christum, ne fides in Petri Successoribus, in Petri Sede, vel in ejus Ecclesia unquam deficeret, haud certe negant, id primum in Petri singulari persona peractum esse: quemadmodum & illi, qui ex iis Christi verbis colligunt, opus fuisse Apostolorum principi Christi precibus & ipsius gratiae adjutorio, ut Diabolo ipsum appetenti resisteret, ne tentationibus cederet, & qui alias in ejusmodi historia personales conditiones

seu

seu circumstantias expendunt; non ideo negant, Petrum Successores in primatu suos, ut ait Bossuetius, eorumque curae commissam peculiarem Ecclesiam, Romanam scilicet, singulari titulo repraesentasse; adeoque Christi verba & orationem non modo ad singularem ejusdem Petri personam, verum & ad ejus Successores, & ad Ecclesiam, vel ad Sedem Apostolicam pertinere. Quae ergo Veterum testimonia ab Adversariis producuntur, nostro systemati neutiquam adversantur. Verum si Christi verba ad singularem Petri personam coarctentur; quid fiet tot Romanis Pontificibus, tot Patribus & vetustis Auctoribus, qui, ut vidimus, conceptis disertisque verbis adfirmant, orasse Christum ne non modo Petri, verum & Successorum ejus, vel Ecclesiae Romanae, vel Sedis Apostolicae fides deficeret? Quae porro sit textuum quos adduximus vis, ad sequentia capita expendemus.

CAPUT V.

„ Petrus ejusque Successores cuidam
„ peculiari Ecclesiae ac Sedi prae-
„ sidere debent: Petri fides in
„ Petri Sede, & in Successorum
„ serie non deficit.

QUum ergo Meldensis Episcopus intelligeret, Christi verba: *Ego rogavi &c.* ad singularem Petri personam (dum tamen aliqua tot Romanorum Pontificum & veterum Scriptorum sententiae ratio haberetur) coarctari non posse; sed eam Christi promissionem, quod Petri fides nunquam defectura sit, ad Petri Successores, & Sedem ejus & Ecclesiam porrigi; alias a Tumelio vias, productis superori articulo textibus infringendis, excogitavit. Summa autem illius systematis est: sedentes esse a sedibus distinguendos, & Romanos Pontifices ab Ecclesia Romana. Privilegium fidei indeficientis, non in singulis Petri Successoribus, sed in omnium serie & successione locum habere: Sedis Apostolicae & Ecclesiae Romanae fidem non eo sensu deficere non posse, quod nullus in eam ad breve temporis intervallum subrepere possit error, sed quoniam funditus everti, & corrumpi omnino non potest: quod videmus in aliis praecipuis sedibus contigisse, quae quum aliquamdiu virgines permansissent, nunc variis erroribus & haeresibus pollutae & constupratae, penitus a Christo defecerunt, & ab universae Ecclesiae corpore disjunctae sunt.

Notanda autem haec potissimum Illustrissimi Auctoris verba: „ Accipiendi ergo Romani Pontifices
„ tanquam una persona Petri; in qua
„ nunquam fides penitus deficiat, at-
„ que ut in aliquibus vacillet aut con-
„ cidat, non tamen deficit in totum,
„ quae statim revictura sit: Nam &
„ Petrus negavit & incredulus fuit,
„ postquam etiam audivit illud: *Ego
„ rogavi pro te, ut non deficiat fides
„ tua*: Sed statim exsurgit confirma-
„ turus fratres, atque omnium no-
„ mine communem praedicaturus fi-
„ dem, sicut in Actis legimus. Sit
„ ergo in Leone, sit in Agathone,
„ sit in aliis egregiis Pontificibus Pe-
„ trus fratres confirmans. Sit etiam
„ in Liberio, sit in Honorio Petrus

„ ad

„ ad horam nutans, & negans; sed
„ statim respiciente Domino conva-
„ lescens, seque ipso validior; ut
„ firmitudini, Domino providente,
„ etiam lapsus ipse serviat; neque
„ supersit ullum errati vestigium. Id
„ in Ecclesia Romana contigisse,
„ multa exempla docuerunt: neque
„ porro aliter ad consummationem
„ usque saeculi in tota Pontificum
„ successione eventurum esse, certa
„ fide credimus.

Haec ingeniose quidem excogitata, & ex parte & quodammodo vera sunt. Probamus enim imprimis, accipiendos esse Romanos Pontifices velut unam personam Petri, qui adhuc in suo Throno & Cathedra sedeat, & in suis successoribus vivat. Probamus etiam in hac Petri successorum serie quosdam fuisse Pontifices, qui Petrum ad horam nutantem & vacillantem, alios autem eximia quadam virtute & constantia praeditos, qui Petrum fratres confirmantem, exhiberent. Item & illud probamus, quod si aliqui Pontifices ignavia quadam & socordia officio suo ac muneri defuerunt; non ideo concidit Romana fides ab eorum Antecessoribus stabilita, ab iis ipsis post lapsum, vel ab eorum successoribus statim & excelsiore pectore ac spiritu vindicata; ut factum in Liberio, Honorio, aliisque vidimus, nullo Romanae fidei, aut Romani Primatus detrimento, imo & aliquo emolumento, ut firmitudini, Domino providente, etiam lapsus ipse servierit. De his igitur inter nos convenit.

At primo probare non possumus, quod Petrus non modo negaverit, verum & incredulus fuerit, postquam etiam audivit illud: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Quamquam enim extrinsecus negaverit, attamen interiorem fidem eum amisisse non credimus, pro quo Christus petiit a Patre, ne deficeret fides ejus. *Quid* enim, inquit S. Augustinus (a) *moliturus es contra verba dicentis*: Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua? *An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset; hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset: quasi Petrus aliud ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet? Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quae fidelis erat voluntas ipsa deficeret, & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia praeparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio*.

Deinde nec illud, ut omnes facile intelligunt, probare possumus, quod Petri exemplum non modo ex injuncto sibi divinitus munere fratres confirmantis, verum & ad horam vacillantis Christumque negantis, ad Romanos Pontifices in Petri Cathedra sedentes, indeque universam Ecclesiam sollenniter & ex officio docentes accommodetur. Non enim Petrus universam Ecclesiam ex officio docebat, aut quidquam ab omnibus credendum sollenniter decernebat, quum Christum in atrio Principis sacerdotum ignaviter abnegavit. Sit ergo in Liberio, sit in Honorio Petrus ad horam

(a) Lib. de Corrept. & Grat. cap. VIII.

horam nutans, & negans: at eamdem in eis personam agat, quam & ipse agebat, quum primum negavit & vacillavit, nimirum privati hominis, non Pontificis.

Quod vero pertinet ad Sedem Apostolicam, vel ad Romanam Ecclesiam, eas, ut jam diximus, a Romanis Pontificibus Bossuetius distinguit, neque abnuit, quin earum fides dicatur indefectibilis: nempe quod „ nunquam futurum sit, ut Petri successores, eorumque universa series atque successio, sedesque cui praesint, atque Ecclesiam, quam docendam regendamque susceperint, a vera fide evellantur. Quod infra Cap. XIV. luculentius declarans ait: „ Id eventurum nunquam, ut quemadmodum Ecclesiae, exempli gratia, Constantinopolitanae, Alexandrinae, & nunc Anglicanae, Danicae, ita Ecclesiae Romanae error inhaereat, quem contumaci proposito tueatur, & a verae Ecclesiae se abrumpat sinu. Ceterum unam esse Ecclesiam Catholicam, quaeque eam repraesentet, Synodum Oecumenicam, in quam circa fidem nullus unquam obrepat defectus, neque per contumaciam, neque per imprudentiam. Clerum vero Romanum, si quid erraret, ab Ecclesia Catholica, atque ejus Oecumenica Synodo dirigi, revocari, doceri debere; perficique omnino ne error inolescat. Unde illa Romanae Ecclesiae Sedisque Apostolicae invicta firmitas ipsa Ecclesiae Catholicae firmitate constat &c. *Additque in hoc Cap. V.* Quibus haec magna & praeclara, Sedisque Apostolicae majestate digna non sufficiunt, ii ut se in minuta, atque oppido absurda ac falsa conjiciant, non ratiociniis, sed jam experimentis vidimus. Nos certe ex iis sumus quibus magna haec quidem & praeclara verba, sed tamen verba, non sufficiunt, sed res ipsas volumus, & Sedi Apostolicae adserimus ac vindicamus. Et quoniam in iis quae Illustriss. Adversarius jactat experimentis, quantum momenti sit, superiore libro jam vidimus, quid in Patrum locis ac verbis, quae superiore articulo adtulimus, pro nostra opinione praesidii sit, ad sequentia capita accuratius expendemus.

CAPUT VI.

„ Traditio Patrum de fide & Ecclesia Romana, deque Sede Apostolica nunquam defectura: Romanorum Pontificum de suae Sedis dignitate tuenda traditio.

„ HAec ita, uti diximus, se habere, *inquit Illustrissimus Adversarius*, universa agnovit antiquitas: Sancti enim Patres ab ipsa Christianitatis origine, dum quaerunt illud immotum in fide, quod Ecclesiae principali, Romanae scilicet, inesse necesse sit, non Romanum Pontificem doctorem publicum, quem a Romano Pontifice homine singulari, atque ut peccatis, ita erroribus obnoxio, secernendum cogitent; id enim postremae aetatis inventum est: sed ipsam Romanam Ecclesiam ac Romanam fidem, ipsam Petri Ca-

„ the-

„ thedram, ac Sedem Apostolicam „ uno ore commemorant. Patres, quos in praesenti capite pro sua opinione Meldensis Episcopus laudat, hi sunt: S. Irenaeus, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Optatus Milevitanus, Synodus Aquilejensis, Sanctus Hieronymus, S. Augustinus, S. Gelasius Papa, & Stephanus Larissaeus: quibus & alios in sequentibus Capitibus adjungit: quorum certe de Romana fide & Ecclesia, deque Sede Apostolica ejusque doctrina & auctoritate, una eademque sententia est. Quare unius eorum aut alterius sensibus accurate ac diligenter expositis, ceterorum mentem satis superque perspectam & exploratam habebimus, nec opus erit, ut eamdem ἀκρίβειαν & singulis enucleandis adhibeamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Celebris S. Irenaei locus expenditur; eoque demonstratur, cum omnes Ecclesias ab Ecclesiae Romanae, tum Romanam ipsam Ecclesiam a Romanorum Pontificum magisterio & auctoritate pendere: adeoque doctrinae fidei puram & immaculatam originem penes Romanos esse Pontifices, quum suam & reliquas omnes Ecclesias ex Petri Cathedra docent.

QUod primum ac speciatim in Irenaei mentem inquirendam & exponendam incumbimus, facit imprimis summa & eximia Viri sancti antiquitas & auctoritas. Quum enim proximus Apostolicorum temporum fuerit, & ab ipsis Apostolorum discipulis institutus, Ecclesiastici regiminis formam, quam Christus Apostolis delineavit, & Apostoli Ecclesiis tradiderunt, ignorare non potuit: facit etiam, quod hanc generalem confutandi haereticos methodum per traditionem Apostolicarum Ecclesiarum, ac praesertim Romanae, & per successiones Episcoporum ab Apostolis institutorum, & praecipue Romanorum, ab ipso primum adhibitam, aut saltem latius ac luculentius expositam, Tertullianus, Optatus Milevitanus, Augustinus aliique deinceps amplexi sunt: quapropter Irenaei mente percepta, de aliorum sententia facile constabit.

Aggrediens ergo Irenaeus eo ipso loco, quem Bossuetius citat, ad omnes haereticos Apostolicae traditionis auctoritate revincendos, observat primo, ejusmodi *traditionem, quae est ab Apostolis, per Successiones Presbyterorum*; hoc est Episcoporum, ut ex sequentibus constat; *in Ecclesiis custodiri*. Secundo, quod hanc *traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre*. Quoniam vero praemiserat, hanc traditionem in Ecclesiis per successiones Episcoporum custodiri; ideo subjungit: *Et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis & successores eorum usque ad nos: qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur*. Hinc colligit, perfectam illam sapientiam & absconditam in mysterio, quae ab his deliris jactabatur, & cujus sese magistros profitebantur, traditam ab Apostolis non fuisse: *Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli*,

quae seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes. Quae verba diligentissime adnotanda sunt. Ut enim exploratum habeamus, quamnam Ecclesiae ab Apostolis fundatae atque institutae a suis fundatoribus & institutoribus doctrinam acceperint, ac sibi velut ab eis traditam servent, non ait ipsas Ecclesias seorsim ab Episcopis esse consulendas: sed potius satis esse monet, ut earum Episcopos consulamus. Hos enim quibus Ecclesias regendas, imbuendas & instruendas Apostoli committebant, suum ipsis magisterii locum tradentes, valde in omnibus perfectos & irreprehensibiles esse volebant; ac proinde in eos velut Ecclesiarum duces, pastores & magistros divinae sapientiae thesauros effuderunt. Eadem ergo esse censebatur Ecclesiarum & Episcoporum fides atque doctrina: quae tamen in Episcopis velut earumdem Ecclesiarum magistris amplitudine & auctoritate emineret.

Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maxime, & antiquissimae, & omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romae fundatae & constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem & malam sententiam, praeter quam oportet colligunt. Cur autem satis esse judicet ad ostendendam universae Ecclesiae acceptam ab Apostolis traditionem, ejusque pondere haereticos opprimendos, unius Ecclesiae Romanae traditionem, & Episcoporum ejus successionem evolvere, hanc Sanctus Doctor rationem sufficit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (al. potentiorem) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.*

Locus hic Irenaei omnes Adversariorum nostrorum rationes plane conturbat, ac mirum in modum invertit. Ut enim Cl. Benedictinus Editor animadvertit (a), nec ipse Grabius negare potest vel audet, quin Irenaei toto hoc capite scopus sit probare, unam & eamdem in omni Ecclesia traditionem Apostolicam & fidem esse, qua confundantur omnes haeretici; eam vero puram & illibatam per continuam Episcoporum successionem ad suam usque aetatem manasse. Quia vero longius & molestius fuisset omnium & singularum Ecclesiarum successiones Episcopales enumerare, sufficere si unius Ecclesiae Romanae successio, per quam Apostolica traditio pervenit usque ad illud aevum, recenseatur: quia eadem est aliarum omnium Ecclesiarum cum Romana fides

(a) Differt. III. in Irenaeum art. IV. num. 34.

fides & traditio. Quamobrem recensita Episcoporum Romanorum successione, concludit: *Hac ordinatione & successione, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate.* Eamdem autem aliarum Ecclesiarum cum Romana fidem & traditionem esse, ex eo probat Irenaeus, quod ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse sit omnem Ecclesiam convenire. Sic ergo procedit objectum ab Irenaeo haereticis sui temporis argumentum: Earum Ecclesiarum una & eadem cum Romana fides & traditio est, quas necesse est cum capite, duce & principe Romana, ceteris regendis a Deo praefecta, consentire in rebus fidei atque doctrina: Atqui necesse est omnes Ecclesias, seu, quod idem est, fideles omnes, ex quocumque loco, regione, aut gente sint, cum Romana Ecclesia omnium capite, duce ac principe, regendis omnibus a Deo praefecta, consentire: Omnium igitur Ecclesiarun eadem est cum Romana fides & traditio; ac proinde quum ex traditione hujus Ecclesiae confundantur haeretici omnes & schismatici, ex consensu omnium Ecclesiarum confundi necessario consequitur.

Jam vero quam haec Irenaei cum Meldensis Episcopi opinione belle consentiant, expendamus. Juxta Irenaeum perinde est, sive unius Ecclesiae Romanae, sive universae Ecclesiae traditio haereticis objiciatur, quia necesse est omnem Ecclesiam, hoc est Ecclesiam universam cum Romana, propter potiorem hujus principalitatem, seu propter primatum ac principatum, in rebus fidei consentire. Dum Illustrissimus Adversarius huic Lugdunensis Episcopi & Galliarum luminis & ornamenti doctrinae subscribat, omnis inter nos, quod pertinet ad Ecclesiae Romanae in fidei rebus indeficientiam, inerrantiam, auctoritatem, composita lis est. Id enim unum contendimus, ut in fidei rebus, Ecclesiae Romanae omnium capitis, principis ac magistrae, propter ejus in doctrina fidei primatum & principatum, potior seu potentior, quam reliqui corporis, hoc est Ecclesiae universae sit auctoritas. Id vero diserte ac perspicue S. Irenaeus docet, quum adversus haereticos hoc velut certum & inconcussum statuit, quod cum Ecclesia Romana propter potiorem ejus principalitatem omnem necesse est convenire Ecclesiam. Nam omnis Ecclesia perinde est atque universa Ecclesia: neque hic locum habere potest frequens illa & Adversariis trita distinctio de omni Ecclesia *collective*, seu *distributive* accepta. Mens enim S. Doctoris est haereticis totius Ecclesiae traditionem objicere, sive illos auctoritate Ecclesiae universalis opprimere. Quod ut brevi compendio & facilius adsequatur, satis esse judicat, si unius Ecclesiae Romanae traditionem objiciat, cum qua omnes Ecclesiae propter illius principatum in rebus fidei consentire debent: cujus argumenti vis omnino postulat, ut non modo singulae Ecclesiae *divisive*, ut ajunt, verum & omnis

omnis Ecclesia *collective*, ab Ecclesiae Romanae in fidei rebus auctoritate pendeat: alioquin ex ea quae vigebat in Ecclesia Romana traditione nequaquam colligi poterat, quaenam vigeret in universa Ecclesia traditio; quum tamen S. Irenaeus hanc esse praedicet plenissimam ostensionem, quod una & eadem vivificatrix fides sit in Ecclesia jam inde ab Apostolis conservata, & tradita in veritate.

Sed ut magis constet, quam Adversarii nostri ab Irenaei sensibus absint, age, rem pressius consideremus, & singillatim sancti Doctoris & eorum dogmata invicem componamus. S. Irenaeus docet, sufficere, Ecclesiae Romanae de aliquo dogmate traditionem exploratam habere, ut constet illud esse ab Apostolis profectum ac derivatum, ac proinde velut Apostolicae doctrinae partem certa fide tenendum, & velut aliquid inconcussum haereticis ac novatoribus objiciendum. At Parisienses Theologi non satis esse existimant, quod Ecclesiae Romanae de aliquo dogmate fides atque traditio manifesta sit, praeterea requirunt, ut etiam de aliarum Ecclesiarum traditione constet. Secundo, S. Irenaeus ideo sufficere judicat, ut Ecclesiae Romanae fides atque traditio comperta sit, quoniam necesse est omnem Ecclesiam cum Romana in fidei rebus ac dogmatibus consentire. At Galli Theologi ejusmodi necessitatem minime agnoscunt; verum postquam Ecclesia Romana suam de aliquo dogmate fidem ac traditionem exposuit, liberum cuilibet, Ecclesiae & Episcopo esse judicant rem de integro retractare & examinare, num perinde acceptae a suis Majoribus doctrinae consona sit; ideo & consequenter docent, non statim atque de Ecclesiae Romanae traditione constat, constare pariter de aliarum Ecclesiarum ac totius Ecclesiae traditione. Tertio, ideo Sanctus Irenaeus docet esse necesse, ut omnis Ecclesia cum Romana consentiat, quoniam haec in rebus ad religionem & fidem pertinentibus primatum & principatum in omnes obtinet, *propter potiorem* seu *potentiorem principalitatem*. At Galli Theologi nunquam profecto hanc proferent rationem, cur in aliquo dogmate Ecclesia Romana & universa Ecclesia consentiant, quod hanc cum illa propter potiorem ejus principalitatem seu principatum consentire necesse sit: sed contra hanc potius rationem adferent, quod Ecclesia Romana cum universa Ecclesia tanquam pars cum toto cohaerere & congruere debeat, seu necesse sit. Quarto, si confundendis & confutandis haereticis sufficit Ecclesiae Romanae traditio, quae universalis Ecclesiae traditionis plenissima sit ostensio, hoc est luculentissimum argumentum, quoniam necesse est omnem Ecclesiam cum Romana propter hujus potiorem principalitatem in fidei rebus convenire: ergo post expositam & declaratam Ecclesiae Romanae traditionem Conciliorum generalium convocatione opus absolute non est; quae juxta Adversarios ideo congregari necesse est, ut non solum de Romanae Ecclesiae, verum & de aliarum Ecclesiarum fide ac traditione constet. Denique, si demonstrandae universalis Ecclesiae traditioni sufficit Ecclesiae Romanae

traditio, quoniam propter potiorem ejus principalitatem, seu summum principatum omnem Ecclesiam cum ea congruere necesse est: ergo non ideo Apostolicae sanctionis vis ineluctabilis est, quoniam ad eam aliarum Ecclesiarum consensus accedit; sed contra ideo necesse est ut omnium aliarum Ecclesiarum ad Ecclesiae Romanae sanctionem, seu de fide decretum consensus accedat, quoniam Ecclesiae Romanae propter ejus principatum est ineluctabilis vis & auctoritas, qua sibi omnem Ecclesiam indeclinabiliter conjungit: idque non modo de Ecclesia per universum orbem dispersa intelligi debet, verum & de eadem in Conciliis oecumenicis congregata, quum, utrovis modo spectetur, una illius eademque potestas & natura sit.

Res exemplis fiet illustrior. Quum Nestorius duplicem in Christo personam comminisceretur, ejus impio dogmati Caelestinus a Cyrillo monitus Ecclesiae Romanae traditionem objecit. Quum Eutyches duas in eodem Christo naturas permisceret, ejusdem Ecclesiae Romanae de duplici natura fidem atque doctrinam Leo Magnus luculentissime exposuit. Quum Monothelitae Eutychianorum surculi unam dumtaxat in uno Deo & homine voluntatem agnoscerent ac praedicarent, Severinus, Johannes IV. Theodorus, Martinus I. Vitalianus, Donus, & Agatho avitam Sedis Apostolicae traditionem fortissime adserverunt ac vindicarunt. Si verum est quod Irenaeus docet; haec ipsa Ecclesiae Romanae traditio satis esse debuit hujuscemodi erroribus funditus evertendis ac profligandis: at contra Adversarii docent, adhuc post Sancti Caelestini ad Cyrillum Alexandrinum & adversus Nestorium litteras, adhuc post celebrem Magni Leonis ad Flavianum epistolam, adhuc post tot Romanorum Pontificum, ac praecipue Sancti Martini in Synodo Lateranensi decreta, opus fuisse Ephesina, Chalcedonensi, & tertia Constantinopolitana oecumenicis Synodis, quo Nestoriani, Eutychiani, Monothelitae pro haereticis haberentur. Cur vero Nestorianis, Eutychianis, Monothelitis penitus profligandis satis juxta Irenaeum esse debuit exposita Ecclesiae Romanae traditio? Quoniam, ut saepe dictum est, exposita semel Ecclesiae Romanae de aliquo dogmate traditione, de aliarum quoque Ecclesiarum traditione constat. At contra, ideo juxta Adversarios post Caelestini adversus Nestorium, post Leonis adversus Eutychem, post S. Martini aliorumque Pontificum adversus Monothelitas decreta, opus fuit Episcopos ex universo orbe in oecumenicas Synodos congregari, ut praeter Romanam, de aliarum quoque Ecclesiarum, adeoque totius Ecclesiae traditione constaret. Si denique ratio quaeratur, cur exposita a Caelestino, Leone Magno, & Martino I. Ecclesiae Romanae traditio, traditionis omnium aliarum Ecclesiarum, juxta Irenaeum, plenissima ostensio sit & evidens argumentum, ratio ex sancto Doctore in promtu est, & jam nobis identidem commemorata, quoniam cum Ecclesia Romana necesse est omnem Ecclesiam propter potiorem ejus principalitatem in fidei dogmatibus consentire. At con-

contra, ideo juxta Adversarios opus fuit, Nestorianis, Eutychianis, Monothelitis sine retractatione damnandis, Synodis oecumenicis, quoniam oportuit Ecclesiae Romanae traditionem ad Ecclesiae universae traditionem exigi, cum ea componi, & summo Synodorum universalium judicio aut ab ea discrepantem rejici, aut consonam adprobari. Et ideo juxta eosdem Adversarios Caelestini, Leonis, Martini & Agathonis epistolae vim indeclinabilem, & ineluctabilem firmitatem adsecutae sunt, quoniam ad eas Ephesinae, Chalcedonensis, ac sextae Synodi generalis consensus accessit; non ideo haec ipsa Concilia eisdem epistolis consenserunt, quoniam necesse erat juxta Irenaei placitum, ut propter potiorem ejus principalitatem cum Ecclesia Romana omnis Ecclesia consentiret. Adeo Sancti Irenaei olim Lugdunensis Episcopi & Galliarum luminis, & recentiorum in eisdem Galliis Episcoporum ac Theologorum rationes & judicia recta pugnant, & aperta fronte invicem confliguntur.

Haud me latet quid contra responsi daturi sint, qui non Romanae quidem Ecclesiae, sed Romani Pontificis inerrantiae refragantur. Reponent enim, his quidem recte probari, Ecclesiae Romanae doctrinam & traditionem errori obnoxiam non esse, non tamen Romanum Pontificem quidquam vel sollenniter & ex Cathedra definientem. Verumenimvero si animum rursus ac diligenter ad Irenaei textum advertamus, facile intelligemus, eam Ecclesiae Romanae praerogativam, & in omnes Ecclesias potestatem, qua omnes sibi conjungit, & indivulse cohaerentes habet, ex Romani Pontifices auctoritate pendere. Quod enim integra & incorrupta in Ecclesia Romana servata sit tradita illi ab Apostolorum Principibus fides atque doctrina, probat Sanctus Doctor ex non interrupta Romanorum Pontificum serie, qui quod ab Apostolis acceperunt, id suis posteris & Successoribus tradiderunt, atque omnes in eam curam incubuerunt, ut traditum sibi sacrae doctrinae depositum summo ac praecipuo studio in Ecclesia sibi specialiter credita libatum & integrum custodirent. Quare hoc est argumenti, quod S. Doctor adversus haereticos urget, sive orationis ejus analysis. Quod universa Ecclesia tenet tanquam ab Apostolis traditum, id reapse divinum & Apostolicum est, ac certa fide tenendum. Porro id universa Ecclesia tenet, quod Ecclesia Romana docet, quoniam propter potiorem hujus principalitatem universa Ecclesia cum ipsa debet in fidei rebus atque dogmatibus consentire. Denique ideo in Ecclesia Romana avita fides servata est, quoniam Apostolorum Principis Successores, quibus ille suam peculiarem Ecclesiam speciali cura regendam imbuendamque commisit, suamque Sedem & locum magisterii reliquit, in hoc munus custodiendae adserendaeque fidei toto pectore incubuerunt: *Fundantes igitur*, inquit, *& instituentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quae sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur*

titur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, & quum adhuc insonantem praedicationem Apostolorum & traditionem ante oculos haberet, non solus: adhuc enim multi supererant tunc ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem, annuntiantem unum Deum omnipotentem factorem caeli & terrae, aliaque fidei Catholicae dogmata, pro quibus adversus haereticos adserendis Irenaeus id operis elucubrabat. *Huic autem Clementi succedit Evaristus, Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit: ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Quum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* Quorsum vero hanc Romanorum Pontificum recensionem, nisi ut demonstret, quibus magistris, auctoribus & adsertoribus fides primum in Ecclesia Romana, deinde & in aliis Ecclesiis servata est, vel quo ex alveo proxime in Ecclesiae Romanae, ac per eam in aliarum Ecclesiarum receptacula doctrinae caelestis unda confluxit. Quare statim adjungit: *Hac ordinatione & successione, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis praeconatio pervenit usque ad nos.* Additque ejusmodi Episcoporum, hoc est summorum doctrinae fidei praediaatorum & magistrorum eadem constanter Ecclesiae dogmata tradentium, in Petri Chathedra successionem, invictum esse & clarissimum argumentum, quod eadem in universa Ecclesia dogmata vigeant & obtineant: *Et est plenissima haec ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate.* Itaque si hoc Irenaei loco probatur, Ecclesiae Romanae fidem atque doctrinam deficere non posse, eodem utique demonstrabitur nec deficere posse in eadem fide sollenniter & ex officio exponenda & adserenda Romanos Pontifices: quum eorum auctoritate & magisterio & factum sit, & fiat, ut ea nunquam in Romana Ecclesia deficiat.

ARTICULUS II.

Confirmatur eadem thesis auctoritate Patrum, quorum in praesenti capite testimonia Bossuetius adfert.

Tertullianum, Cypriani, Optatum Milevitanum, Epiphanium, Augustinum aliosque passim, idem atque Irenaeum telum Apostolicae auctoritatis ac traditionis, per successionem Episcoporum in Petri Cathedra conservatae, in haereticos sui temporis contorsisse, recte Cl. Massuetius observat laudata superiori articulo in Irenaeum dissertatione: *Hujus pondere*, inquit (a), *obruere se posse haereticos omnes ac schismaticos sui temporis merito confidebat Irenaeus: eodem posteriores haereticos oppres-*

(a) Artic. III. num. 20.

oppressere, *qui sequuti sunt SS. Patres*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Optatus*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *aliique passim*. Quare quae in Irenaeum adnotavimus, eadem & in aliorum Patrum testimonia perinde congruere necesse est. Haec ergo leviore brachio attingemus.

Ex Tertulliano haec verba Meldensis Episcopus exscribit (a): *Habes Romam*, *unde nobis quoque* (Afris scilicet) *auctoritas praesto est*. *Ista quam felix Ecclesia*, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt*! „ Inde, inquit Bossuetius, „ auctoritas, & illa apud Christia„ nos jam inde ab origine Roma„ nae Ecclesiae praecipua commen„ datio. Sed quantum in ejusmodi auctoritate ponderis ac momenti fuerit, utque horumce Tertulliani verborum vis ac potestas intelligatur, antecedentia & consequentia perspicienda & rimanda sunt. Praemiserat enim laudatus Auctor, percurrendas esse, ad inveniendam Apostolicam traditionem & doctrinam divinitus revelatam, *Ecclesias Apostolicas*, *apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesidentur*, *apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur*, *sonantes vocem*, *& repraesentantes faciem uniuscujusque*. Ex hisce Apostolicis Ecclesiis aliquot speciatim indicat, Corinthiacam, Philippensem, Thessalonicensem, Ephesinam. Has ergo cum aliis, quae ipsis per universum orbem doctrinae consanguinate conjunctae erant testes esse docet Apostolicarum traditionum. Verum ne in singulis immoretur, satis esse judicat, quemadmodum & Irenaeus, unius Ecclesiae Romanae dogmata recensere: *Si autem Italiae adjaces*, *habes Romam &c.* quae superius ex Bossuetio descripsimus: quibus subjungit: *Videamus quid didicerit*, *quid docuerit*, *quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit*. Non ait: Videamus quid omnes Apostolicae, aut saltem recensitae Ecclesiae didicerint, quid docuerint; sed, quid una Ecclesia Romana: cui Apostoli, Petrus scilicet & Paulus, totam doctrinam cum sanguine profuderunt. Quod argumentum aut eo nititur, quod Ecclesiae Romanae auctoritas & traditio sola sufficiat haereticis obruendis; aut, quod perinde est, quod propter potiorem ejus principalitatem omnes Ecclesiae debeant cum Romana in fidei rebus convenire.

Porro in Ecclesia Romana, quemadmodum & in aliis sui temporis Apostolicis, servata fuisse, & hactenus obtinuisse Apostolica dogmata & traditiones, probat Tertullianus, non secus atque Irenaeus, ex Episcoporum ab ipsis usque Apostolis successione: qua quoniam haeretici carent, non esse illos admittendos, tanquam extraneos & inimicos, & spurios ac falsos doctrinae Apostolicae interpretes, ad ineundam de scripturis provocationem: *Edant ergo*, inquit (b), *origines Ecclesiarum suarum*, *evolvant ordinem Episcoporum suorum*, *ita per successiones*

(a) Lib. de Praescript. cap. XXXVI.
(b) Ubi supra cap. XXXII.

siones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. Sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Johanne consecratum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique & ceterae exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici &c. Inde autem colligit, doctrinae caelestis hereditatem, & scripturarum possessionem, nec non & earumdem interpretationem, & sacrorum dogmatum expositionem ad Apostolicas Ecclesias, non ad exoticas & extorres vel haereticas pertinere (a): *Ita non Christiani nullum jus capiunt Christianarum Litterarum: ad quos merito dicendum est. Qui estis? Quando & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? &c. Mea est possessio, olim possideo, prior possideo: habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum &c.* Itaque legitima & non interrupta Episcoporum successio Tertulliano argumentum erat servatae in Ecclesiis Apostolicae traditionis: quoniam haud alia esse poterat ac vigere in Ecclesiis ipsis doctrina, quam quae ab Episcopis, earumdem Ecclesiarum Magistris in Apostolorum Cathedris legitime praesidentibus personabat.

Profert Bossuetius & haec S. Cypriani verba ex epistola LV. ad Cornelium: *Navigare audent ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Verum addere debuisset Illustrissimus Auctor & quae mox sequuntur: *Nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Ergo illa Petri Cathedra, illa princeps Ecclesia, ex qua unitas Sacerdotalis, velut a centro lineae, proficiscitur, & quae velut centrum lineas, omnes Ecclesias sibi cohaerentes habet, atque in unitate continet, haereticae perfidiae minime patet, ac proinde adversus eam inferi portae praevalere non possunt. Ne quis vero existimet, inter Petri Cathedram & Petrum ipsum in ea sedentem, S. Cyprianum quidquam in hac epistola interposuisse discriminis, neque illa Meldensis Episcopus omittere debuisset S. Martyris verba: *Petrus, super quem aedificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia.* Certe haud alia ratione Petri Cathedra, & Ecclesia Romana origo est & centrum Ecclesiasticae unitatis, quam quod Ecclesia super Petrum velut immobile fundamentum ab eodem Domino aedificata est.

Illustrissimus Petrus de Marca lib. I. de Concord. Sac. & Imp. cap. II. num. VI. observat: *Eam esse vim unitatis, quae principium & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat.* Haec autem observatio non modo in Irenaei verba optime quadrat, verum & in alia tum quae jam expendimus

(a) Ibid. cap. XXXVII.

mus Tertulliani & Cypriani loca, tum quae Bossuetius adjungit ex Optato Milevitano, Aquileiensi Synodo, Hieronymo, & Gelasio testimonia, quae in eamdem cum Irenaeo & Cypriano conspirare sententiam, laudatus Parisiensis Antistes animadvertit. Si autem vis unitatis, quae ex Petri Sede originem trahit, cum ea sentiendi necessitatem imponit; nemini ergo liberum est sollennibus ejus de fide sanctionibus obluctari; adeoque statim atque ex Petri Cathedra, aut Pontificis in ea sedentis ore prodierunt, ex sese habent immobilem & ineluctabilem firmitatem.

Eadem ex vis & horumce S. Augustini verborum epistola XLIII. al. CLXII. ad Glorium &c. *In Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus*. Quibus & ista addere oportuit quae haud semel exscripsimus ex Psalmo contra partem Donati:

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa
Petri Sede:
Et in ordine illo Patrum, quis, cui successit videte.
Ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.

Quae si juxta Adversarios demonstrant universae Ecclesiae inerrantiam & inexpugnabilem firmitatem, quidni eadem de Petri Sede praerogativa ex hisce Sancti Augustini verbis comprobetur? A quibus nec illa disjungenda sunt Sancti Doctoris verba lib. contra Epistolam fundamenti cap. IV. quibus, inter alia, quae ipsum in Ecclesia Catholica tenebant carissima vincula, illud etiam recenset: *Ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum*. Quibus & haec adfinia sunt lib. de utilitate credendi cap. XVII. *Dubitabimus nos ejus Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus..... culmen auctoritatis obtinuit?* Quorum omnium eadem omnino sententia est, atque illorum, quae ex Irenaeo, Tertulliano, & Cypriano descripsimus: ac proinde eadem pro Ecclesiae Romanae, Romanorumque Pontificum inerrantia suppeditant argumenta.

Concinit Augustino Stephanus Metropolita Larissaeus haec ad Bonifacium II. & Romanam Synodum scribens (a): *Dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicae, quae a Deo & Salvatore nostro, summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit: in cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiae*. Dubitabimus, ut mox relatis Augustini verbis utar, nos ejus Ecclesiae condere gremio, in cujus confessione, doctrina, fide ac traditione omnes totius orbis terrarum Ecclesiae requiescunt? Hoc certe verentur, qui singula Apostolicarum Constitutionum verba, singulos apices anxia sollicitudine, & inquieta curiositate rimantur, nec illis adquiescunt, donec omnia caverint, & attente circumspexerint, ne forte Petri successor, in Petri Cathedra & thro-

(a) Sess. I. Concil. Rom. III. sub Bonif. II.

throno sedens, a Petri doctrina & traditione deflexerit. Quare si tandem post longam & difficilem inquisitionem, explorata dogmatum veritate, suisque victi ac persuasi rationibus, Apostolicis decretis adsensum praebent, nemo utique sapiens dixerit, quod ii reapse in Ecclesiae Romanae Sedisque Apostolicae confessione & auctoritate requiescunt.

Tandem adfert Bossuetius notissima illa, & quae jam superius descripsimus, S. Gelasii verba, qui Apostolorum principem ait (a), *praestare Sedi, quam ipse benedixit, ut portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus*. Verba illa & sollennis promissio Christi: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; ex quibus Galli Theologi adversus Protestantes demonstrari mertito judicant, ac reapse demonstrant Ecclesiae universae in fidei rebus indeficientiam, Gelasius, perinde ac antea laudatus Augustinus, ad Petri Sedem refert; quae proinde velut ipsius Ecclesiae immobile fundamentum ex Christi promissis habet, ut inferi portis ac viribus superari non possit.

CAPUT VII.

„ Libellus a S. Hormisda ad Ecclesias Orientales missus: ab eisdem Ecclesiis subsignatus mittitur eidem Papae: tum S. Agapeto, Nicolao I. atque Adriano II. praedicata in eo Libello Romana fides nunquam defectura.

De hoc fidei libello, de quo jam saepius a nobis disputatum est, libet hîc paucis exponere ac recensere quae Bossuetius observat. Et primo quidem nihil his dici potest magnificentius ac verius ad ejus commendandam auctoritatem: „ Atque „ haec professio, *inquit*, ab Hor„ misda Pontifice sic data, ab om„ nibus Episcopis Orientalibus, eo„ rumque antesignanis Constantino„ politanis Patriarchis, est recepta. „ Qua de re Occidentales Episco„ pi, praesertim Gallicani (b), „ multum in Domino collaetantur; „ ut certum sit, hanc formulam a „ tota Ecclesia Catholica compro„ batam.

„ Eamdem fidem Justinianus Im„ perator ad S. Agapetum Papam „ a se subsignatam iteratis vicibus „ mittit (c): in secunda vero sub„ scriptione sic legitur (d): *Quapropter, sicut praefati sumus sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, quae ab ea statuta sunt praedicamus, ac pro-*

(a) Tract. Gelas. Pap. apud Sirm. in App. Cod. Theodos.
(b) Epist. Aviti Vienn. ad Hormisd. Tom.V. Conc. Venet. Edit.
(c) Post Epist. I. Agap. ibid.
(d) Post Epist. VII. Agapeti.

ac promittimus ista inconcusse servari, & compellere, ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant Episcopi: ut sanctissimi quidem Patriarchae ad vestram faciant sanctitatem, Metropolitani vero Patriarchis: quatenus per omnia sancta Catholica Ecclesia nostra suam habeat firmitatem:
„ universali scilicet, ut saepe dixi-
„ mus consensione constantem. *

„ Omnes ergo Ecclesiae subsigna-
„ ta formula profitebantur, Roma-
„ nam fidem, Sedis Apostolicae &
„ Ecclesiae Romanae fidem, inte-
„ gra & perfecta soliditate consta-
„ re; ac ne unquam deficiat, cer-
„ ta Domini pollicitatione firmatam.
„ Nempe hanc fidem ab Episcopis
„ ad Metropolitanos, ab his ad Pa-
„ triarchas, a Patriarchis ad Pa-
„ pam mitti oportebat: ut omnium
„ confessionem unus exciperet, ac
„ pro confessione fidei communio-
„ nem omnibus unitatemque repen-
„ deret.

„ Hanc professionem eodem ini-
„ tio, eadem conclusione, additis
„ subinde haeresibus atque haereti-
„ cis, qui suis temporibus Eccle-
„ siam conturbassent, per secuta sae-
„ cula frequentatam scimus, hanc
„ uti Sancto Hormisdae Papae,
„ Sanctoque Agapeto, ac Nicolao,
„ omnes Episcopi fecerant, ita iis-
„ dem verbis Adriano II. Papae
„ Nicolai successori factam in Con-
„ cilio VIII. Oecumenico legimus.
„ Haec ergo ubique diffusa, omni-
„ bus saeculis propagata, ab Oecu-
„ menico Concilio consecrata, quis
„ respuat Christianus?

Nos autem ex his, quae nemo Christianus respuat, ea facile colligi posse credimus, quae non omnes qui Christiano nomine gloriantur, agnoscunt. Nempe nulli omnino errori patere aut obnoxiam esse Sedis Apostolicae fidem, ejusque de fide sanctionum seu decretorum esse ineluctabilem firmitatem.

Negat id Illustrissimus Adversarius, qui statim exponens, *quid fixum ac divina pollicitatione firmatum ubique inculcetur*: id unum contendit, ac respondet: *Sedis Apostolicae, atque Ecclesiae Romanae fidem minime perituram*.

At id nimium exile est, nec implere potest amplitudinem privilegiorum, quae sollenni illa fidei Catholicae formula Sedi Apostolicae vindicantur. Hac enim Catholici profitebantur, non modo nunquam perituram Sedis Apostolicae fidem; (imo ne id quidem diserte commemorant) sed, se se in omnibus sequi Apostolicam Sedem, & omnia quae ab ea constituta sunt praedicare. Ad id vero sollenniter profitendum, hac ratione compellebantur, quod *in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio*: quodque in ea *est integra & verax Christianae religionis soliditas*. Id autem quod rerum ipsarum experimento compertum & exploratum habebant, inde profectum existimabant: *Quia non potest Domini nostri*

 Jesu

* Non id tamen Justinianus dicit; sed eam firmitatem docet ex earumdem Ecclesiarum cum Romana Sede consensione pendere.

Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: ,, Tu es Petrus, & super ,, hanc petram aedificabo Ecclesiam ,, meam. Unde consequi intelligebant, non modo nunquam Ecclesiae Romanae aut Sedis Apostolicae perituram fidem, verum & nulla macula contaminatum iri, sed perfectam, illibatam & integram permansuram, ac propterea eam in omnibus esse sequendam, & omnia illius constituta servanda.

Futile porro est & inane quod hic Turnelius respondet [a]; nempe ex ea fidei professione ,, hoc unum colligi, Romanam scilicet Ecclesiam ,, primam esse inter ceteras, & in ea ,, fidem integram & illaesam semper ,, stetisse, quod certe non negamus. ,, An vero errare illa cum suo Pontifice absolute possit, neque affirmat, neque etiam negat dictus ,, Libellus.

Itane vero qui rotundis verbis adfirmat in Sede Apostolica immaculatam, integram & illaesam semper stetisse fidem, *quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia*; hoc est quia non possunt Christi Domini verba & promissa deficere; is neque adfirmat, neque negat, Ecclesiam Romanam aut Sedem Apostolicam cum suo Pontifice absolute errare non posse? Apage inane commentum! Si enim ob Christi promissa stetit hactenus Romana fides, & integra & immaculata permansit, hoc est ab omni naevo & macula erroris immunis; ac propterea illa in omnibus, & ejus omnia constituta suscipienda, ac sollenniter profitenda & praedicanda sunt: profecto tam fieri absolute non potest, ut Ecclesiae Romanae fides ulla aliquando erroris macula polluatur, quam fieri non potest, ut Christi promissa deficiant.

Quod autem Bossuetius subjungit: ,, Neque eo secius per eadem tem- ,, pora de ipsis Romanorum Ponti- ,, ficum definitionibus quaesitum, ,, deliberatum, retractatum, facto- ,, que examine judicatum fuit, in ,, Concilio VI. VII. VIII. jam saepius cujus ponderis ac momenti sit, ostendimus, ac vel in ipsa VIII. Synodo manifestissime apparuit: ubi ante omnem deliberationem, & ante omne rerum ab Apostolica Sede in caussa Photii decretarum examen, fidei professioni ab Hadriano missae; (seu fidei libello, de quo nunc agimus, & cui addita erat decreta per Sedem Apostolicam Photii & sequacium ejus damnatio, & Ignatii restitutio;) subscribere coacti sunt Orientales, antequam ad Synodum admitterentur.

Frustra etiam refricat Illustrissimus Adversarius quaestionem de uno Trinitatis crucifixo sub Hormisda a Monachis Scythis excitatam: quibus, inquit, non obstitit S. Papae sententia, quin eorum doctrina ab Ecclesia probaretur. Frustra, inquam, hujusce concertationis hic rursus injicitur mentio ad hujus loci, de quo nunc agimus, auctoritatem elevandam. Quum enim illud ratum fixumque sit, ex Christi pollicitationibus habere Sedem Apostolicam, quod ejus fides atque doctrina semper

(a) Tom. II. de Eccles. pag. 231. edit. Paris.

per integra & immaculata permaneat; huic perspicuae veritati obesse non debent obscura quaedam & ambigua loca, quae recta ratio praescribit ita esse interpretanda, ut cum illa certissima fixaque regula congruant. Quod quam facile praestari possit in illa Scytharum Monachorum celebri controversia, jam supra data opera demonstravimus.

CAPUT VIII.

„ Concilium Lateranense sub S. Martino Papa: S. Agathonis ad Synodum VI. epistola: Item Benedicti XII. de Visione beatifica decretalis.

SAepius & haec loca versavimus, ex iisque perspicue demonstravimus, Sedem Apostolicam Romanosque Pontifices de fidei rebus ex Cathedra pronunciantes, omnino errare non posse. Quapropter id unum reliquum est, ut exoticas atque ad arbitrium ab Adversariis confictas horumce locorum interpretationes breviter reppellamus.

ARTICULUS UNICUS.

Patrum testimonia ab Episcopo Meldensi in praesenti capite adlata ab exoticis, & ad arbitrium adfictis interpretationibus vindicantur.

INter alia Scripturae loca, quibus Adversarii demonstrant, Ecclesiam Catholicam in fidei rebus sanciendis errare non posse, hoc imprimis utuntur, quo ipsa Ecclesia ab Apostolo I. ad Timotheum III. dicta est, *columna, & firmamentum veritatis*. Hoc autem insigni elogio Sedem Apostolicam decorarunt Episcopi Cyprii in litteris ad Theodorum Papam, quae in Synodo Lateranensi sub Sancto Martino Secret. II. lectae sunt; ex quibus haec Bossuetius verba transcribit: *Firmamentum a Deo fixum & immobile, atque tituli* (seu columnae) *formam lucidissimam, vestram Apostolicam Sedem constituit Christus Deus noster*, *dicens*: TU ES PETRUS &c.

His plane concinunt & adfinia sunt, quae ex S. Sophronio Hierosolymorum Patriarcha in eodem Secretario Synodi Lateranensis Stephanus Dorensis Episcopus protulit: *Quantocius ergo* (verba sunt S. Sophronii ad Stephanum) *de finibus terrae ad terminos ejusdem deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exsistunt, pervenias &c.*

Profecto quaecumque interpretationes ab Adversariis excogitabuntur ad horumce verborum vim elevandam, totidem evadendi vias haereticis suppetent, quum illis velut immobilis & inconcussa universae Ecclesiae objicietur auctoritas. Nam Sedes Apostolica, perinde atque universa Ecclesia, firmamentum a Deo fixum & immobile, columna & fundamentum sacrorum dogmatum, dicta est.

Eadem est vis horumce verborum Episcoporum Africae, quae in eadem Synodo lecta sunt, & quae pariter Bossuetius adfert: *Manifestum & indeficientem omnibus Christianis apud Apostolicam Sedem consistere fontem; de quo rivuli prodeant affluenter, latissi-*

tissime irrigantes orbem Christianum. Haec aliaque Episcopi Africani in tribus Conciliis Africae.

Respondet Turnelius (a): „ Huic „ Romanae Sedis elogio ultro subscribimus, ex quo dignitas & „ praeeminentia primatus ipsius recte „ demonstratur, minime vero inde„ ficientis fidei privilegium, de quo „ uno hic disputamus. At si Romana Sedes indeficientis fidei privilegio minime gaudet; quomodo Africani Episcopi docent, manifestum, & indeficientem, & incorruptae puritatis apud eam Sedem consistere fontem? Ex hoc enim fonte fidei morumque doctrinam Christiani petunt & hauriunt: Si ergo fons ille indeficientis fidei privilegio minime decoratur; quomodo fons est indeficiens, de quo intaminati rivuli prodeant ad universum orbem Christianum largissime irrigandum? Nec minoris momenti sunt, quae infra iidem Patres adjungunt: nempe quaestiones fidei, quae in quibuslibet mundi partibus excitentur ac ventilentur, non prius esse finiendas, quam ad Sedem Apostolicam referantur, *ut inde*, inquiunt, *sumant ceterae Ecclesiae velut de natali fonte praedicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis*. At si Apostolicae Sedi indeficientis fidei privilegium eripitur: poterit ergo fons iste aliquando pollui, & aliquo errore contaminari: neque ex eo puritatis incorruptae dogmata indeficienter manabunt.

At non ex alio monumento luculentius haberi potest quae tum steterit omnibus & Orientalibus & Occidentalibus de Romanae Sedis Romanique Pontificis auctoritate sententia, quam ex epistola S. Agathonis ex Occidentalium Synodo emissa, & in Oecumenica Orientis Synodo probata; ex qua & ipse Bossuetius hoc testimonium adfert: „ Sanctum, *in*„ *quit*, Agathonem Papam a Syno„ do VI. susceptum vidimus haec „ scribentem: *Quod Petro adnitente Apostolica ejus Ecclesia nunquam a veritate deflexa sit: quod ejus auctoritatem ac doctrinam Catholica Ecclesia & oecumenicae Synodi semper amplexae sint, quod eadem Ecclesia semper illibata permanserit propter eam Christi promissionem* ROGAVI PRO TE UT NON DEFICIAT FIDES TUA.

Observat Turnelius (b), quod qui cum Launojo discernunt inter Pontificem ac Sedem Apostolicam seu Romanam Ecclesiam, ii respondent, ab Agathone commendari quidem Romanae Sedis indeficientem fidem, non vero Romani Pontificis: nec aliter solvunt alia bene multa Veterum testimonia.

Haec tamen responsio ipsi Turnelio minime probatur: „ Falso enim, „ *inquit*, prorsus supponit Launo„ jus, Agathonem de sola Sede lo„ qui, non de sedentibus in ea Pe„ tri Successoribus. Quid enim sonant „ ista prioris Epistolae verba? *Do*„ *minus fidem Petri non defecturam* „ *promisit, & confirmare eum fra*„ *tres suos admonuit, quod Apostoli*„ *cos*

(a) Tom. II. de Ecclef. pag. 233. edit Paris.
(b) Ubi supra pag. 227.

„ *eos Pontifices confidenter fecisse* „ *semper cunctis est cognitum*. Quid „ ista Epistolae posterioris? *Lumen* „ *fidei purum hactenus servatum est* „ *per Ministros Petrum & Paulum*, „ *eorumque Apostolicos successores*. „ Haec ne verba legit Launojus? „ & si legit, quomodo dicere po- „ tuit, Agathonem de sola Sede „ Apostolica loqui, non de sedenti- „ bus in ea Pontificibus?

Confutata in hunc modum Launojii opinione respondet ipse Turnelius „ ad priorem epistolam, Agatho- „ nem loqui de facto, non de jure „ seu possibili. Nusquam a tramite „ verae traditionis deflexisse Aposto- „ licam ac Romanam Ecclesiam, „ affirmat quidem; an vero deflecte- „ re aliquando possit, neque affir- „ mat, neque negat. Concedimus „ ultro, Romanam Ecclesiam nus- „ quam haeresim docuisse, imo nec „ ejus Pontifices, cum ex Cathedra „ adhibitis conditionibus antea ex- „ positis, pronuntiarunt; errare „ voro illos posse, etiam quum ex „ Cathedra Ecclesiam docent, ne- „ que rursus Agatho adfirmat, ne- „ que negat.

Imo vero, & Sedem Apostolicam, & Romanos Pontifices quidquam ex Cathedra definientes, non modo nunquam errasse, aut a veritatis tramite deflexisse, verum nec errare aliquando posse aut a veritatis tramite deviare, apertissime ex Agathone colligitur: quum hanc ille non errandi praerogativam ad Christi promissiones referat, quae deficere aliquando non possunt: Sic enim Agatho scribit: *Haec est enim verae fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit ac defendit .... Apostolica Christi Ecclesia: quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus* (μέχρι τέλους, usque ad finem) *permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Evangeliis fatus est:* „ Petre, Petre, *inquiens*, Ecce Satan &c. Quod ergo Ecclesia Romana a via veritatis nunquam deflexerit, ac fidei doctrinam sibi ab Apostolis traditam illibatam servaverit, Christi pollicitationibus Agatho acceptum refert: quae quum ullo aevo deficere non possint, plane inde consequens est, nec deficere ullo tempore posse Ecclesiae Romanae fidem. Quod etiam disertis verbis laudatus Pontifex docet, quum ait, quod non modo a verae traditionis tramite Sedes Apostolica nunquam deflexit, verum etiam quod ejus fides, juxta ipsius Christi promissa, illibata usque ad finem permanet.

Ne quis vero inter Sedem Apostolicam, & sedentes in ea Apostolorum principis successores distinguere hanc in parte contendat, horum quoque non errandi praerogativam eisdem Christi promissis adscribit. Nam post ea quae mox indicavimus Christi ad Petrum verba: *Petre, Petre &c.* statim adjungit: *Consideret itaque vestra, tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defectu-*

ram

ram promisit, *confirmare eum fratres suos admonuit* : *quod Apostolicos Pontifices*, *meae exiguitatis praedecessores*, *confidenter fecisse semper*, *cunctis est cognitum* . Ex hoc loco recte colligi, Romanos Pontifices, quum de aliquo dogmate ex Cathedra pronuntiarunt, semper fratres suos in fide, a qua nunquam ipsi defecissent, confirmasse, vel ipse fatetur loco jam citato Turnelius: at negat, inde probari, quod errare non possint: qui tamen facillime eadem, qua mox utebamur, observatione refellitur. Patet enim, ideo Romanos Pontifices, ex mente sensuque Agathonis, semper fratres suos in fide confirmasse, quoniam Dominus cujus fides est, fidem Petri non defecturam promisit: quae proinde promissio, ex S. Pontificis sententia, non modo ad Petrum, non modo ad Ecclesiam Romanam vel ad Sedem Petri, verum & ad sedentes in ea Pontifices referenda est: atque adeo quum deficere Christi promissa non possint, nec Romani Pontificis ex Cathedra definientis fides deficere potest.

Hinc etiam refellitur Bossuetius, qui eadem Agathonis verba in hunc modum interpretatur: „ Haec praeclara, haec magnifica, haec vera sunt; ita ut ab Agathone dicta, & a sexta Synodo suscepta esse vidimus; hoc est ipsa summa, successionis ipsius habita ratione: atque omnino ita ut cum illis stent de ipsius Agathonis judicio habita quaestio, atque in Honorii rescriptum anathematis lata sententia. Ita Illustrissimus Auctor sollenni Adversariis more, quae certa, inconcussa & perspicua sunt, ad ea loca exigi vult, quae directe nostrae sententiae non adversantur, sed ex quibus ipsi Adversarii quasdam contra illam consecutiones eliciunt, quas inde minime sequi apertissime demonstramus. Quod enim Sedes Apostolica nunquam a tramite verae traditionis deflexerit, ac Romani Pontifices semper fratres suos in fide, a qua nunquam defecerint, confirmaverint; idque ob Christi Domini promissionem; tam clare, tam dilucide Agatho docet, ut nullis possint ejus verba alienae interpretationis nebulis obscurari. At contra illud toties jactatum Agathonis epistolae examen, & contortum in Honorium a sexta Synodo anathema, quam facile cum nostra de Romanae Sedis Romanique Pontificis in definiendis fidei dogmatibus indeficienti auctoritatem, sententia concilientur, abunde jam suis locis demonstravimus.

Subjungit Illustrissimus Adversarius: „ Quid plura? ipsa me charta deficiet, si referre aggrediar eos, qui quaerentes illud immotum, quod in Ecclesia Romana sit, nihil aliud quam ipsam Ecclesiam, ipsam Cathedram, ipsam Sedem Apostolicam memorarunt. Nec Romani Pontifices unquam aliter locuti &c. *Et infra*: Atque iterum id confidenter dixerim, cum Romani Pontifices, pro eo ut par est, soleant in omnibus diplomatis Sedis suae dignitatem auctoritatemque commendare; qui se, aut Romanum Pontificem in definiendis fidei quaestionibus infallibilem dixerit,

„ ad

„ ad haec uſque tempora neminem „ extitiſſe : adeo id in Eccleſia Chriſti novum nimiumque eſt. Profecto quam confidenter haec Boſſuetius dixerit, ex iis, quae jam prolixe diſputavimus, ſatis conſtat, & ex dicendis magis conſtabit. Interim vero his refellendis haec ipſa abunde ſufficiunt quae ex Agathone retulimus. Nam ne verbis certemus; qui docet Romanos Pontifices ob Chriſti pollicitationem, quam fidem Petri nunquam, vel in Sede ipſius, vel in ejus Succeſſoribus defecturam promiſit, nunquam a veritatis tramite deflexiſſe & ſemper fratres ſuos in fide confirmaſſe; an non ille re ipſa Romanos Pontifices in definiendis fidei quaeſtionibus infallibiles praedicat? Id vero eſt, quod rotundis verbis Agatho docet.

Quae ad Benedicti XII. Decretalem Illuſtriſſimus Auctor obſervat, ejuſdem omnino commatis ſunt: quare & iiſdem obſervationibuss refelluntur, nec opus eſt, ut in iis amplius confutandis immoremur.

CAPUT IX.

„ Sancti Gelaſii Papae Epiſtola ad „ Anaſtaſium Imperatorem nobis „ objicitur.

VErba quae ſibi ex laudata Gelaſii epiſtola Auctor Illuſtriſſimus objicit, iſta ſunt: *Hoc eſt, quod Sedes Apoſtolica magnopere cavet, ut quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima pravitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod Deus avertat, quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam reſiſtere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus poſceremus? Proinde ſi pietas tua unius Civitatis populum negat poſſe pace componi, quid nos de totius orbis terrarum ſumus univerſitate facturi, ſi (quod abſit) noſtra fuerit praevaricatione deceptus?*

His verbis, ſi Boſſuetium audimus, haud aliud Gelaſius agebat, quam ut omnibus eſſet cognita ſua & aliorum Romanorum Pontificum ſumma cautela adverſus errorem, ne ſi illis irrepſerit, alios aut reprehendere non audeant, aut curare non poſſint. Jam vero illud: *Quod Deus avertat, quod fieri non poſſe confidimus*, ut rima ullo errori, aut pravae haereticorum communioni pateat; profecto, inquit Meldenſis Epiſcopus, pium votum, pia fiducia eſt, non certa illa fides, quae unquam falli non poſſit, neque abſolutam impoſſibilitatem denotat, ſed ſummam difficultatem ſpemque maximam, ut vigilantibus, attentis, caventibus Deus obrepi non ſinat.

Verum qua fiducia, ſeu potius qua fide, Gelaſius fieri abſolute non poſſe crederet, ut Sedes Apoſtolica, ut ipſi etiam Romani Pontifices aliqua erroris aut haereticae communionis macula polluerentur, in hac ipſa epiſtola luculentius his verbis Gelaſius ipſe declarat: *Ubi pietas tua diligenter advertit, nunquam quolibet penitus humano conſilio elevare ſe quemquam poſſe illius privilegio vel confeſſioni, quem Chriſti vox praetulit univerſis, quem Eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt, & ha-*

habet devota Primatem. Impeti possunt humanis praesumtionibus: quae divino sunt judicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contranitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacrae religionis auctore praefixum est, non potest ulla virtute convelli: Firmamentum enim Dei stat. *Numquidnam quum aliquibus infestata religio est, quantacunque potuit novitate superari, & non magis hoc intacta permansit, quo aestimata est posse succumbere?* Quod ergo Gelasius fieri non posse credebat, ut Petri gloriosa Confessio Sedesque Apostolica ulla unquam haereticae pravitatis macula constupraretur; non modo pium votum, aut pia fiducia erat, sed certa fides, quae unquam falli non possit, utpote certis divini Verbi promissionibus nixa. Saepius enim, ut supra etiam ostendimus, Gelasius eam Christi promissionem: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; ad gloriosam Petri confessionem, hoc est, vel ipso Meldensi Episcopo interprete, ad Sedem Apostolicam refert. Ita epist. I. ad Euphem. *Legisti sententiam*: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: *illud scilicet verbum quod Confessioni Beati Apostoli Petri portas inferni nunquam praevalituras esse promisit. Atque ideo rationabiliter existimasti, quia fidelis Deus in verbis suis non aliquid tale promisisset instituere, nisi veram sponsionis suae promissionem impleret*. Ita epist. IV. seu Commonitorio ad Faustum: *Ineptias itaque suas sibi servent nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quae Confessioni Beati Petri Apostoli inferni portas nunquam praevalituras asseruit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, quam & vox Christi, & Majorum traditio, & Canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet*. Ita demum & epist. XIV. *Praestans Sedi, quam ipse* (Apostolorum principes) *benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus*. En unde Gelasio non quidem pia fiducia, sed immobilis & firma fides, utpote divinis promissionibus nixa, quod illa totius orbis terrarum universitati fidei radix & firmamentum, nulla unquam rima pravitatis, nulla unquam maculabitur contagione, nullis unquam inferi portis ac viribus superabitur. Haec certa, inconcussa, nitida & perspicua sunt; quibus proinde frustra Bossuetius objicit Liberii, & Honorii, aliorumque Pontificum errata, quae criticae artis regulae rectique judicii Canones ita interpretari jubent, ut cum his Gelasii consentiant, quae in alium sensum nulla possunt interpretatione torqueri.

CAPUT X.

„ Leonis IX. & Gregorii VII. loci
„ objiciuntur nobis.

„ An vero recentioris aevi Pon-
„ tifices ab Antecessorum tra-
„ ditione deflexerint, videamus.
Non deflexerunt certe; idque diserte imprimis demonstrat Sancti Leonis

nis IX. egregii Pontificis locus; ubi docet, quod pro solius Petri fide, ne deficeret, Dominus rogavit: *Quae*, inquit, *oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit: nec defectura creditur in throno illius usque in saeculum saeculi: sed confirmabit corda fratrum, sicut usque nunc confirmare non cessat*. „ Haec Leo, in„ quit Bossuetius; sed quid contra „ nos? Qui quidem tanto conatu id „ agimus, ne illa Petri Sedes a ve„ ra unquam fide avellenda credatur. „ Quod autem ea Sedes in fide labe„ scentes confirmare non cesset, id „ a Sancto Agathone depromtum, „ eodem intelligendum modo; nem„ pe ut id ipsa series, ipsa successio, „ non ut singuli quique praestiterint.

Hoc S. Leonis testimonium male habet Adversarios; quare varias excogitarunt vias, nullumque non moverunt lapidem, ut importunissimi loci pondus declinarent. Qua de re audire praestat Turnelium his disserentem verbis (a): „ Respondent ali„ qui, agere hic Leonem de Ro„ mana Sede, non de Pontifice. „ Verum quid de ista distinctione sen„ tiamus, supra exposuimus. Nimirum illam tanquam omnino futilem & commentitiam rejecerat.

„ Alii respondent, inde recte qui„ dem colligi infallibilitatem pas„ sivam Ecclesiae Romanae, qua „ nempe fit ut nunquam. Deo pro„ vidente, tenacius errorem reti„ neat; non vero infallibilitatem „ activam, quae in docenda verita„ te consistit, a qua potest illa defi„ cere. Id inter alia Bellarmino hunc objicienti S. Leonis locum Launojus reponit epist. ad Antonium Varillaum Par. V. epistolarum: *Primo quidem*, inquit, *locus hic prout a Bellarmino citatur, Bellarmini non servit instituto. Bellarminus agit de fide nunquam defectura, quae in docenda tota Ecclesia consistit. Leo vero de fide nunquam defectura, quae in retinenda Christi fide versatur*. Verum & hanc opinionem Turnelius paucis refellit. Quoniam „ vix intelli„ gitur, *inquit*, qui fieri possit ut „ Romana Ecclesia infallibilis sit in „ retinenda fide, non vero in ea do„ cenda: siquidem si haeresim doce„ re illa posset, haud dubie sic do„ cendo a fide deficeret.

Tertiam aliorum responsionem his idem Turnelius verbis exponit: „ „ Reponunt alii, fidem Petri, seu „ Sedis Apostolicae, vel, quod „ idem est, Romanae Ecclesiae, „ deficere nunquam posse, quamdiu „ illa pronuntiat tanquam unitatis „ & communionis Catholicae cen„ trum, ex consensu nimirum alia„ rum Ecclesiarum, quae cum „ illa conjunctae sunt„. Id, ut saepe vidimus, in hoc Opere passim inculcat Illustrissimus Adversarius. Infra cap. XIV. *Illa*, inquit, *Ecclesiae Romanae Sedisque Apostolicae invicta firmitas ipsa Ecclesiae Catholicae firmitate constat*. Et rursus: *Firma quidem est Sedis Romanae atque inconcussa traditio: sed illud robur Catholicae Ecclesiae traditione constat*. „ Ve„ rum, regerunt alii apud laudatum

(a) Tom. II. de Eccles. Quaest. V. art. III. pag. 255.

„ Turnelium , cuilibet particulari „ Ecclesiae illud commune esse , „ ut a vero aberrare non possit , „ quamdiu toti Ecclesiae indivulsa „ adhaerescit : quia scilicet non alia „ tunc illius , quam Ecclesiae totius „ fides . Deinde , si Romana par- „ ticularis Ecclesia , quatenus cen- „ trum est unitatis & communionis „ Catholicae , omnium Ecclesia- „ rum , quae veluti totidem lineae „ in centro coadunantur & colligun- „ tur , consensum includit : ergo „ consensus ille necessarius est , nec „ posset denegari . (Ita plane est , atque illud omnino docet S. Irenaeus, quum ex unius Ecclesiae Romanae traditione universae Ecclesiae traditionem demonstrari docet , quoniam necesse est omnem Ecclesiam cum Romana propter potiorem hujus princi. cipalitatem in fidei rebus convenire .) „ Ergo plane inutilis ac illuso- „ ria Cleri Gallicani declaratio , „ quae consensum postulat , qui ne- „ cessarius est , nec abesse unquam „ potest , nec merito recusari . Ita profecto res est , Cleri Gallicani declaratio cum Irenaei Galliarum Luminis textu recta pugnat , neque cum illo conciliari ulla ratione potest .

„ Denique alii respondent (quam grave sit quod objicitur & Adversariis incommodum , haec responsionum invicem confligentium varietas argumento est) „ id quod ait Leo IX. „ nempe *Christum pro solo Petro* „ *orasse* , non sic intelligendum esse, „ quasi ceteros vellet excludere , „ sed illud ad totam Ecclesiam refe- „ rendum esse , quae in Petro re- „ praesentabatur . De hac re ne cogitasse quidem Leonem pro certo habemus , & paullo post luculenter , ut nobis videtur , demonstrabimus . Interim videamus , quibus hanc interpretationem coloribus post Launojum Turnelius fucare satagat . „ Au- „ diatur , *inquit* , ipse Pontifex „ Leo IX. in epistola ad Michaëlem „ Constantinopolitanum : *Taliter* , „ inquit , *sancta Ecclesia super petram , id est Christum , & super Petrum vel Cepham . . . . . aedificata , quia inferi portis . . . . nullatenus foret superanda : sic pollicetur ipsa Veritas* . . . . Portae inferi non praevalebunt adversus eam . *Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre , idem Filius protestatur dicendo ad Petrum* : Ego rogavi pro te &c. *Erit ergo quisquam tantae dementiae , qui orationem illius , cujus velle est posse ; audeat in aliquo vacuam putare ? Nonne a Sede Principis Apostolorum , Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum , quam per suos Successores reprobata , & convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta , & fratrum corda in fide Petri , quae hactenus non deficit , nec usque in finem deficiet , sunt confirmata ?*

„ Duo hic habes , *subjungit Turnelius* : 1. petram supra quam aedificata est Ecclesia, esse & Christum, & „ Petrum (quamquam diversa ratio- „ ne .) 2. Ecclesiam adversus quam „ portae inferi nunquam praevale- „ bunt , & pro qua oravit Christus , „ cum dixit Petro : *Ego rogavi , ne* „ *deficiat fides tua &c.* Ecclesiam , „ inquam , illam non esse singularem „ dumtaxat Romanam , sed univer- „ salem . 3. Adde verissimum illud „ esse , fidem Petri nunquam esse

„ de-

„ defecturam, quia fides Petri vere „ fuit, & quidem fides totius Eccle„ siae, quae nunquam in se defi„ ciet. Eam etiam nusquam defe„ cturam in singulari Sede Romana, „ existimat Leo cum aliis bene mul„ tis; idque vi & efficacia orationis „ Christi.

Ita laudatus Theologus tandem post varios aestus; post discussas Symmystarum ad hunc Leonis locum celebriores responsiones; post lectam, quam alicubi citat, Meldensis Episcopi defensionem, invitus quidem, sed vi coactus patentissimae veritatis, Leonem nobis adjudicat. Quid enim aliud est, in singulari Sede Romana nunquam defecturam fidem; idque vi & efficacia orationis Christi: quam Sedem Romanam omnino errare non posse? *Erit* enim *quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?* Cumque distinctionem inter Sedem Romanam & Romanos Pontifices idem Auctor veluti commentitiam traducat; consequens est, & Romanum Pontificem omnino errare non posse. Nec illud praetermittendum, secum ipsum in verbis mox relatis conflictari Turnelium, Primo enim ait, ex Leonis IX. sententia, *Ecclesiam ..... pro qua rogavit Christus cum dixit Petro*: Ego rogavi, ne deficiat fides tua, *non esse singularem dumtaxat Romanam, sed universalem*. Postmodum vero observat, fidem Petri *nusquam defecturam in singulari Sede Romana ...... idque vi & efficacia orationis Christi*: & hoc cum aliis bene multis existimasse Leonem. Quae profecto nemo conciliare audeat. Si enim vi & efficacia orationis Christi fides Petri nunquam defectura est in singulari Sede Romana; quomodo Ecclesia, pro qua rogavit Christus, ne deficeret fides ejus, non est Romana singularis Ecclesia?

Sed ad Meldensem Episcopum redeamus. Quaerit ille, ut vidimus, qua in re Leonis textus ipsius opinioni adversetur. *Haec Leo, sed quid contra nos?* Quaeris? Paucis accipe. Leo non semel docet, fidem Petri nunquam defecturam in throno & Sede Petri, & in Ecclesia Romana singulari, idque vi & efficacitate orationis Christi; ac proinde nec posse deficere; nisi forte quisquam sit tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, existimet posse aliquando irritam esse. Tu vero, Illustrissime Praesul, aperte doces, fidem Petri, ad breve quidem tempus & citra contumaciam, sed tamen posse deficere, & aliquando reapse defecisse. Quid ergo miraris, quod tibi Leonem adversarium statuimus? *Haec Leo, sed quid contra nos?* Vos scilicet semper solliciti estis, ne fides Petri aliquem in Sede Petri defectum sentiat aut senserit; ideoque quidquid ex Petri Cathedra emanat, sollicite & contentiosissime retractatis: Leo vero tum docet, pro singulari Petri Sede rogasse Christum, ne unquam deficeret fides ejus; tum summae esse dementiae, ut quisquam *orationem illius, cujus velle est posse, audeat* IN ALIQUO *vacuam putare*. Quod argumentum perinde valet in singulos Romanos Pontifices, atque in totam eorum successionem. Nam quemadmodum singulis in Petro Christus praecepit, ut corda fratrum confirmarent,

marent, ita & pro singulis oravit, ut id reapse perficerent, quum videlicet officio Petri funguntur: *Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in* ALIQUO *vacuam putare?*

Eodem sensu, quo S. Leonis IX. intelligenda sunt & haec S. Gregorii VII. verba lib. VIII. epist. I. ad Archiep. Synnad. *Ecclesia Romana per Beatum Petrum quasi quodam privilegio ab ipsis fidei primordiis a sanctis Patribus omnium mater Ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem habebitur semper: in qua nullus haereticus praefuisse dignoscitur, nec unquam praeficiendum, praesertim Domino promittente, confidimus: ait enim Dominus Jesus:* „ Ego rogavi „ pro te, Petre, ut non deficiat fi„ des tua. Haec nihil ad rem pertinere, Bossuetius respondet: „ Non „ enim quaerimus, *inquit*, an Ro„ manus Pontifex possit fieri haereti„ cus; quod illi posse fieri, passim „ confitentur; sed utrum haeresim „ definire possit, quod etiam non „ haereticum facere posse constat. At neque S. Gregorius eo loci, definit, an Romanus Pontifex absolute fieri possit haereticus; sed quod in Petri Cathedra residens tanquam ipsius fidei publicus & summus interpres haeresim definire non potest, aut a fide ulla ratione deficere. Id enim ex Christi promissione & oratione colligitur, quas nemo nisi insipiens *audeat in aliquo* vacuas & irritas judicare. Illud porro mirandum, quod idem Illustrissimus Adversarius, relatis hisce ejusdem S. Gregorii consultis: *Ecclesiam Romanam nunquam errasse; nunquam erraturam; Catholicum non haberi, qui non concordat Romanae Ecclesiae*; subjungat: „ „ Quod nos quoque credimus, om„ nique ope asserimus. Itane vero & creditis, & omni ope asseritis, Ecclesiam Romanam *nunquam errasse*, qui omni ope contenditis, Honorii ad Sergium epistolas pro Sedis Apostolicae decretis habendas esse? *Nunquam erraturam*; qui tam anxie Apostolicarum Constitutionum, antequam illis subscribatis, singulos apices trutinatis? *Catholicum non haberi, qui non concordat Romanae Ecclesiae*; qui toties praefracte diffidentes a sollennioribus Ecclesiae Romanae decretis Episcopos, non modo pro Catholicis habetis, verum & eorum resistentiam ut plurimum adprobatis, & vestram eorum exemplis tuemini?

CAPUT XI.

„ Innocentii III. ab Anonymo Au„ ctore locus objiicitur: sed trun„ cus & mutilus.

„ CEnsores nostros, *inquit Meldensis Episcopus*, in impu„ gnandis nobis multa quidem, id „ autem vel maxime peccasse vidi„ mus, quod officium pro re, piam „ spem ac fiduciam pro certa fide ac„ cipiant. Id quod maxime confirmari docet insigno loco Innocentii III. quem Auctor Anonymus (*Antonius Charlas*) vehementer urget. Unde sibi colligere Illustrissimus Auctor videtur, de Romanae Ecclesiae Romanique Pontificis inerrantia habuisse quidem Innocentium piam fiduciam & praesumtionem, non tamen certam & inconcussam fidem.

De

De Romana Ecclesia, ejusque in fide retinenda immobili firmitate, haec habet laudatus Pontifex Serm. II. de Consecratione, verba illa exponens, EGO PRO TE ROGAVI PETRE &c. *Rogavit & impetravit, quoniam* exauditus est pro sua reverentia: *& ideo fides Apostolicae Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper & illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum*. Haeccine piam spem & fiduciam, non certam fidem praeseferunt? Ait, pro Sede Apostolica orasse Christum, ne fides ejus deficeret. Ait, id a Christo impetratum; quoniam juxta Apostolum: *exauditus est pro sua reverentia*. Ait denique, propterea, id est propter vim & efficacitatem orationis Christi, fidem Apostolicae Sedis in nulla unquam turbatione defecisse; neque hoc tantum, sed integram semper & illibatam permansisse, ut Petri privilegium persisteret inconcussum. Haeccine, inquam, piae tantum spei & fiduciae, non certae fidei argumenta sunt? Id quidem adfirmare nec ipse Meldensis Episcopus audet: quare alio confugit; Nimirum haec „ ad „ universam Petri Successionem, „ eique conjunctam Romanam Ec„ clesiam, non ad singulos in hac „ successione Pontifices, pertinere. At si aliquis ex Petri Successoribus, Honorius ex. gr. ex Petri Cathedra, consentiente, ut Adversarius contendit, Ecclesiae Romanae Clero, adeoque ipsa Romana Ecclesia, infestam fidei Catholicae constitutionem emisit; quomodo, amabo te, Ecclesiae Romanae fides in universa Romanorum Pontificum Successione nunquam defecit, hoc est, nullum unquam, ut id S. Bernardus interpretatur, sensit defectum, sed semper integra & illibata permansit? Caelestia Luminaria respectu nostri nunquam deficere, aut nullum sentire defectum, quoniam ad breve tempus deficiunt; purum ad nos semper & illibatum lumen transmittere, quoniam ad breve tempus eorum splendor offusis tenebris obscuratur, nullus Astronomus, nullus unquam judicii mentisque compos adfirmavit.

Eadem vis est & horum ejusdem Innocentii verborum in Cap. *Majores* de Baptismo: *Majores Ecclesiae caussas, praesertim circa articulos fidei contingentes, ad Beati Petri Sedem referendas intelligit, qui novit Dominum pro eo exorasse, ut non deficeret fides ejus*. Hoc est, ut non deficeret fides in Sede illius, ad quem fidei caussae sunt referendae: alioquin adducta ratio nulla esset. *An audebis dicere*, ut verbis utar Augustini (a) *etiam rogante Christo, ne deficeret* in Sede Apostolica *fides Petri, defecturam* aliquando *fuisse, si Petrus*, si aliquis Successorum ejus, *eam deficere voluisset? .... quasi aliud Petrus*, aut aliquis Successorum Petri, *ullo modo vellent, quam pro illis Christus rogasset ut vellent?* Aut, quemadmodum ait Leo IX. *Erit quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?*

Et ea quidem quae adduximus Innocentii loca ad Sedem Apostolicam dice-

(a) Lib. de Correpe. & Grat. cap. VIII.

directe pertinent: de sedentibus autem in ea Romanis Pontificibus, & Petri munere sollenniter fungentibus haec idem Pontifex scribit epistol. CCIX. ad Patriarcham Constantinopolitanum: *Pro Petro Dominus se orasse fatetur; ex hoc innuens manifeste, quod Successores ipsius a fide Catholica* NULLO UNQUAM TEMPORE *deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent etiam haesitantes; per hoc sic confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi*. Non ait, Christi verbis & oratione manifeste probari, contingere non posse, ut universa Petri Successio a vera fide avellatur; sed, quod Petri Successores a fide Catholica nullo unquam tempore deviabunt: quorum certe verborum nativus sensus est, inter Petri Successores neminem fore, qui a fide Catholica aliquando deviet. Idque ait, Christi verba *manifeste* indicare.

Quod ergo alicubi piam tantum fiduciam idem Pontifex fovisse videtur, non permissurum Deum ut Romanus Pontifex contra fidem erret; necesse est, nisi secum ipsum turpiter conflictari velimus, de Romano Pontifice intelligamas, non quidem ut ex Petri Cathedra quidquam ille pronunciat, sed ut privati Doctoris munere aliquando fungitur, aut fungi potest.

CAPUT XII.

„ Petri Cardinalis de Alliaco de Se-
„ de Apostolica nunquam defe-
„ ctura, deque Pontifice interim
„ fallibili, & deviabili senten-
„ tia.

„ Ultimo loco proferimus, *inquit Bossuetius*, Petrum Alliacensem & Johannem Gersonem de Romanae Sedis aeterna firmitate differentes; ut eam cum Parisiensium sententia egregie consentire constet.

„ Et quidem Petrus de Alliaco in illa Legatione nobili, quam adversus Montesonum Universitatis Parisiensis nomine Avenione gessit ad Clementem VII. ita peroravit: *Non ignoramus, sed firmissime tenemus, & nullatenus dubitamus quod sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam Hieronymo teste fundata est Ecclesia .... de qua Sede in persona Petri in ea sedentis dictam est*: „ Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

In eadem Legatione tractatum edidit ad Papam & Cardinales, in quo eadem inculcat, additque, quod in Capite, *Haec est fides*, habetur: *Quod ipsa semper immaculata permansit, & in futuro permanebit: ex quibus omnibus satis patet, quod ejus nunquam deficit fides*. An haec cum Cleri Gallicani declaratione egregie consentiant, postea videbimus.

An etiam cum veterum Patrum traditione Alliacensis opinio, quae Sedi

Sedi Apostolicae indeficientiam tribuit, Romanis Pontificibus adimit, & quantum in ea opinione momenti sit; tum satis ex dictis constare arbitror, tum etiam paullo post accuratius expendemus.

CAPUT XIII.

„ Johannis Gersonis eadem de re „ sententia: Confutantur qui putant variasse Gersonem: Dionysii Carthusiani loci repetuntur.

JOhannes vero Gerson (a), *subjungit Illustrissimus Auctor*, ejus [*Alliacensis*] Discipulus „ haec „ coram Alexandro V. praedicat: De Indis quidem: *Habent Christum*, inquit, *an pure*, *quis doceat? Facile in eis sinceritas corrumpitur, cum Ecclesiae Romanae non cohaereant, a qua fidei certitudo petenda est*. De Grecis vero: *Illos mala tempestas a Sede Petri disjectos, non modo schismatis, sed nonnullius etiam haeresis macula foedavit*. Latinitas *ipsa purior & immaculatior, Sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia*. „ Haec docet ille, qui ubique „ assensit, Romanum Pontificem, „ etiam de fide judicantem, errare potuisse. Unde colligit Bossuetius, haec quae diversa videntur, in unam revera coire sententiam. „ Quod item, *inquit*, demonstrat „ pius ille doctusque Dionysius Carthusianus, qui & Papam in judicando fallibilem, & Ecclesiae Romanae fidem nihilosecius nunquam „ defecturam credidit, ut suo loco „ diximus. Adeo liquebat, haec „ duo simul stare: atque hinc utraque amplexi Gallicani Patres, & „ consensum Ecclesiae post Pontificalia decreta necessarium; & nihilosecius *Apostolicae Sedis, in qua fides praedicatur & unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus Gentibus majestatem* praedicant. Quae tamen quam solide tum secum ipsa, tum etiam cum veteri traditione cohaereant, postquam aliorum e Gallia Scriptorum pro hac opinione suffragia produxerimus, haud segniter expendemus.

ARTICULUS UNICUS.

Celebres alii e Gallia Scriptores Ecclesiae Romanae Sedisque Apostolicae fidem indefectibilem, earumque auctoritatem ineluctabilem praedicant.

HOrumce Scriptorum aliquot testimonia collegit in altera Instructione Pastorali anni 1718. Illustrissimus tunc quidem Suessionensis Episcopus, nunc autem Senonensis Episcopus, nunc autem Senonensis Archiepiscopus; ubi & ipse eamdem sententiam adversus suae olim Dioeceseos Refractarios amplectitur ac tuetur. „ Non hic quaerimus, „ inquit (n. XXIV.), an Papa sit „ errori obnoxius nec ne. Non mihi est animus Doctorum ultra „ montes opinionibus suffragari, ne- „ que a Regni doctrina deviare.

(a) Serm. cor. Alex. Pap. in Ascens. Dom.

„ Verum id unum quaerimus, quid „ nos traditio doceat circa ineluctabilem auctoritatem hujus Apostolicae Ecclesiae, quam unicum & „ necessarium esse fatemur Catholicae unitatis centrum. Operae „ pretium erit vobis ob oculos ponere non quidem ea quae Patres „ hoc de argumento disseruerunt. „ Haec vobis ignota esse non possunt; quum obviae sint eorum textuum Collectiones: sed quae ipsimet „ Auctores, qui tenacius nostris Libertatibus adhaeserunt, quique „ maxime alienum ab opinionibus, „ quae ultra montes obtinent, animum domonstrarunt, pro certis „ & inconcussis dogmatibus habuerunt, de quibus nulla nobis cum exteris Theologis concertatio esset.

Primum autem Nicolium in medium producit; qui etsi Romanos Pontifices errandi periculo non eximit, hoc tamen de Romana Ecclesia testimonium perhibet (a): *La doctrine de ceux qui rejettent l'infallibilitè du Pape, est que Dieu ne permettra jamais que le saint Siege, ou l'Eglise de Rome, tombe dans aucune erreur, qui leur fasse perdre la Foi, & qui la fasse retrancher de la communion de l'Eglise. La raison en est que l'Eglise devant toûjours avoir un Chef, & n'en pouvant avoir d'autre que le saint Siege, & l'Eglise de Rome, qui est le centre de l'unitè, il s'ensuit, que le saint Siege ne sera jamais dans un ètat qui ne puisse plus ètre reconnu pour Chef. C'est pour quoi on voit que lorsque Liberius consentit à l'Arianisme, Felix prit sa place; & l'Eglise de Rome ne suivit point l'errèur de Libere.* Et paullo post in hunc modum laudatus Auctor concludit: *Quoique la qualitè du Pape n'empeche pas celui qui la possede de tomber dans l'erreur, elle empeche nèammoins cette sorte d'erreur qui entraineroit avec soy l'Eglise de Rome, & la feroit retrancher de la commmunion du reste du Corps, ce qui ne peut jamais arriver.*

„ Celebris Bossuetius, omnium „ postremi saeculi Theologorum, „ profundissimus atque accuratissimus (*le plus pronfod & le plus exact des Thèologiens du dernier siecle*) ut nobis, perinde atque Nicolius, suspectus esse non debet, ita „ non minus aperte nitideque suos hac „ de re sensus exponit. Nemo ignorat, quae illius fuerint partes in „ celebri Cleri Gallicani conventu „ an. 1682. & in promovendo Propositionum negotio, quae in eo „ sancitae fuerunt. In eo tamen „ ipso sermone, quem ad hunc Cleri conventum habuit, quique illius jussu publici juris factus est, „ suam his verbis mentem aperit: *Qu'on ne dise point que ce Ministere de S. Pierre finisse avec lui, ce qui doit servir de soutien à une Eglise eternelle ne peut avoir jamais de fin. Pierre parlera toûjours dans sa Chaire, c'est ce que confirment sixcens Eveques du Concile de Chalcedoine. Saint Paul* (ait eodem loco idem eruditus Antistes) *etant revenu du troisième Ciel vint voir Pierre, a fin de donner la forme aux siecles futu-*

(a) Tom. 2. Instruct. X. sur le Symb. chap. X.

futurs, & qu'il demeurat établi à jamais. Que quelque docte, quelque saint qu'on soit, fut on un autre Saint Paul, il faut voir Pierre... Rome prédestinée à être le Chef de la Religion & de l'Eglise, doit devenir par cette raison la propre Eglise de S. Pierre; ainsi fut établie & fixée à Rome la Chaire eternelle. C'est cette Eglise Romaine, qui enseignée par S. Pierre & ses Successeurs, ne connoit point d'heresie.... Ainsi l'Eglise Romaine est toûjours vierge, la Foi Romaine est toûjors la Foi de l'Eglise. On croit toûjours ce qu'on a cru, la meme voix retentit par tout, & Pierre demeure dans ses Successeurs le fondement des Fideles. C'est Jesus-Christ qui l'a dit. Le ciel e la terre passeront plutot que sa parole.

„ Tertius Auctor, de quo pari„ ter nulla esse potest suscipio, est „ celebris Launojus, qui in una „ suarum epistolarum (a), in qua „ Bellarmini de Romanorum Pon„ tificum inerrantia opinionem exa„ gitat, agnoscit tamen debitas Ec„ clesiae Romanae praerogavitas, „ & Cathedrae Apostolicae indefi„ cientem auctoritatem. Plures pro „ sua opinione Bellarminus Sancto„ rum Patrum textus produxerat, „ qni Eminentissimo Auctori decre„ torii visi fuerant. Launojus singu„ lis respondet, eos esse non de Ro„ mano Pontifice, sed de Ecclesia „ Romana & Sede Apostolica intel„ ligendos. Id constat ex responsionibus laudati Scriptoris ad Lucii I. Leonis IX. & Inocentii III. Romanorum Pontificum, Sancti Petri Chrysologi, & S. Bernardi testimonia: quae, ut Suessionensis Episcopus animadvertit, Launojo non satis probare videntur Pontificis inerrantiam: non abnuit tamen, quin laudati sancti Doctores de Ecclesia Romana & Sede Apostolica loquuti sint; in quibus proinde juxta doctrinam Sanctorum Patrum ab hocce Gallico Scriptore expositam fides nunquam deficiet.

„ Has Launoji responsiones, sub„ jungit Suessionensis Episcopus, „ plures, qui post ipsum in eodem „ argumento versati sunt, adopta„ runt: quos inter ex. gr. laudari „ possunt Nat. Alex. & Dupinius. „ Hic potissimum Dissert. V. de „ antiq. Eccles. discipul. cap. 2. „ ubi probare contendit errori ob„ noxios esse Pontifices, objectis re„ spondens, quae ex S. Bernardi, „ Nicolai I. & Leonis IX. testimo„ niis eliciuntur, haec habet digna „ notatu verba: *Licet Ecclesiam Romanam semper subsistere, & a fide penitus non deficere necessarium sit, haud inde sequitur, ejus Episcopum in errorem cadere non posse.* Et rursum: *Non loquitur Bernardus de persona Papae Romani, sed de sede Petri; ac proinde ex isto loco probari tantum potest, Ecclesiam Romanam totam non posse deficere; at immerito concluditur, Romano Pontifici soli idem privilegium competere.*

„ At non aliunde tutius, quam „ ex Gallicanis Episcopis accipere „ possumus legitimos sensus, quos „ erga Sedes Apostolicam induere ac

(a) P. V. epist. II. ad Anton. Varill.

„ fovere debemus, quos certe du-
„ ctores sequendo, verendum non
„ est, ne praefixos limites transi-
„ liamus. Compertum est, quam
„ illi curam & vigilantiam in Cle-
„ ri Comitiis adhibuerint, ut no-
„ stras libertates & principia, qui-
„ bus illae nituntur, defenderent,
„ ac tuerentur; ut sacra Episcopa-
„ tus jura sarta tectaque servarent;
„ & ne quid illis excideret, quod
„ ad Sanctorum Patrum constantem
„ omnium saeculorum traditionem
„ non omnino quadraret. Haec me
„ cogitatio compulit ad eorum hic
„ verba repraesentanda, quibus sae-
„ pe in pluribus ejusmodi Comitiis
„ suam erga Romanam Ecclesiam
„ & Sedem Apostolicam veneratio-
„ nem testatam esse voluerunt.

„ Conventus Melodunensis anni
„ 1579. hanc omnibus Fidelibus cre-
„ dendi regulam proponit: *Aperta professione eam fidem pronuntient, quam sancta Romana Ecclesia, magistra, columna & firmamentum veritatis profitetur & colit. Ad hanc enim propter suam principalitem necessum est omnem convenire Ecclesiam.*

„ Anno 1653. triginta & unus
„ Regni Praesules in suis ad Inno-
„ centium X. litteris primaeve Ec-
„ clesiae hoc de argumento sensus
„ in haec verba cogunt: *Perspectum enim habebat non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum...... Judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione, (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis libuerit) divina aeque & summa per universam Ecclesiam auctoritate niti. Cui Christiani omnes ex officio ipsum quoque mentis obsequium praestare teneantur.*

„ Consona iis sunt quae Conven-
„ tus anni 1660. ad Alexandrum
„ VII. scripsit. Hujus Coetus Epi-
„ scopi de Sede Apostolica loquun-
„ tur tanquam de monte, ad quem
„ omnes Fideles convertere oculos
„ debeant; adduntque: *In hoc monte nos ipsi pascimur (ut ait Divus Augustinus ad populum suum,) pascimus vos, pascimur vobiscum: & quia in eo Dominus docet, statuimus ibi, secundum verba Tertulliani, finem quaerendi, stationem credendi, expunctionem inveniendi.*

„ Anno 1663. perspicere est eas-
„ dem loquendi formulas ex eodem
„ spiritu profectas in encyclicis lit-
„ teris, quas Episcopi in unum coa-
„ cti ad Regni totius Archiepisco-
„ pos & Episcopos direxerunt. In
„ eis haec verba leguntur: *La soumission que nous avons accoutumè de rendre aut Saint Pere, est comme l' hèritage des Evêques de France... c' est le point solide de nôtre gloire, qui rend notre Foi invincible, & notre authoritè infaillible. Lorsque nous tenons l' une & l' autre insèparablement attachèe au centre de la Religion: en nous liant au siege de S. Pierre pour la croyance & la discipline, dans l' unitè de l' esprit de l' Eglise. Les portes de l' Enfer ne sçauroient prèvaloir contre une force si redoutable à toutes les Puissances des tenebres.*

Adfert deinde Illustrissimus Praesul verba celebris declarationis anni

1682.

1682. quae supra cum Bossuetio retulimus.

„ Comitia Cleri anni 1700. e re „ esse judicarunt in Acta referre nar„ rationem rerum, quae in damna„ tione libri *des Maximes des saints* „ acciderant. In ea narratione post „ Archipiscopi Cameracensis Man„ datum, quod integrum ibi refer„ tur, haec verba leguntur: *Les ennemis de l' Eglise parurent surpris d' un changement si soudain ..... Mais l' Eglise, qui sçait la grace attachée à l' obeissance reconnu dans la soûmission de cet Archevêque un effet de l' humilité Chretienne*.

„ Si gradatim praecedentia saecu„ la decurramus, Ecclesiam Galli„ cam comperiemus Auctoresque Ju„ ribus nostris & Libertatibus impri„ mis addictos, eadem passim incul„ care principia, iisdemque verbo„ rum formulis uti. Occurrent etiam „ qui ultra quam par est progredi vi„ dentur, quorum propterea testi„ monia data opera omitto. Cujus„ modi est illud Gallorum Procerum „ in epistola ad Clementem V. pro „ elicienda ab eo Bonifacii VIII. „ damnatione: illud Johannis Pari„ siensis ejusdem aevi Theologi, „ cujus celebre est nomen ob propu„ gnata jura Philippi Regis adversus „ ejusdem Bonifacii ausus: illud „ Meldensis Episcopi in oratione ad „ Eugenium IV. habita Caroli VII. „ nomine, cujus erat Orator, quum „ Florentina Synodus celebraretur. „ Haec testimonia ultra quam par est „ efferri videntur, quoniam id ipsis „ Romanis Pontificibus adserere ac „ vindicare videntur, quod alia no„ bis exscripta tam diserte de Roma„ na Ecclesia & Sede Apostolica ad„ firmant. (*Hoc est, ejus in reti„ nenda fide indeficientem & immobi„ lem firmitatem*.) Duorum ergo „ celebrium Cardinalium Petri Al„ liacensis & Nicolai Cusani testimo„ nia subjicio.

„ Hic in Opere concordantiae „ Catholicae, quod Basileensi Sy„ nodo obtulit, & ejusdem Synodi „ censurae subjecit, Concilii gene„ ralis supra Pontificem auctorita„ tem propugnat. Quin & Pontifi„ ces ab errore tutos non esse docet, „ imo & eorum aliquos, uti Libe„ rium & Honorium, in errores in„ cidisse. At simul docet, Roma„ nam Cathedram, Petri Cathe„ dram nunquam posse deficere. *Igitur*, inquit, *de dotibus Ecclesiae cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostram esse*. Et rursus addidit; quod *licet aliqui, ut Liberius & Honorius & alii, in Cathedra Petri aliquamdiu sedentes, in errorem schismatis seducti ciderint, sedes tamen absque vitio remansit*. Et tandem concludit, quod *indefectibiliter duratura est usque ad consummationem saeculi*.

Alliacensis testimonium cum Bossuetio supra exhibuimus; ut & quaedam Hincmari loca, quae jam relatis Illustrissimus Auctor adjungit, superiore libro repraesentavimus.

„ Haud alios (*prosequitur idem Cl. ac perdoctus Antistes*) hacte„ nus laudavi Scriptores quam Gal„ los, & ex Gallis eos fere, qui „ tam nitide de Ecclesiae Apostolicae „ auctoritate, ejusque fidei puritate „ loquuti sunt in eis ipsis Operibus, „ in quibus data opera propugnabant,

„ quae

„ quae nos a multo tempore adversis „ Theologos ultra montes tuemur. „ Non est opus, ut ad superiora saecula recurrendo, vetustioris aevi „ monumenta excutiamus, quibus „ Sanctorum Patrum cum nostrorum „ Auctorum testimoniis concentum „ demonstremus. Nam Patrum textus huc pertinentes nullus ignorat.

„ Non alios ergo veterum Patrum textus producam quam Tertulliani & Irenaei, prout eos ipse „ Quesnelius interpretatur in uno „ suorum operum (a), quod in sui „ defensionem elucubravit; ut nostrorum certitudinem principiorum „ ex iis ipsis intelligatis, quorum „ profecto e re esset ea prorsus convellere, aut saltem elevare. „ Quis ambigat, inquit Quesnelius „ de Sede Apostolica loquens, quin „ Apostolica traditio in his Ecclesiis „ matricibus & originalibus reperiatur: *Constat proinde*, inquit Tertullianus (b), *omnem doctrinam*, „ *quae cum illis Ecclesiis Apostolicis*, „ *matricibus & originalibus fidei*, „ *conspiret*, *veritati deputandam*; „ *sine dubio tenentem quod Ecclesiae* „ *ab Apostolis*, *Apostoli a Christo*, „ *Christus a Deo accepit*. Et quoniam Ecclesia Romana ab Apostolorum principibus condita est; „ constat juxta S. Irenaei verba, „ qui ad nos vigentem in Ecclesiis „ Orientis matricibus & originalibus „ traditionem adtulit (c), quod *ad* „ *Romanam Ecclesiam propter potiorem principatum*, *necesse est* (in „ doctrina fidei) *omnem convenire* „ *Ecclesiam*. Ipsa est dubio procul „ harum Ecclesiarum princeps, quas „ matrices & originales fidei Tertullianus appellat; *a quibus*, ut „ idem ait, *traducem fidei & semina doctrinae ceterae exinde mutuatae sunt*, *& quotidie mutuantur*, „ *ut Ecclesiae fiant*.

„ En ipse Quesnelius, qui vestram & suam damnationem pronuntiat: sententiamque ab ipso „ pronuntiatam omnium saeculorum „ Patres, omnesque Gallici Auctores, de quibus nulla potest esse „ suspicio, unanimi calculo confirmant. Quaecumque a vobis ad „ implendam horumce nominum „ ideam, *Sancta Sedes*, *Sedes* „ *Apostolica*, *Ecclesia Romana*, „ *Ecclesia quae ceterarum mater eas* „ *genuit*, *& veluti magistra eas imbuit*, excogitentur; omnia perinde vobis adversantur. Sacer Purpuratorum Patrum Senatus suo Capiti adhaerens, idem adversus Librum & 101. propositiones, quas „ vos praefracte defenditis, quod „ S. Pater anathema intorquet: „ Constitutio perinde ad eos pertinet „ atque ad ipsum Jesu Christi Vicarium: testimonia, quae tum conjunctim, tum singulatim ab eis „ identidem reddita sunt, vobis optime comperta sunt atque explorata. Omnes Ecclesiae Ordines, „ qui in hacce Christiani orbis Metropoli resident, Pontificis judicio debita veneratione subcribunt, „ nemo

(a) Mem VII. pag. CXXXVII.
(b) Lib. de Praescript. cap. XXI.
(c) Lib. III. cont. haeres. cap. III.

„ nemo reclamat, nemo protestatur, „ nemo vobiscum appellat, praeter „ unum, qui aliorum gemitus provocavit. Superest ergo ut a vobis „ petam, qui tam audacter pronuntiatis, Constitutione *Unigenitus* „ fidem, moralem, ac disciplinam „ everti, errores in ea intolerabiles „ contineri, ac ciere eam tum proborum gemitus, tum contumelias „ haereticorum; superest, inquam, „ ut a vobis petam, qua ratione „ quae tam furiose a vobis jactantur, „ cum iis concilietis, quae de Ecclesiae Romanae perpetua puritate „ constans traditio docet? Ergo ne „ Sedes Apostolica, in qua nunquam „ fides deficit, id recipit & amplectitur, quo fides evertitur? Ergo „ ne Ecclesia, quae in nullum unquam errorem incidit, erroris „ promulgatrix effecta est? Ergo ne „ Ecclesia, quae a fide nunquam declinat, fidei eversioni consensit? „ Ergo ne Cathedra, in qua semper „ Apostolorum princeps loquitur, & „ cujus est aeternum ministerium, „ in cathedram erroris evasit, in qua „ libere praedicetur, quo primum „ divinae legis praeceptum funditus „ labefactatur? Quid ad haec quaeso vobis responsi suppetit?

„ Sed praeterea petere a vobis debemus, qui cum hac Ecclesia conveniatis, cujus errores proborum „ omnium gemitus excitant? quoniam ut ex Irenaeo accepistis, ad „ hanc Ecclesiam necesse est omnem „ Ecclesiam, & quidem, ut ipse „ Quesnelius interpretatur, in doctrina fidei convenire, atque ut „ aliae omnes Ecclesiae ex ea quotidie verae doctrinae semina mutuentur, ut Ecclesiae fiant. Ab ea „ vos tamen veram doctrinam minime hauritis, qui eam, quam „ vobis exhibet, erroris & falsitatis „ insimulatis neque in fidei doctrina „ cum illa convenitis, quoniam decretum, quod illa suscipit ac tuetur, veram fidem destruere, obscurare & evertere dictitatis. Quoniam quae tandem *conventio Christi ad Belial*, vel erroris cum veritate?

Haec omnia ex Gallicis Suessionensis Episcopi, nunc autem Senonensis Archiepiscopi, summa fide Latina feci; ex quibus plane & aperte constat, & hanc olim in Galliis viguisse, & etiam nunc vigere sententiam, quod saltem Ecclesiae Romanae vel Sedis Apostolicae sit indeficiens fides, & in rebus aut doctrina fidei ineluctabilis auctoritas; & hanc esse ab ipsa origine ductam omnium Patrum, ac totius Ecclesiae Catholicae traditionem. Hanc, Suessionensi Episcopo auctore, Nicolius, hanc ipse Bossuetius. hanc Launojus, hanc Nat. Alex., hanc Dupinius sententiam amplexi sunt. Huic etiam suum, majoris utique momenti, suffragium plures Cleri Gallicani conventus identidem adjecerunt. Hanc olim & Regni Proceres in litteris ad Clementem V. & Johannes Parisiensis, & Episcopus Meldensis Caroli VII. Orator, & Cardinales Nicolaus Cusanus, & Petrus Alliacensis, & remotiore a nobis aevo, Hincmarus Remensis Episcopus, adoptarunt. Huic denique volens nolens, juxta Irenaei ac Tertulliani perspicua & luculenta hac de re testimonia, ipse Quesnelius suffragatur. Quibus etiam adji-

adjicimus ipsummet Senonensem Archiepiscopum, cujus de hoc dogmate mentem atque sententiam ex superioribus satis perspectam & exploratam habemus.

Eamdem opinionem etiam Turnelius iisdem fere, si de recentioribus loquamur, Gallicis Scriptoribus tribuit (a): „ Praeter duas istas opinio„ nes, quarum una negat, altera „ affirmat, errori obnoxium esse „ posse Summi Pontificis de causis „ fidei judicium, tertia quaedam est „ inter duas extremas veluti media, „ qua sibi videntur nonnulli omnia „ facile conciliare posse. Distinguunt „ illi ac discernunt inter Romanum „ Pontificem & Romanam Eccle„ siam; inter Sedem Apostolicam, „ & sedentem in ea Petri Successo„ rem. Pontificem quidem errare „ posse fatentur, non vero Apostoli„ cam Sedem seu Romanam Eccle„ siam. Ita imprimis Launojus par„ te V. Epistolis ad Jacobum Bevila„ quam, & ad Antonium Varillaum, „ & alii ex Recentioribus, quot„ quot Launojum exscribunt, ac „ Cleri Gallicani causam defenden„ dam suscipiunt: citatque in margine Vigorium de Infallibilitate, Episcopum Meldensem in sermone ad Cleri Comitia anno 1682. P. Alex. Tom. XIII. pag. 340. Dupinium de Antiqua &c. pag. 374. d' Argentré in Elementis pag. 272. col. 2. Quibus addere possumus P. Jacobum Hyacinthum Serry, qui hanc ipsam opinionem data opera propugnavit in libro de Romano Pontifice falli & fallere nescio, cui & adtexuit Appendicem Historicam *de mente Ecclesiae Gallicanae & Academiae Parisiensis circa Romani Pontificis infallibilitatem*, in qua ab Arelatensi Synodo anni DLV. ad annum usque MDCXCII. traditionem perducit, memoratque eosdem fere Scriptores & Cleri Gallicani Conventus, quos & Senonensis Archiepiscopus memoravit, quamquam & aliquot adjungit laudato Praesuli praetermissos.

CAPUT XIV.

„ Dubium resolvitur: Ecclesiae Se„ disque Romanae firmitas ab Ec„ clesiae Catholicae firmitate: „ Ecclesiae Romanae traditio, „ universalis traditionis pars ac „ specimen.

„ Dices, *inquit Meldensis Episcopus*, ex ante dictis, ne „ ipsam quidem Romanam peculia„ rem Ecclesiam, Sedemque Apo„ stolicam satis esse firmam, cum „ ostenderimus de Romanorum Pon„ tificum Caelestini, Leonis, Agatho„ nis aliorumque decretis in Synodis „ oecumenicis habitam quaestionem; „ quum ea decreta, toto Clero Ro„ mano consentiente, Agathonis „ etiam toto fere Occidentali Con„ cilio probante & condecernente, „ edita fuerint. Id etiam ex Cleri Gallicani declaratione, seu quarta illius propositione consequens esse, vidit etiam intellexitque Turnelius, cujus de hac controversia judicium haud abs re erit in medium proferre, ac paucis expendere.

AR-

(a) Tom. II. de Eccles. Quaest. V. art. III.

ARTICULUS PRIMUS.

Sententia adserens Sedi Apostolicae inerrantiam, juxta Turnelium, cum Cleri Gallicani declaratione nullo modo; sententia vero negans cum Ecclesiae traditione conciliari vix potest.

DUplicem laudatus Theologus loco superius citato infallibilitatem distinguit, alteram passivam, activam alteram; ac de prima minime repugnat, quin ea non immerito Sedi Apostolicae tribuatur: „ qua, „ inquit, fit ut Deo providente, „ nunquam totaliter & ad longum „ tempus defectura sit in ea verae „ fidei doctrina, quemadmodum no„ vimus eam defecisse in insigniori„ bus Orientis Ecclesiis, Constanti„ nopolitana, Alexandrina &c. nec „ unquam sit extinguenda, sed in „ perpetuum futura Romanorum „ Pontificum successio. In hanc mentem, ut postea videbimus, veterum Patrum ac Theologorum testimonia Meldensis Episcopus interpretatur. „ At, *subjungit Turnelius*, „ loquimur hîc de infallibilitate acti„ va judicii & doctrinae; & quaeri„ mus, an cum summus Pontifex „ ex Cathedra loquitur tanquam „ Pontifex docens Ecclesiam, erra„ re possit, Sede ipsa non errante. „ Affirmant Launojus & alii, quibus „ placet discernere inter Sedem, & „ sedentem in ea Pontificem, quan„ tum ad vim judicii certam & infal„ libilem; nec alia ratione Theolo„ gi illi se se expediunt a tot vete„ rum in gratiam infallibilitatis Pon„ tificis Romani testimoniis, quam „ ea non de ipso Pontifice, sed de „ Romana Ecclesia seu Apostolica „ Sede interpretando. Quam intime indefectibilitas passiva cum activa conjuncta sit, paullo post adversus Meldensem Episcopum demonstrabimus: ipseque Turnelius candide fatetur, quod „ vix intelligitur, qui „ fieri possit, ut Romana Ecclesia „ infallibilis sit in retinenda fide, „ non vero in ea docenda. Siquidem „ si haeresim docere illa posset, „ haud dubie sic docendo a fide de„ cideret.

Sed ut ad opinionem eorum, qui etiam *activam* in judicando ac docendo *infallibilitatem* Sedi Apostolicae vindicant, revertamur: „ Optan„ dum, inquit Turnelius, sane fo„ ret, totam istam salebrosam con„ troversiam hac via & ratione com„ poni ac conciliari posse: sed no„ stro quidem judicio, difficile om„ nino est id assequi, stante declara„ ratione Cleri Gallicani.... Nam „ si semel statuas, Romanae Sedis „ ac cum ea pronuntiantis Romani „ Pontificis judicium certum esse, „ ac infallibile; irreformabile quo„ que debet agnosci ex solo Sedis „ Apostolicae consensu: attamen, „ declarat Clerus Gallicanus, judi„ cium illud irreformabile non esse „ nisi accesserit Ecclesiae consensus. „ Igitur praeter consensum Eccle„ siae particularis Romanae, Cle„ rus Gallicanus exigit, ut aliarum „ etiam Ecclesiarum consensus acce„ dat. Ergo ante illum consensum, „ judicat esse irreformabile primae „ Sedis judicium. Quippe si tale ju„ dicaret, haud dubie pronis animis,

„ absque una haesitatione ac deli-„ beratione, omnia & singula pri-„ mae Sedis de fide ac moribus de-„ creta statim apud nos excipienda „ forent; ut decet excipere decre-„ ta, quae ab auctoritate infallibi-„ li & erroris plane nescia dima-„ nare dignoscuntur. Consensus er-„ go Episcoporum, qui subsequi de-„ bet, necessarius foret, non liber, „ qui nec merito nec impune pos-„ set recusari. Quae quum omnia cum Cleri Gallicani declaratione conciliari nequeant; sequitur, cum illa aperta fronte pugnare eorum Theologorum sententiam, qui Sedi Apostolicae in judicando inerrantiam vindicant.

At quam difficile sit contrariam sententiam cum Patrum traditione componere, colligi facile potest ex sequentibus ejusdem Theologi verbis: „ Non dissimulandum difficile „ esse in tanta testimoniorum mole, „ quae Bellarminus, Launojus & „ alii congerunt, non recognoscere „ Apostolicae Sedis, seu Romanae „ Ecclesiae certam & infallibilem au-„ ctoritatem. At longe difficilius „ est, ea conciliare cum declaratio-„ ne Cleri Gallicani: licet enim il-„ la de Romano dumtaxat Pontifice „ loquatur, revera tamen ipsam etiam „ Romanam Sedem comprehendit, „ a qua Pontifex cum ex Cathe-„ dra, ut diximus, pronuntiat, se-„ jungi ac separari non potest. Quis hic non videat Theologi Parisiensis aestum, qui hinc Patrum traditione premitur, inde vero Cleri Gallicani decretis? Difficile est, inquit, in veterum Patrum testimoniis non agnoscere Sedis Apostolicae in definiendis fidei dogmatibus inerrantiam; difficilius est hanc Sedis Apostolicae inerrantiam cum Cleri Gallicani decretis componere. Quid igitur faciet sapiens & eruditus Theologus? An hesternae Declarationi Veterum Patrum doctrinam traditionemque praeponet; an avita traditione posthabita nuperam Declarationem amplectetur? Si optio dabitur & libera pro animi sententia scribendi facultas, nemo non videt ad quam partem gravis prudensque Theologus adhaerebit. At ubi sentiendi libertas adimitur, in eo tota versabitur industria, ut ad sensum Gallicanae Declarationis Patrum testimonia vel in vita torqueantur. Et sane si ea Turnelii verba, quae postremo loco retulimus, vel leviter expendantur, gravem illa continent memoratae Declarationis censuram. Ex illis enim rotundus hic & expeditus syllogismus efficitur.

Difficile est in veterum Patrum testimoniis non agnoscere Sedis Apostolicae inerrantiam:

Difficilius est hanc Apostolicae Sedis inerrantiam cum Cleri Gallicani Declaratione componere:

Ergo difficile est Cleri Gallicani Declarationem cum Veterum Patrum testimoniis conciliari.

An Clero Gallicano decorum & honorificum sit, in re tanti momenti Declarationem sollenniter condidisse, quae cum Patrum testimoniis conciliari vix aut nisi aegre non possit, aliorum esto judicium. Mihi certe in rebus ad religionem pertinentibus sanctum est eas opiniones tueri, quae cum Patrum testimoniis cohaerent, aut cum illis facile conciliantur. Illud vero Parisiensi Theologo magis indecorum

corum est, quod ad sententiam propugnandam adigitur, quam non modo difficile est cum Patrum testimoniis componere, verum & quae cum illis conciliari ulla ratione nequit, ut ex superioribus aperte jam & manifeste constat, & ex sequentibus articulis adhuc luculentius constabit.

ARTICULUS II.

Bossuetii & aliorum opinio, qui Sedis Apostolicae fidem eo sensu indefectibilem praedicant, quod in ea vel omnino, vel ad longum tempus, vel per contumaciam defectura non sit, cum Scripturarum & Patrum testimoniis conciliari nequit. In ea quoque adstruenda sibi ipsi laudati Theologi minime cohaerent.

Haud opus est, ut iis demonstrandis nova fundamenta ponamus: satis est ut ea quae jam latissime disputavimus, hîc rursus breviter repetamus & inculcemus. Id autem generatim statuimus, omnes Auctores, qui docent, Romae peculiarem Ecclesiam Sedemque Apostolicam, firmam esse & immobilem fidei petram, columnam & firmamentum, seu fundamentum veritatis; nunquam inferi portas adversus illam esse praevalituras; pro illa orasse Christum, ne deficeret fides ejus, ac vi promissionum & orationum Christi fidem ejus atque doctrinam semper illibatam, incorruptam & integram permansisse; Denique Petrum in illa jugiter praesidere, & in suis successoribus adhuc vivere, & loqui, & judicium exercere; omnes, inquam, Auctores, qui haec de Ecclesia Romana Sedeque Apostolica tradunt, Ecclesiae Romanae vel Sedis Apostolicae inerrantia apertissime suffragari statuimus. Quo autem numero, quave auctoritate sint istiusmodi Auctores ex superioribus capitibus & articulis satis superque constat. Haec enim Sedis Apostolicae Legati, duabus Oecumenicis Synodis, Ephesina & Chalcedonensi, plaudentibus praedicarunt: Haec S. Maximus Martyr, & Stephanus Dorensis Episcopus, & per eum Sanctus Patriarcha Sophronius, & Episcopi Cyprii & Africani, quorum in Lateranensi Concilio sub S. Martino I. Synodicae Epistolae relectae sunt, rursus inculcarunt: Haec laudatae Synodi, Ephesina & Chalcedonensis, haec Agatho cum Concilio omnium Occidentalium, haec Constantinus Pogonatus Imperator, haec sexta, haec octava Synodus tradiderunt: haec Leo Magnus, haec Gelasius, atque ut alios superius memoratos praeteream, haec Leo IX. Romani Pontifices docuerunt: Haec Justinianus Imperator, haec Regiae Urbis Patriarchae, haec ceteri Orientales Episcopi etiam in Synodis Oecumenicis congregati, publice ac sollenniter professi sunt: Haec S. Cyprianus, haec Hieronymus, haec Augustinus, haec Petrus Chrysologus, haec Eulogius Alex. Patriarcha, haec Bernardus, aliique Patres, uno eodemque sensu & spiritu concinuerunt: Haec denique ipsimet etiam Episcopi Gallicani, non modo veteres, verum & recentiores; non modo singuli seorsim, verum & in suis Comitiis, verbis amplissimis, & ex Ec-

clesiae Catholicae constanti traditione depromtis, extulerunt.

Quibus ergo tot gravissimorum Scriptorum, tot Episcoporum, tot Synodorum, tot Romanorum Pontificum numerus & auctoritas non sufficit ad aliquod dogma firmiter & inconcesse stabiliendum, hos profecto dirum & exitiale traditionis auctoritati vulnus infligere necesse est. Quot enim Ecclesiae dogmata sunt, quibus Scripturarum testimonia, in unam eamdemque sententiam a tot gravissimis Patribus exposita, suffragentur? Pauca profecto: quare & pauca erunt, quae traditionis auctoritate firma consistere possint, si tot Patrum in nostram doctrinam conspirantium, & juxta eam sacrae Scripturae textus interpretantium concentus ad eam invicte firmandam satis momenti non habet. Ut ut sit, malumus cum tot sanctissimis Patribus, Episcopis, Synodis, ac Romanis Pontificibus errare, quam cum aliquot hesternis Gallicanis Episcopis, ac Theologis sapere: Nec dubitamus, quin aequi Lectores in eamdem nostram sententiam concessuri sint, dum clare & aperte demonstremus, tot tantosque vel in hoc uno articulo laudatos Scriptores, Ecclesiae Romanae ac Sedis Apostolicae inerrantiam tam certo docere ac praedicare, quam certum est, eos hanc eamdem in Ecclesia Catholica agnovisse praerogativam. Id autem praestare obvium ac facillimum est: hujusque rei probationem vel ipsi nobis Adversarii sufficiunt. Non enim abnuunt, imo & constanter adfirmant, his quae mox subjicimus sacrarum litterarum testimoniis probari Ecclesiae Catholicae in retinenda docendaque fidei veritate immobilem firmitatem: ,, Scriptura, ,, *inquit Turnelius* (a), toti Eccle- ,, siae in communi tribuit privilegium non errandi, non soli Petro aut cuilibet alteri homini.

Matth. 16. v. 18. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

Matth. ult. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Johan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* Et rursus cap. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

1. ad Timoth. 3. v. 15. *Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

His ergo textibus recte probari, Scripturam toti Ecclesiae in communi tribuere privilegium non errandi, nemo Catholicus diffitetur. At hinc velle probare, quod soli Petro, aut peculiari Ecclesiae Petri, vel Sedi hanc non errandi praerogativam Scriptura deneget, aut minime tribuat, id vero perabsurdum ac ridiculum existimamus. Id certe a Sanctorum Patrum mente adeo alienum est, ut ex adlatis textibus unus & alter ab illis diserte de Romana Ecclesia & Sede Apostolica exponantur; reliquos autem in eam perinde quadrare, ex iis-

(a) Tom. II. de Eccles. Quaest. V. art. III. pag. 136.

iisdem Patribus apertissime colligatur. Nam haec Christi Domini verba; *Et portae inferi &c.* de Sede Apostolica Augustinus, Gelasius aliique Patres exponunt: alii ex Patribus Ecclesiam Romanam columnam & firmamentum veritatis appellant: alii quum docent, quod fides in Petri Sede propter Christi promissa nunquam deficiet, quid aliud quaeso docent, quam quod Christus, qui auctor est fidei, nunquam eam deserit, sed semper cum illa manet, fidem in ipsa conservans? Denique quum alii docent, Petrum adhuc in Sede sua praesidere, & semper in suis Successoribus vivere; quid aliud quaeso docent, quam quod Spiritus Petri manet in aeternum in ejus Sede, ac semper in ejus successoribus vivit, omnem edocens veritatem? Quid huic argumento reponi ab Adversariis possit, quo non aeque eadem Ecclesiae Catholicae non errandi praerogativa labefactetur, equidem non intelligo. Quum enim peculiari Ecclesiae Romanae, & Ecclesiae universali indeficientia fidei, aut fides indeficiens iisdem Sacrarum litterarum oraculis & Christi promissis a Patribus adseratur; iisdem limitationibus, quibus Adversarii privilegii Ecclesiae Romanae concessi amplitudinem coërcebunt, haeretici contendent, eadem Christi promissa & oracula esse coërcenda, quum ad probandam Ecclesiae Catholicae inerrantiam a nostris Theologis adferentur.

Sed pedem pressius cum Illustrissimo Adversario conferamus. Hanc ille Ecclesiae Romanae indeficientis fidei praerogativam ita, ut saepe diximus, interpretatur, ut nunquam eventurum existimetur, *ut Ecclesiae Romanae error inhaereat, quem contumace proposito tueatur*, non autem ut in eam *circa fidem nullus unquam obrepat defectus neque per contumaciam neque per imprudentiam*. Hanc enim Ecclesiae Catholicae propriam esse ac singularem praerogativam: *Clerum vero Romanum*, quanquam suo Capiti indivulse adhaerentem, *si quid erraret, ab Ecclesia Catholica ejusque Oecumenica Synodo dirigi, revocari, doceri debere, perficique omnino ne error ad longum tempus inolescat*.

At primum, Patres ex quibus superius exscripsimus testimonia, Sedem Apostolicam ejusque fidem atque doctrinam, juxta Christi promissa, semper inviolatam, illibatam, immaculatam & integram permansisse, constanter praedicant & adfirmant; quo certe cujuscumque maculam erroris naevumque omnem ab eadem Sede Apostolica & Romana Ecclesia depellunt.

Deinde, si has similesve limitationes ad arbitrium licet adjicere Christi promissis, & Patrum verbis eadem promissa ad Sedem Apostolicam referentibus, cavendum est, ne illorum licentia & audacia foveatur, qui in omne latus se vertunt, nihilque non audent, ut divinitus concessum Ecclesiae Catholicae non errandi privilegium infirment, quum ejus auctoritate premuntur.

Tertio, haec limitatio Adversariorum caussam nihil reapse juvat, sed mere ad fucum faciendum excogitata est. Nam SS. Caelestinus & Leo, eisque conjunctus Romanus

Cle-

Clerus & Ecclesia, Nestorio, Johanni Antiocheno, Eutychi, Dioscoro eorumque Symmystis, imo & omnibus Orientalibus, quin & universae Ecclesiae, palam ac libere denunciabant, se nunquam pacem habituros cum iis, qui Sedis Apostolicae de una in Christo persona & duabus naturis sequi judicia detrectarent; suaque de his fidei dogmatibus decreta Synodi Ephesinae & Chalcedonensis judicio subdere palam & aperte recusabant, ut suis locis ostendimus. Quare si quis in eorum decretis & judiciis fuisset error, pertinax utique fuisset & cum contumacia conjunctus. Adeoque quum ejusmodi errorem vel ipsi Adversarii ab Apostolica Sede & Romana Ecclesia removeant errori obnoxia non fuisse tam certa firmaque, & constantia, adversus Nestorium & Eutychem eorumque nefaria dogmata, Caelestini, Leonis, Romanique Cleri judicia, certissimum esse debet. Quid ergo opus fuit ad haec Sedis Apostolicae judicia decretaque retractanda Synodis Oecumenicis Ephesi & Chalcedone celebratis? Nam quum ex Christi promissis constet, errorem cum pertinacia conjunctum in Ecclesia Romana locum habere non posse, palam etiam manifesteque constabat, aut constare debebat, erroris omnino pura omnisque labis expertia ea esse, quae tanta constantia Romani Pontifices decernebant.

Nullibi tamen luculentius apparet, quam inania & ἀσύστατα sint, quae ad conciliandas, hinc praedicatam Patribus indeficientem Sedis Apostolicae firmitatem, hinc Synodorum generalium in retractandis ejusdem Sedis Apostolicae decretis libertatem, Adversarii comminiscuntur, quam in eo ipso, quod specialiter Bossuetius commemorat, Agathonis & Synodi Occidentalis exemplo. Nam, ut superiore Tomo latissime demonstravimus, eo quadraginta & amplius annorum intervallo, quod inter Severinum, a quo primum Monothelitarum haeresis Synodice damnata est, & Agathonem ac sextam Synodum interfluxit, Johannes IV. qui Severino successit, Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, ac Donus cum conjunctis sibi non modo Romanis, verum & omnibus Occidentalibus, & Africanis Clericis & Episcopis, tam strenue, tantoque animi vigore ac firmitate pro duabus Christi voluntatibus decertarunt; unamque tuentes, a sua & Sedis Apostolicae communione depulerunt, ut nihil praefractius & pertinacius fingi possit, si ad propugnandum errorem eam animi firmitatem adtulissent. Subinde Agatho, suorum Decessorum vestigiis insistens, Synodicis suis ac totius Occidentis litteris, eamdem haeresim profligavit, utque semel sancita ab Apostolica Sede dogmata in Synodo oecumenica retractarentur, gravissime interdixit; palamque edixit, ab ejusdem Sedis Apostolicae ac totius Occidentis communione alienos fore, qui suis Ecclesiaeque Romanae decretis refragarentur. Jam ergo quaero ex Adversariis, si in adstruendis duabus in Christo voluntatibus Sedes Apostolica errasset, eamque jure instaurati Nestorianismi Orientales insimulassent; quaero, inquam, an ab Ecclesiae Romanorumque Pontificum ejusmodi errore pertinacia abfuisset? An si

Quorum

quid errabant, ab Ecclesia Catholica ejusque oecumenica Synodo dirigi, revocari, doceri parati erant, qui omnino vetabant decreta sua per Synodum oecumenicam retractari? An ea tot Pontificum series atque successio, illudque tot annorum intervallum pro brevi ac modico tempore habendum esset, quod non in summam esset conferendum, nec censeri deberet indeficientem Apostolicae traditionis rivum intercidere? idque praeterea nos doceant, quot annis ac lustris opus esse decernant, ut jure ac merito Ecclesiae Romanae error inolitus dici possit, quidve requirant, ut in tuendo errore pertinax habeatur. Sane superiore Tomo vidimus Illustrissimum Adversarium, Ecclesiae Romanae fidem Honorii lapsu minime defecisse, hac oratione tuentem, quod „ quidquid ab Hono-
„ rio peccatum est, id Sanctus Se-
„ verinus Honorio proximus, id
„ Sanctus Johannes IV. Sanctusque
„ Theodorus, Martinus, Eugenius,
„ Vitalianus, Adeodatus, Donus,
„ Agatho, Honorii Successores cu-
„ mulatissime repararunt; ut officio
„ defuisse Honorium, Ecclesia Ro-
„ mana vix senserit. Hinc *Eccle-*
„ *siam Romanam non fuisse depra-*
„ *vatam, neque errori succubuisse,*
„ *sed in fide mansisse*, Agatho prae-
„ dicavit, & nos confitemur: ne-
„ que in Petri Sede visos esse Ser-
„ gios, Pyrrhos, Paulos, Petros,
„ Theodoros sibi mutuo errorem qua-
„ si hereditarium cum Sede traden-
„ tes, neque Romanos Pontifices
„ sibi invicem succedentes a fidei uni-
„ tate abruptos fuisse. Si ergo in Sede Romana visi fuissent Severini, Johannes, Theodori &c. sibi mutuo errorem quasi hereditarium cum Sede tradentes, defecisset utique in Romana Sede Apostolicae fidei traditio, ipsaque errori depravata succubuisset. Quod tamen & Christi promissis, & Patrum testimoniis adversarii, neque ipse Meldensis Episcopus diffitetur. Quid ergo sexta Synodo opus fuit ad ea dogmata retractanda, quae jam a tot annis Apostolica Sedes, totque Romani Pontifices constantissime praedicabant; quaeque si falsa fuissent, error in Sede Apostolica & Romanorum Pontificum successione obtinuisset? Quod nunquam evenire posse tot Gallicani Episcopi ac Theologi superioribus laudati capitibus diserte docent, ac profitentur. Aut ergo Adversarii fateri debent, frustra ab eis nostro dogmati opponi Synodorum oecumenicarum necessitatem, earumque in retractandis Apostolicis Constitutionibus libertatem; aut nec satis adhuc firma & ab errore tuta ea dogmata habenda esse, quae jam tot annis tantaque constantia & animi firmitate, cum sibi adhaerentibus omnibus Occidentalibus & Africanis, ac plerisque etiam Orientalibus, Romani Pontifices praedicassent.

Pergit Illustrissimus Adversarius:
„ Quamobrem firma quidem est Sedis
„ Romanae atque inconcussa tradi-
„ tio: sed illud robur Catholicae
„ Ecclesiae traditione constat. Unde
„ Augustinus vim traditionis expo-
„ nens, id semper inculcat, ut quae
„ per universam custodiuntur Eccle-
„ siam, non nisi ab Apostolis tradi-
„ ta & commendata credantur. Atque in eamdem sententiam aliquot

Illu-

Illustrissimus Auctor adjungit Vincentii Lirinensis, Tertulliani & Irenaei testimonia, quibus universalis Ecclesiae inconcussa & ineluctabilis auctoritas praedicatur.

At haec quam nullius momenti sint & inaniter objiciantur, ex Tertulliani & Irenaei locis, quae late superius expendimus, manifeste liquet. Quamquam enim haereticis Ecclesiae universalis traditionem & auctoritatem objecerint; attamen satis esse judicarunt, unius Ecclesiae Romanae traditionem exponere, ut inde quae totius Ecclesiae fides esset atque doctrina, constaret; idque non ea ratione, quam Adversarii comminiscuntur, quod nimirum Ecclesia Romana Ecclesiae universali veluti pars toti cohaerere debeat, ab eaque pendere: sed contra quoniam necesse est cum Ecclesia Romana, *propter potiorem principalitatem*, omnem Ecclesiam in fidei doctrina consentire.

,, Quae cum ita sint, *inquit Bossuetius*, apparet Ecclesiam Catholicam primitus esse immotam, cui dictum sit: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Et: *Ego vobiscum sum*: Ecclesiam vero Romanam ita esse immotam, ut partem Ecclesiae principalem summeque necessariam: quae mater ac magistra Ecclesiarum, totam ipsam Ecclesiam matrem ac magistram agnoscat.

Imo vero quum ea quae hactenus diximus, ita reapse se habeant, ut ea se habere docuimus, apparet, Ecclesiam Romanam primitus esse immotam, quum *columna* sit & *firmamentum veritatis*, ab eaque velut a fundamento ipsius Ecclesiae Catholicae firmitas pendeat: adeoque ad eam velut ad petram, supra quam Ecclesia ipsa fundata est, ea Christi verba: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; Origene, Augustino, Gelasio, aliisque Patribus auctoribus, referenda sint. Quum autem Christus discipulis ait: *Ecce ego vobiscum sum*, ab eorum consortio Petrus non aberat, sed praesens erat tanquam spiritalis aedificii fundamentum, a quo illius soliditas firmitasque penderet, & tanquam totius Collegii caput, a quo vigor & spiritus in alios velut in corpus omne manaret. Debemus ipsimet Illustrissimo Adversario ejusmodi observationem; minimeque piget hîc ejus verba subjicere (a): ,, Dans cet inviolable ,, attachement à la Chaire de S. Pierre nous sommes guidez par la ,, promesse de Jesus-Christ. Quand ,, il a dit à ses Apôtres, *Je suis avec vous*, Saint Pierre y ètoit avec ,, les autres, mais il y ètoit avec ,, sa prerogative, comme le premier des dispensateurs: *Primus* ,, *Petrus*: il y ètoit avec le nom ,, mysterieux de Pierre que Jesus-,, Christ lui avoit donnè, pour marquer la solidité & la force de son ,, Ministere: il y ètoit enfin comme celui qui devoit le premier ,, annoncer la foi au nom de ses freres les Apôtres, les y confirmer, ,, & par la devinir la pierre sur laquelle seroit fondè un èdifice immortel. Quid ergo Adversarios juvat haec aliaque Scripturarum oracula

(a) I. Instruct. sur les promes. de l' Eglise num. XXXII.

la objicere, quae ad omnes quidem Discipulos directa sunt, at servata tamen sua Petro capitis praerogativa, per quod ad reliquum corpus vigor ac spiritus manat. Quemadmodum quum quis universo corpori aliquid operis tribuit, non ideo censendus est suam capiti praerogativam abnuere, perinde ac non ex illo reliqui corporis firmitas & munia penderent. Quod autem subjungit, quod Ecclesia Romana „ mater ac magistra Ecclesiarum, totam ipsam Ecclesiam „ matrem ac magistram agnoscit; ex quibus Apostolicae traditionis fontibus haustum sit, Illustrissimus Adversarius edicat. Non enim profecto ex antiquis Patribus, qui vel in ipsis Synodis oecumenicis congregati, Romanos Pontifices velut summos Ecclesiae Doctores, Romanamque Sedem veluti magistram venerati sunt, nunquam vero se se Romanae Sedis Ecclesiaeque magistros nuncupaverunt. Atque hîc nobis iterum audiendus est Bossuetius, qui post verba mox relata, haec statim subjungit: „ Si les Grecs (*si Galli seu Parisienses Theologi*) se sont avisez „ dans les derniers siecles (*post Basileense Concilium*) de contester cet „ te veritè (*quod Ecclesia Romana „ totius Ecclesiae & Conciliorum generalium magistra sit*) aprés l'avoir confessé cent fois, & l'avoir „ reconnuë avec nous, non point „ seulement en spéculation, mais encore en pratique dans les Conciles que nous avons tenus ensemble durant septcens ans; (*vel „ quae ipsi tamquam Christi Evangelia nobiscum hactenus venerati sunt, „ & adhuc venerantur*;) s'ils n' „ ont plus voulu dire come ils faisoient, *Pierre a parlé par Leon*, „ *Pierre a parlé par Agathon*, *Leon „ nous presidoit comme le chef préside „ à ses membres*, *les saints Canons „ & les Lettres de notre Pere Celestin „ nous ont forcez à prononcer cette „ sentence*, & cent autres choses „ semblables; *haec quidem hodieque „ Gallicani Episcopi verbis nobiscum „ praedicant, at vim & notiones „ verborum invertunt*;) les actes „ de ces Conciles qui ne sont rien „ moins que les Registres publices „ de l'Eglise Catholique, nous restent encore en témoignage contre eux, & l'on y vera éternellement l'état, ou nous étions en „ commun [*ante Synodum Basileensem*) dans la tige & dans l'origine de la Religion. Quum videlicet Oecumenicae Synodi, totaque Ecclesia in eis repraesentata, Sedem Apostolicam, suam esse Magistram verbis amplissimis praedicabant.

Superest ut breviter videamus, qua ratione Illustrissimus Adversarius demonstrare contendat, quod Ecclesia Romana vel Sedes Apostolica totam ipsam Ecclesiam matrem ac magistram agnoscat. „ In Christiana, „ *inquit*, Ecclesia docendi auctoritas acceptae a Christo per Apostolos traditionis nititur testimonio. „ Porro traditionis omnes Episcopi testes sunt; ac vis testimonii „ testium consensu constat. Summa „ ergo auctoritas in eo consensu est „ posita: tum Papa in Christi nomine respectu particularium Ecclesiarum est magister ille quidem, sed respectu Ecclesiae Ca-

„ tholicae discipulus, cum in Ec„ clesiae Catholicae consensione ma„ nifestum appareat Spiritus Sancti „ magisterium.

Non puto velle Illustrissimum Adversarium, Episcopos meros esse doctrinae suarum Ecclesiarum ac traditionis testes aut hac una in re positum esse Episcoporum Magisterium, quod testium munere funguntur, atque hoc vel illud sese in suis Ecclesiis reperisse, & a suis Majoribus accepisse testantur. Non, inquam, puto hanc esse Illustrissimi Auctoris mentem; quum hanc ipse doctrinam in ministro Jurio cum indignatione refellat. Huic enim Ministro Pastores vel in Synodis generalibus congregati (a) *ne sont pas des juges, mais des sages & des experts, & qu'ils n' agissent pas avec autorité*. Cur autem hanc judicandi praerogativam Episcoporum Conciliis adimat, hanc Jurius rationem adfert, *que n' étant pas infaillibles, ils ne sçauroient être juges dans les decisions de foi*, parce que *qui dit juge, dit une persone à la quelle il faut se soumettre*. Id vero sequentibus verbis doctissimus Praesul confutat [b]: „ Que „ les Pasteurs ne soient pas juges „ dans les questions de la foi, c' „ est ce qu'on n'avoit jamais oüi „ dire parmi les Chrétiens, pas mê„ me dans la Reforme où l'autori„ tè Ecclesiastique est si affoiblie. „ Au contraire, M. Jurieu nous pro„ duit lui même des paroles du Sy„ node de Dordrect, où ce Syno„ de se *declare juge*, & même *ju„ ge legitime dans la cause d' Armi„ nius*, qui constamment regardoit la „ foi. Quum ergo Episcopi in Synodis congregati non modo testes traditionis & fidei, verum & Judices sint; inquirendum superest, an Synodorum generalium sit de Sede Apostolica ejusque fide, atque doctrina; anpotius Sedis Apostolicae sit de Synodis generalibus, earumque de fide decretis & Canonibus judicare. De hac vero controversia inferius data opera differemus.

CAPUT XV.

„ Ex Sedis Apostolicae firitatem con„ cludi, caussas fidei ad eam Se„ dem referendas; non autem „ propterea infallibili judicio fi„ niendas: Formulae interrogandi „ Romani Pontificis: de ejus ju„ dicio piam praesumtione, non „ tamen continuo certam fidem „ fuisse: cujus rei exempla pro„ feruntur.

„ JAm ex tota antecedente doctri„ na, *inquit Bossuetius*, id faci„ le consequemur, ut majores ac prae„ sertim fidei quaestiones, in ea po„ tissimum Sede definiri oporteat, in „ qua error non obtineat; & ab eo po„ tissimum Pontifice, qui in eam se„ riem in texatur, quae a fide penitus „ abrumpi nequeat. Id voluit S. Ber„ nardus loco celebri ad Innocen„ tium II. (c) *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque & scan-*

(a) Apud Bossuet. Hist. des Variat. liv. XV. num. CV.
(b) Ibid. num. CVI.
(c) Epist. CXCI.

& scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe ejus praerogativa Sedis. „ En „ *Sedis* universim ex antiqua tradi„ tione ; non singuli cujusque Ro„ mani Pontificis : qua tamen prae„ rogativa Sedis id fit, ut de fidei „ periculis ad ejus Sedis Praesidem „ referatur. Pergit: *Cui enim al„ teri aliquando dictum est* : Ego „ pro te rogavi, ut non deficiat fi„ des tua ? *Ergo quod sequitur a „ Petri successore exigitur* : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. „ Exigitur certe : quis enim „ neget, id a Petri successore po„ stulari ? An id officii sit semper „ ac necessario praestiturus, Berna„ dus non dicit ; ac fidenter dixe„ rim, ad Bernardi tempora dixisse „ neminem. Quibus verbis Illustrissimus Auctor aperte distinguit inter Sedem Apostolicam & Romanos Pontifices, & ut fides non possit sentire defectum, ait esse, non singuli cujusque Romani Pontificis, sed unius Sedis Apostolicae praerogativam. Et quidem si de Romanis Episcopis privatim judicantibus, aut de illorum privatis sensibus & judiciis Meldensis Episcopus loqueretur, nulla nobis cum ipso de hac re disceptatio esset: Sed quum generatim & absolute loquatur; ideo operae pretium existimamus, in eorum sententiam inquirere, qui Sedi quidem Apostolicae, non autem Romanis Pontificibus vel ex Cathedra loquentibus tribunt indeficientis fidei praerogativam.

ARTICULUS PRIMUS.

Refellitur eorum opinio, qui non errandi privilegium Ecclesiae Romanae, aut Sedi Apostolicae vindicant; Romanis Pontificibus, vel ex Cathedra quidquam de fide pronuntiantibus, adimunt.

Pugnantia scribere aut loqui, qui hinc Sedis Apostolicae vel Ecclesiae Romanae innerrantiam praedicant, hinc autem Romanos Pontifices de fide quidquam ex Cathedra pronuntiantes errori obnoxios esse contendunt, plures Theologi observant. Nam Romanus Pontifex, inquit Turnelius (a), ubi de fide ac moribus pronuntiat, vel sequitur fidem ac doctrinam Sedis suae Apostolicae, quam accurate, &, ut oportuit, consuluit; vel non sequitur: si prius, agit ut Pontifex, nec ipsius judicium distingui debet a judicio & sententia suae Sedis, quae ore ipsius loquitur. Si posterius, non agit haud dubie ut Pontifex, nec Ecclesiae suae nomine, cujus sensum non sequitur; sed agit ut singularis & privatus Doctor, qui omnium fere Theologorum judicio errori obnoxius est.

Idem argumentum pluribus urget, & uberius atque elegantius exponit Jacobus Hiacinthus Serry Differt I. *De Rom. Pontifice falli & fallere nescio* cap. I. ubi inter cetera haec habet: num. VI. An non ergo pugnantia loquuntur primi quos noverim Pon-

(a) Tom. II. de Eccles. pag. 133.

Pontificiae asphaliae seu inafallibilitatis impugnatores? qui cum Sedem Apostolicam, quam occupat Summus Pontifex, Romanamque Ecclesiam Urbis finibus conclusam, cui ille specialiter praeest, errare atque a fide deficere non posse, fateri cogantur; ne a tota retro antiquitate damnati videantur; adhuc tamen Romanos Pontifices, etiam ex Cathedra atque ex tribunali, in caussa fidei pronuntiantes, errare atque a fide deficere quos contendunt: istaque duo bene cohaerere volunt, Pontificem errantem in fide, & Sedem Apostolicam Romanamque Ecclesiam in fide constantem & permanentem. Quid hoc quaeso rei est? Equidem si de Pontifice, privatim, ex sensu proprio, & extra tribunal pronuntiante loquerentur; si de Pontifice, nulla Sedis Ecclesiaeque suae habita consultatione, nullo illius accedente consensu, disputarent; haud aegre concederem, posse illa duo cohaerere, Pontificem errantem, & Sedem Apostolicam seu Romanam Ecclesiam in fide perseverantem atque constantem: quandoquidem eo casu nullam Apostolica Sedes, nullam Ecclesia in errore Pontificis partem habet; atque ita stat penitus illibata. At ubi consulta Sedes, consulta Ecclesia erranti Pontifici consilium dat, errorique ipsius praestat assensum; erret cum Pontifice Sedes oportet, erret Ecclesia. Porro consulta censetur Apostolica Sedes, consulta Ecclesia Romana; dum Eminentissimi Patres, qui Romanum Clerum hodie constituunt, ceterique Praesules in consilium adhibiti sunt, assensumque dedere solemniter & ex formula. Cum ii Sedem Apostolicam Romanamque Ecclesiam repraesentent, sintque ipsamet Ecclesia Romana docens, judicans & pronuncians. Ad eum sane modum, Episcopi universi in Concilio Oecumenico, una cum Pontifice capite suo judicantes ac pronunciantes, universam Ecclesiam repraesentant, suntque ipsamet Ecclesia universa docens atque definiens.

Haec ratio optima est, & plane aperteque rem conficit, si Romani Pontificis ex Cathedra definientis nomine id tantum intelligatur, quod laudati Scriptores intelligunt, & quod eodem loco n.2. Patavinus Theologus sequentibus verbis luculentissime exponit. Quum enim quaeritur, num Pontifex ab errandi periculo tutus sit „ illud, *inquit*, maxime „ quaeritur, num Pontifex sententiam aliquam in materia fidei & „ morum *ex Cathedra*, seu ex Tribunali solenni ritu pronuncians, „ servatisque debitis juris formulis; „ hoc est, fusis primum ad veritatis Spiritum advocandum solemnibus precibus, praemisso serio rei „ totius examine, praehabita consultatione Ecclesiae suae Romanae „ intra Urbis ambitum constitutae, „ seu ut praesens habet usus, adhibitis ad consultationem EE. Cardinalibus, qui Romanum hodie „ Clerum constituunt; utrum, inquam, vel sic possit Pontifex in „ eorrem dogmatis prolabi, falsumque judicio statuere, definire atque decernere, dum Ecclesiam „ universam edita Constitutione docet, instruit & informat. Id ille adhuc uberius edisserere pergit Ma-

imbur-

imburgi verbis ex Tractatu historico *De statu & praerogativis Ecclesiae Romanae illiusque Episcoporum*, Gallice scripto pag. 67. cujus, inquit, verba observatione dignissima syllabatim referre non piget. „ La que„ stion est de savoir, si quand le „ Pape parle sur la Chaire de Ro„ me, en Maistre & en Docteur „ de tous les fideles ; & qu' apres „ avoir bien examiné ce dont il s' „ agit, en plusieurs Congregations „ en son Conseil, son Consistoire, „ son Synode de ses Suffragans, de „ ses Cardinaux, & de ses Docte„ urs ; consulté meme des Univer„ sitez, & demandé par prieres pu„ bliques & tres solemnelles l'assi„ stence du S. Esprit ; il enseigne „ tous les Chrestiens, definit, pro„ pose à toute l'Eglise par une Bulle, „ ou Constitution ce qu'ondoit croire: „ si, dis je, en prononçant de la „ sorte, il est infaillible, ou non ? „ & si son jugement porté & declaré „ en cette maniere peut estre reformé „ par un Concile universel.

Quaestione in hunc modum vel ab ipsis Adversariis constituta, inde primum laudatus Serrius colligit, nihil ad praesentem facere disputationem ea Romanorum Pontificum exempla, qui jure vel injuria aliquid erraffe aut officio defuisse culpantur, & quorum lapsus & errata quum opportune importune obganniunt, & ultra modum efferunt & exaggerant Adversarii, equidem quo sint animo erga Summos Ecclesiae Praesules patefaciunt, at eorum caussae nullum incommodum adferunt. Quid enim, inquit laudatus Auctor, si Petrus Romanorum Pontificum primus, Christum (quod objicere illi solent) in passione se nosse negavit ? Quid si Marcellinus Pontificum alter, in publica persecutione suppliciis victus, thus idolis adolevit? Quid si Liberius exsilii taedio superatus, Asianae tandem perfidiae, & S. Athanasii damnationi subscripsit ? Quid si Vigilius trium Capitulorum damnationi diu obstitit ? Quid si Honorius datis ad Sergium Epistolis, Monothelitarum errori favere visus est, aut etiam favit ? Quid si Johannes XXII. in errorem de visionis beatae dilatione propendere visus est, propenditque re ipsa ? Itane iis in casibus aliisque jactari solitis, judicium solemne aliquod, quale ipsimet late describunt, tulere laudati Pontifices, ut ad quaestionem, quae nobis in manibus est, exempla hujusmodi trahi possint ? Quaenam tunc habitae sunt Cardinalium, Episcoporum, Theologorumque consultationes ? Quae celebrata tunc Consistoria ? Quae vocatae in consilium studiorum Academiae ? Quae fusae ad divinum Spiritum invocandum solemnes ac ac publicae preces ? Quae doctrinae sanciendae definiendaeque praemissa ex forma juris examina ? A praesenti igitur instituto longe abeunt tot illa errantium, ut ajunt, in fide Pontificum exempla ; si quo sensu debet, ipsique volunt, de Pontificum infallibilitate quaestio ventiletur. Haec Serrius, qui etiam ex iisdem sollennis judicii dotibus colligit, ut jam diximus, eos pugnantia & ἀσύςατα propugnare, qui quum Romanam Ecclesiam Sedemque Apostolicam errandi periculo eximant, eidem tamen obnoxios Romanos Pontifices faciunt.

Ea-

Eadem fuisse videtur alibi nobis commemorata Cl. Thomassini sententia (a): „ Nam cum geminae, *inquit*, hinc & inde quasi syrtes „ immineant, medium tutissimi iter „ carpimus. Ut nusquam enim labi in haeresim queat is, qui Pontificales occupat infulas, exemplis „ apertissimis *, Pontificum ipsorum sententiae, Catholicorum „ propemodum omnium consensioni adversarium est. Ut Pontifex „ erret, at errare Sedes negetur, „ quia plebs & Clerus Romanae „ Ecclesiae abhorret ab errore, „ praeposterum id quidem est. Cum „ ita plebi & Clero, hoc est membris plus indatur sapientiae, quam „ Capiti. Cum ex adverso si quae „ sunt dotes corporis & membrorum „ egregiae, a Capite illae derivari censendae sint: & *fidei Romanae*, Pauli elogio consecratae, „ Sanctis Patribus honori & miraculo habitae, gloria principalis & „ palma, ipsi Pontifici ut Magistro, „ prae Clericis & Laicis, hoc est, „ prae discipulis necessario adferatur. Ergo id medium, id ab incursantibus hinc & inde scopulis „ tutissimum est, ut Pontifex, qua „ Pontifex, non erret, hoc est, „ cum Cleri vel Ecclesiae suae ita „ suffragia sententiamque expressit, „ sicut eo tempore familiare est & „ usitatum in rebus magni momenti, quae olim Synodice ventilabantur. Parco hic repetere, quod „ superiori Dissertatione taediosius „ prosecutus sum, Pontifici definienti Catholicos per orbem Episcopos ita consensisse hactenus semper, ut una totius Ecclesiae vox „ illa fuerit, una sententia. At „ quod nonnullis arrisit, Pontificem „ cum consensu Ecclesiae suae definientem aberrare posse, & tamen „ Sedem Apostolicam non errare, „ id vero commentitium & fabulosissimum est ludibrium. Secreta „ enim a Pontifice, & Pontificio „ Clero Sedes, inane figmentum est, „ vacuumque simulacrum, & sine „ mente sonus.

Et haec quidem extra controversiam esse videntur; si ad ea respiciamus, quae ab ipsa Christianae religionis origine ad hanc usque aetatem in condendis ac promulgandis sollennibus de fide decretis reapse a Romanis Pontificibus observata sunt. Quamquam enim pro temporum varietate disciplina quoque variaverit, nec una semper constansque fuerit consultationis seu deliberationis forma; nullius tamen Pontificii Decreti fortassis adferri poterit exemplum, quod prorsus inconsulto Romano Clero, sollenniter sancitum, & ex Petri Cathedra emissum fuerit. Quare si ad hunc sensum adducta ratio revocetur, jure a laudatis Theologis dici potuit, quod si in iis decretis concinnandis aliquis a Romanis Pontificibus admissus fuisset error, illius erroris ipsa quoque Romana Ecclesia esset insimulanda. Aut si Romana Ecclesia omnis prorsus circa fidem erroris expers habenda est, imo

(a) Differt. XX. in VI. Synod. num. XVII.

* Ejusmodi *apertissima exempla* Romanorum Pontificum, qui in haeresim lapsi sint, penitus ignoramus.

imo & ab errandi periculo tuta omnino censeri debet; nulla ratio est, cur de iis Romanorum Pontificum decretis solliciti simus, quae consulto & consentiente Romano Clero sollenniter edita sunt, aut deinceps edentur. Et hoc pacto (ad ea videlicet respiciendo, quae in sollennibus de fide decretis sanciendis hactenus reapse observata sunt) hanc esse non semel diximus sollennium decretorum notam, quod antea cum Romana, vel Italica, vel etiam frequentiore Synodo, aut cum aliquo Romani Cleri ampliore vel arctiore coetu sive Congregatione, communicata sunt, quam in Ecclesiae totius lucem & notitiam proferrentur. Quamobrem ex eo quod quibusdam Romanorum aliquot Pontificum decretis aut epistolis deesset haec nota, conjecturam fecimus, ea nequaquam ad Romanos Pontifices ex Petri Cathedra pronuntiantes esse referenda. At si, quemadmodum Rhetores loquuntur, hypothesis ad thesim revocetur, hoc est, si non modo quaeratur, an Pontifex adhibita Romani Cleri consultatione; sed generatim, an quotiescumque sollenniter quidquam definiat, pro irretractabili ac prorsus irreformabili habendum sit ejus judicium; alia erit quaestio, de qua nondum data opera disputavi; sed eam tamen hoc loco expendere debeo, ut melius cognoscatur & innotescat subjectum illud, cui proprie insit summa & ineluctabilis auctoritas ad fidei controversias irretractabiliter terminandas. Verentur enim aliqui, ut, quemadmodum si diceretur id Pontifex praestare non posse absque Concilii generalis assensu, illius auctoritatis subjectum ipsa potius Oecumenica Synodus, quam Pontifex haberetur: ita Romanae potius Ecclesiae, quam Pontifici ea potestas vel auctoritas inhaerere credatur, si nulla Pontificis definitio velut irretractabilis habeatur, quam non praecesserit, sollenni habita consultatione, Romani Cleri consensus. Quamquam ergo ex dictis satis appareat illius opinionis ἀσυςασία, quae statuit, Pontificem cum consensu Ecclesiae suae definientem aberrare posse, & tamen Sedem Apostolicam, vel ipsam Romanam Ecclesiam non errare; attamen non satis adhuc constat, an reapse, & quantum satis est, ab hac opinione distinguatur altera eorum opinio, qui Romani Pontificis illud solum judicium pro irretractabili habent, quod consulto & consentiente Romano Clero editum fuerit. Nam Romanus Pontifex cum Clero suo ipsa est Ecclesia Romana: quare si a consensu Cleri omnino pendeat Apostolicorum judiciorum indeficiens auctoritas, verendum esse videtur, ne hanc re ipsa non in Romano Pontifice, sed in Romana Ecclesia, ejusmodi opinio reponat. Quamobrem opere pretium erit haec diligentius & accuratius enucleare.

ARTICULUS II.

An Romani Pontificis, quotiescumque aliquid sollenniter judicet aut definiat, irretractabile sit habendum judicium?

NUllus dubito, quin adfirmaturi sint ii etiam Theologi, quorum superiori Articulo opinionem recensui, & exhibui testimonia. At quum

quum ii nullum agnoſcant Romani Pontificis ſollenne judicium, quod non habita cum Eccleſia Romana vel Romano Clero ſollennis conſultatio praeceſſerit, theſis apud eos non diſtinguitur ab hypotheſi, idemque ſunt in eorum opinione Romanus Pontifex ſollenniter definiens, ac definiens praemiſſa Romāni Cleri vel Eccleſiae conſultatione. Quare ut ſit locus diſputationi, ſollennis judicii nomine, illud generatim intelligamus oportet, quod Pontifex pro univerſa ferat Eccleſia, ea mente ac propoſito ut omnes illud incunctanter velut irreformabilem fidei regulam amplectantur: ac de hujuſmodi judicio quaeratur, an omnino, & velut *a conditione*, ut ajunt, neceſſaria & *eſſentiali*, a praehabita cum Romano Clero deliberatione, ejuſque conſenſione pendeat. Quae ſane quaeſtio aliam ſubinde pariet: An videlicet, ſi non Romanum Clerum, aliquot ſaltem Catholicos Epiſcopos aut Doctores ad conſultationem Pontifex adhibere debeat, antequam ſollenniter & ex Cathedra de aliquo fidei dogmate vel controverſia pronunciet.

Quod ad primam quaeſtionem attinet, mihi omnino dicendum videtur, poſſe Romanum Pontificem quidquam ſollenniter definire, ſuamque definitionem velut irreformabilem fidei regulam omnibus Eccleſiis proponere, quamquam nulla praehabita conſultatione Eccleſiae ſuae Romanae intra Urbis ambitum conſtitutae, vel, ut praeſens habet uſus, non adhibitis ad conſultationem EE. Patribus, qui Romanum, ut ait Serrius, hodie Clerum conſtituunt; adeoque ex eorum conſenſione minime pendere, quod ſit Romani Pontificis irretractabilis definitio. Id vero dum ſtatuo, haud certe mihi mens eſt, quod Purpurati Patres habendi non ſint tanquam Romani Pontificis Conſiliarii, quos in rebus magni momenti, & gravioribus ac difficilioribus cauſſis, cujuſmodi imprimis ſint cauſſae fidei, conſulere ipſe debeat. Nam fidei regulam Romanus Pontifex antequam edat, nihil omittere debet eorum, quae humana induſtria praeſcribit, ut perſpectam & exploratam habeat vigentem in Eccleſia Catholica velut Apoſtolorum de controverſo dogmate traditionem. Nemo autem negat, quod conceptis verbis S. Irenaeus aliique Patres docent, nullam ad id adſequendum expeditiorem eſſe viam, quam ut Eccleſiae Romanae traditio prae oculis habeatur, quoniam cum illa propter potiorem ejus principalitatem neceſſe eſt omnem Eccleſiam in fidei rebus ac dogmatibus convenire. Hujus porro traditionis qui magis idonei teſtes reperiri poſſunt, quam Eminentiſſimi Patres, & ex eis aliiſque Urbicariis, ut ita dixerim, aut ſuburbicariis Epiſcopis conflata, quaedam veluti familiaris jugiterque adhaerens Romano Pontifici, Synodus aut conventus? Hos ergo imprimis conſulere Pontifex debet, ut Eccleſiae ſuae traditionem facile perſpectam & exploratam habeat; neque ea omittere aut negligere videatur, quae praevia divino lumini humana induſtria requirit, & quae jam inde ab initio nulli quamquam doctiſſimi & ſapientiſſimi Pontifices neglexerunt, antequam quidquam ſollenniter vel ex Cathedra pronunciarent. De his ergo nulla inter nos, & lau-

& laudatos articulo superiore Theologos concertatio est. At quod nullo casu accidere possit, ut Romanus Pontifex quidquam sollenniter definiat, non prius adhibitis ad consultationem Eminentissimis Patribus, id vero est, quod non absolute adfirmandum existimamus, & quo a laudatis Theologis dissentimus.

Id vero imprimis ex iis, quae mox adnotavimus, sponte fluere videtur. Non enim alia ratione, aut alia de caussa requiritur ea Purpuratorum Patrum, aut Romani Cleri consultatio, quam ut eorum studio Pontifex, pro humanae industriae modulo, adsequatur avitam ductamque ab Apostolis Ecclesiae suae intra Urbis ambitum constitutae, aut, quod perinde est, Ecclesiae Catholicae traditionem. Quis porro negare audeat, aut Vigilium Constantinopoli detentum, aut S. Martinum I. in Chersonesum exsilio deportatum, aut Innocentium II. in Galliis degentem, etsi nulli eis Romani Clerici adfuissent, adhibitis tamen ad consultationem, aut in Urbe regia ex toto fere Oriente degentibus Episcopis, aut iis si quos aliquo numero Martinus exsilii comites habuisset, aut totius Galliae Antistitibus ac Theologis, eos adsequi potuisse de aliqua Nestoriana propositione in libris Theodori Mopsuesteni, aut de nefario Monothelitarum dogmate, aut de erroribus Petri Abaëlardi, Ecclesiae Catholicae, adeoque & Sedis Apostolicae sensum; ut non proinde temere ii Pontifices egisse judicarentur, si in Theodori libros, aut in Constantis Typum, aut in errores Abaëlardi sollennia anathemata pronunciassent? Si enim Episcopi Africani in Sardinia exsules, & a suis Ecclesiis, suisque Presbyteriis Clerisque disjuncti; attamen suarum Ecclesiarum, imo & totius Ecclesiae Catholicae de Christi gratia & Incarnatione doctrinam satis perspectam habere potuerunt, ut non temere & inconsulte ad eam exponendam adgrederentur: cur de Romano Pontifice longe ab Ecclesia sua & Sede Apostolica abducto, & in exsilium cum aliis Episcopis deportato, quin idem cum iis Illustribus Confessoribus praestare valeat, temere inficias ibimus?

Jam vero si S. Hormisda cum aliis Africanis Episcopis in Sardinia exsul fuisset, & in Fausti libros veluti Pelagiana labe imbutos anathema intorsisset; si S. Martinus cum aliis Confessoribus exsilio detentus Heraclii Ecthesim & Constantis Typum tanquam monumenta fidei Catholicae infesta sollenni ritu damnasset; & per universam Ecclesiam omnibus, qui Sedis Apostolicae communione frui vellent, Semipelagianorum & Monothelitarum dogmata laudati Pontifices repudianda sanxissent: quaerimus, an ea decreta retractationi obnoxia jure censeri possent, quoniam in iis condendis nullam EE. Patres navassent operam? Si Adversarii negent, propterea retractabiles fore Pontificias de fide sanctiones, hoc ipsum est quod volumus, nempe ex Romani Cleri consultatione non omnino pendere, ut Pontificis sanctio irretractabilis sit. Si autem praefracte iidem Adversarii contendant, ea decreta nequaquam summa & ineluctabili auctoritate praeditum iri; rursum ab eis quaerimus, num in ea hy-

pothesi laudati Pontifices Apostolicam seu Pontificiam exeruissent auctoritatem? Si negent, iterum quaerimus, cur Episcopus a Clero suo disjunctus fungi in aliqua Synodo Episcopali auctoritate ac munere valeat, nec possit Romanus Pontifex Apostolicam seu Pontificiam auctoritatem, inconsultis Romanis Clericis exercere? Si autem annuant; possunt ergo Romani Antistites agere ut Pontifices, suamque Pontificiam & Apostolicam auctoritatem exercere, quamquam nulla praehabita cum Romanis Clericis seu Purpuratis Patribus consultatione. Aut ergo in ea hypothesi fidei sanctiones a Pontificibus editae irretractabiles erunt, aut obnoxiae retractationi: si primum adfirmetur, caussa prorsus Adversarii cadunt. Si autem alterum; non ergo Pontifici, Pontificem agenti auctoritas illa ineluctabilis inest, sed Ecclesiae Romanae ex capite membrisque conflatae; quum Pontifex etiam agens ut Pontifex, si membrorum desit consensus, indeclinabilem vim suis nequeat imprimere decretis.

Quam id autem absonum sit, egregiis rationibus demonstrant duo inter alios elegantissimi Theologi, seu politioris Theologiae consulti, Canus & Contensonius, qui opinionem superiore Articulo confutatam iis argumentis exagitant, quae hanc etiam, de qua nunc agimus, manifestissime evertunt. Observant enim inprimis (a) privilegium firmitatis fuisse Petro peculiariter datum: Et (b): non Populo Cleroque Romano, sed Petro ejusque Successoribus factas fuisse Evangelicas promissiones ita praecise & minutatim, ut Petrum in individuo iis characteribus Christus designaverit, quibus, inquit Contensonius, accurati, & ut sic dicam, formalistae Tabelliones solent publicarum tabellarum acta sollicite & pene anxie communire: ***Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves &c.*** Math. cap. XVI. ***Simon Simon ..... Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua &c.*** Luc. XXII. Quae tam luculenta Christi verba, subjungit mox laudatus Theologus, tam singulatim Petro asserta in sensus tropologicos detorquere, est illis aditum patefacere, qui verba illa, *Hoc est corpus meus*, sensibus metaphoricis inumbrant. Quibus Christi promissis addunt etiam communem Christianorum & Ecclesiae sensum, unde siqua in Christi verbis ambiguitas aut obscuritas esset, ea lucem mutuarentur. Iis ergo freti Christi promissis Christiani quum ad Sedem Apostolicam accedunt fidei oracula postulaturi, non singulos Romanae Ecclesiae Fideles aut Clericos interrogant, nec Ecclesiam ipsam Romanam in Concilium cogunt, sed Pontificis maximi judicium quaerunt, ejusque sententiam rogant, ab eoque exspectant & oracula doctrinae & responsa salutis. Neque secus sacra hactenus Concilia decretorum confirmationem & robur, difficultatumque enucleationem a Romano dumtaxat Episcopo postularunt. Testi-

(a) Lib. VI. de locis cap. VIII.
(b) Lib. V. Differt. I. cap. II. Spec. II. Corol. I.

Testimonia demum, inquit Canus, quae retulimus, id fere probant, summum Ecclesiae Pontificem errare non posse. Quo magis illos reprehendendos judico, qui se diremturos controversiam putaverunt, si Apostolicam Sedem ab Apostolico Praesule secernerent. Non recipit illam responsionem ratio, aspernatur, repellit; eamque Contensonius *nec veram*, *nec intelligibilem* judicat.

Hinc autem primo colligitur, quod *auctoritas Pontificalis stabilis penitus & immobilis est velut anima Ecclesiae; subjectum autem & quasi materia auctoritatis illius est persona illa, cui Deus potestatem largitur*. Hanc Parisiensis Theologi thesim refert & laudat Contensonius. Unde & illud secundo loco consequens est, indeficientis fidei praerogativam non ab Ecclesia Romana in Pontificem, sed a Pontifice in Ecclesiam Romanam velut a capite derivari. Inhaeret enim Ecclesiae Romanae isthaec praerogativa, quatenus ipsa Pontifici proxime & indivulse conjuncta est. Unde & hoc tertium consectarium elicitur, Romani Pontificis de fide judicium, ut certum, & ab errore tutum & irretractabile sit, ab Ecclesiae Romanae, vel Cleri, seu Cardinalium consultatione non omnino pendere. Quum enim summa illa & ineluctabilis auctoritas, aut non errandi praerogativa proprie, & tanquam capiti, ipsi Pontifici inhaereat, ab eoque ad suos Consiliarios quodammodo derivetur; (quos nimirum Deus, velut olim datos Mosi Consiliarios LXX. Seniores, eodem Spiritu instruit; adestque illis, ne praeceps ac temerarium, sed grave, fideique consonum Pontifici consilium praestent:) hinc par est credere, eodem spiritu & illos adflatum, eademque Dei protectione munitum iri, si quando aliquot aliarum regionum vel extorres Episcopos pro Romanis Clericis sibi in fidei negotio Consiliarios Pontifex adhiberet. Quod adeo rationi consonum est, ut vel ipse Serrius, qui contrariam opinionem praefractae tuetur, id tandem fateri coactus sit Apolog. Dissert. §. VII. „ Quod autem, *inquit*, Cardinalium omnium absentiam, fugam, defectionem possibilem dicunt Oratores nostri, quos idcirco consulere nequeat Pontifex, dudum est a Sylvestro Prierate occupatum, dum ait, *Quoscumque Papa bona fide accersit pro consilio, sunt pro tunc Cardinales re & actu, etsi non nomine vel habitu. Nam quod Papa habeat in arduis assidentes, est de jure divino; quod autem sint Petrus vel Johannes, galerati vel mitrati, est ex Pontificis arbitrio*. Itaque indeclinabilis Pontificii decreti vis & auctoritas non inde omnino ac necessario pendet, quod illud habita cum Eminentissimis Patribus consultatio praecesserit. Quamquam enim Episcopi aliquot Orientales aut Gallicani, quos sibi Pontifex vel in Oriente vel in Galliis degens Consiliaros adscisceret, Cardinalium munere fungerentur; non tamen absolute ad Clerum illius Ecclesiae pertinerent, quae Urbis ambitu continetur; adeoque non est arctanda Pontificis definitio ad eam consultationem, quam ipse habeat cum Ecclesia sua Romana intra Urbis pomoerium constituta.

Jam vero ut ad alteram quaestionem nobis gradum faciamus, id nobis generatim cum Cl. Cano constituendum est, quod Pontifex quotiescunque tanquam Ecclesiae Doctor universalis aliquam Constitutionem edit, quae ad universam spectet Ecclesiam, ea mente ac voluntate ut omnes ad credendum compellat, poenasque canonicas refragantibus interminetur, hanc ejus sanctionem certam omnino & irreformabilem esse, nec eo obtentu examini aut retractationi subjici posse, quod rem definiendam non satis Pontifex ventilaverit aut accurate perpenderit. Id ille gravissimus Theologus pluribus gravissimisque verbis & argumentis adserit ac tuetur, atque inter cetera observat (a), quod Deus suaviter disponit omnia, simulque prospicit & finem, & media ad finem necessaria. Si enim promitteret cuiquam aeternam vitam, mox conferret etiam illi bonarum gratiam actionum, quibus eam vitam consequeretur. Videlicet quos glorificavit, eosdem & justificavit & vocavit, ut ad Rom. VIII. capite dicitur. Sic omnino, quum Ecclesiae fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quo minus tribuat Ecclesiae preces ceteraque praesidia, quibus haec firmitas conservatur. Itaque praestat semper Pontifex, quod in se est, praestatque Concilium, quum de fide pronuntiant: caditque caussa, si quis e nostris aliter existimat. Quemadmodum enim si Christus Petro diceret; Ego rogavi pro te, ut non deficiat caritas tua; certo certius intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, ceteraque auxilia opportuna illi impetrasse, quae sunt ad caritatis conservationem necessaria: ita quum dixit: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; proculdubio intelligimus, id a Patre suo consecutum, ut quae ad rectum de fidei quaestione judicium oporterent, ea adessent Petro omnia, sive a Deo, sive ab homine exspectarentur. Ac si semel haereticis hanc licentiam permittimus, ut in quaestionem vocent, num Ecclesiae Judices eam diligentiam & curam exhibuerint, qua opus erat, ut quaestio via & ratione finiretur; ecquis adeo caecus est qui non videat, omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari? Porro si illud in quaestionem veniat, nec certis argumentis confirmari possit; at haec res tamen Theologis constituta sit ac definita, Concilia quoquo modo se habeant, si a Summo Pontifice confirmata sunt, errare in fide non posse. Quamquam, me quidem judice, absurdum est, ad finem aliquem nisi per consentanea media perveniri. Ita nunquam ego admittam, aut Pontificem, aut Concilium diligentiam aliquam necessariam quaestionibus fidei decernendis omisisse. Nam si semel de diligentia Judicum dubitamus, novum examen judiciumque semper recens postulabitur, ut de diligentia adhibita vel non adhibita censeatur. Concedamus ergo, Judicibus a Deo in Ecclesia constitutis nihil eorum deesse posse, quae ad rectum verumque judicium sunt necessaria. Haec aliaque hujusmodi huic rei confir-

(a) Lib. V. de locis cap. V.

firmandae Illustrissimus Canus.

Ex hac porro hujusce praestantissimi Theologi doctrina id omnino consequens est, quod praehabita a Pontifice cum aliquot Episcopis seu Doctoribus ex juris forma consultatio, aut non omnino ac necessario requiritur ad sollennem cujusvis dogmatis definitionem; aut eam, qualis definitionem; aut eam, qualis definiendo dogmati debetur, hoc est, magis aut minus scrupulosam & accuratam, & advocando Consiliarios vel plures, vel pauciores, juxta rei de qua disseritur, gravitatem, nunquam Romanus Pontifex praetermittet, ut nunquam reapse hactenus praetermisit.

At si generatim & absolute quaeratur, an sine ejusmodi consultatione quidquam Romanus Pontifex sollenniter definire valeat, & ex Cathedra Petri dogmaticam emittere Constitutionem; ut candide dicam quod sentio, ego certe rationem nullam video, quae ad id negandum simpliciter & absolute cogat; imo ex praemissis ad id adfirmandum potius impello. Debet enim Pontifex, ut superius docui, praemittere consultationem, ut quantum humana industria fieri potest, vel universae vel peculiaris Ecclesiae suae de controverso dogmate traditionem adsequatur. Ego porro non video, cur Pontifex optimo ingenio praeditus, jam inde a puero Ecclesiae Romanae innutritus, Theologicis studiis egregie subactus, sacris litteris eruditus, in veterum Patrum, Conciliorum & Ecclesiasticae Historiae lectione versatus, qui principis Ecclesiae mores, & ritus, & ceremonias apprime calleat; ego, inquam, certe non video, cur talis Pontifex aut suo tantum privato studio, aut privatis aliquot Consiliariis adscitis, non melius comparatus sit ad percipiendam Ecclesiae suae, vel Ecclesiae Catholicae de aliquo non admodum obscuro aut difficili dogmate traditionem; ac proinde non melius etiam comparatus videri possit ad illud rite sanciendum, quam Pontifex, qui nulla, vel admodum levi rerum Theologicarum notitia perfusus & adflatus aura, ad aliquod ex difficilioribus & obscurioribus dogmatibus definiendum, aliquot adhibitis e Purpuratorum Patrum Senatu Consiliariis aggrediatur. Huic loco illustrando & egregie confirmando plurimum apta & idonea esse videntur quae alibi retulimus & expendimus S. Augustini verba lib. III. de Baptismo cap. IV. ubi loquens de Cypriani sententia circa Haereticorum baptismum, ait, absolute fieri potuisse, *ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus paucive sentirent*: quamquam *non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi doctrina praeditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sententia est*. Quae S. Doctoris verba, uti superiore Tomo demonstravimus, aliter vera esse non possunt, quam si res non ad divinam auctoritatem, quae Episcopurum suo Capiti conjunctorum multitudini adest: (hoc enim sensu fieri non potest, ut verius contra plures & innumerabiles de aliquo dogmate unus paucive sentiant:) sed si ad humanas ratio-

rationes exigatur; quo pacto quamquam contra plures & innumerabiles facile non sit ferenda sententia, attamen, auctore Augustino, fieri absolute potest, ut plurium opinioni unius vel paucorum praeferendum judicium sit. Quum de examine & consultatione disserimus, quae sollenni dogmatis definitioni praemittenda est, de re agimus adhuc ad humanas rationes expendenda; ac proinde contingere absolute potest, ut aliquis Romanus Pontifex, aut solus, aut cum paucis Theologis rem privatim expendens, melius, aut saltem non minus aptus & idoneus sit ad veritatem humano studio adsequendam, adeoque etiam ad divinum lumen percipiendum, si ad sollennem definitionem ipsum accedere oporteat; quam alius Pontifex, qui cum pluribus Cardinalibus rem publice & ex juris formulis examinet.

Sane Illustrissimus olim Suessionensis Episcopus, nunc autem Senonensis Archiepiscopus Monito tertio anni 1718. magna argumentorum vi & eruditione demonstrat, nec ipsa Episcoporum sollennia de fide judicia, a praehabita cum Clero Eccelsiae suae, aut ab ulla ejusmodi Consultatione necessario pendere, qualem Serrius pro Apostolica definitione omnino desiderabat, hoc est, quae solennis sit, & ad juris formam exacta: *Servatis*, inquit (a), *debitis juris formulis .... praehabita consultatione Ecclesiae suae Romanae .... praemissa ex forma juris examina*. Ab ejusmodi, inquam, publica &, ut ajunt, juridica consultatione negat Senonensis Archiepiscopus necessario pendere vel ipsa Episcoporum sollennia de fide judicia. Eccur ergo id generis consultationibus alligabimus sollennes summi Ecclesiae Praesulis de fide sanctiones? Temperare mihi non possum, quin aliqua ex ea doctissimi Praesulis Lucubratione decerpam, quae summa fide Latinis auribus dabo. Suum olim Coetum Episcopi consulebant. Id, inquit, verum est. Attamen ejusmodi consultatio non est aut *conditio essentialis*, cujus defectus Episcoporum judicium irritet, aut certa nota, ex qua de illius auctoritate sit judicandum .... Ergo isthaec consultatio aliis mediis perinde efficacibus, quae Episcopis prudentia suggerat, suppleri potest. Nimia quadam & morosa diligentia totius Antiquitatis monumenta congeruntur, in quibus de Episcoporum consultationibus mentio est. Sed quae caussa est, quod tria studiose dissimulantur, quorum est comperta & explorata traditio? Primum est, fuisse olim Ecclesias, quae Episcopum haberent, cui nulli Presbyteri praesto essent. Id ex prioribus praedicati Evangelii saeculis liquet. An ergo tales Episcopi jure carebant de fidei rebus judicandi? Alterum est, fuisse quaedam difficiliora munera, quae ipsi per se Episcopi exercebant, nec semper fieri poterat, ut ad ea rite obeunde consiliarios Presbyteros adhiberent. Cujusmodi erat arcanae Poenitentiae munus. Denique nemo unquam Episcopos obstrictos esse voluit ad communicandum cum Clero, quod majus momentum habet ad fidei conservationem, illius nempe praedicationem. S. Cyprianus, cujus post Ministrum Claudium haec nobis

bis

(a) Differt. I. de Rom. Pontif. cap. I.

bis verba objiciuntur [a]: *Quando a primordio Episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis mea privatim sententia gerere*: Synodos ne suorum Presbyterorum quotidie cogebat, in quibus ipsius ad populum sermones, ejusque adversus haereticos Lucubrationes, Epistolae doctrina sacraque eruditione refertae, Responsa Dogmatica, & Tractatus ad fovendam in populo pietatem compositi, ventilarentur? In his tamen Sermonibus & Operibus Episcopi fidem exponebant, haereses oppugnabant, Ecclesiae doctrinam sanciebant, sacras litteras interpretabantur. En igitur praecipuum munus Apostolici Ministerii, cujusmodi est praedicare ac docere, Episcopis creditum, iisque solis injunctum; atque ita creditum & injunctum, ut fieri vix possit, ad illud rite obeundum Consiliarios Clericos adhiberi. *Euntes*, dictum est illis a Christo, *docete omnes gentes.... Et ecce ego vobiscum sum*; non ad incitandam vestram temeritatem, neque ut vobis deinceps opus non sit precibus, studio & consiliis, quum vobis ejusmodi subsidia praesto erunt; sed *ego vobiscum sum*, ne talia subsidia negligatis; & quoniam *ego Vobiscum sum*, vos ea minime negligetis. Quum autem vobis deerunt, *ite* cum cordis simplicitate, & pro his omnibus mediis mea vos ipse gubernatione dirigam, quoniam *ego vobiscum sum*.

Si ergo haud temere olim agebant Episcopi, quum inconsulto Clero, aut e suggestu, etiam adversus novas haereses, detonabant; aut haereticos scriptis editis lacessebant; aut vel fidei dogmata, vel Christianae pietatis officia tum sermonibus tum epistolis populum edocebant; quis generatim statuere audeat, temere acturum Romanum Pontificem, qui ad fidem sollenniter sanciendam, nisi ex juris formulis consulta Romana Ecclesia, aut Eminentissimis Patribus, aggrediatur? Quum ei non modo generatim & communiter dictum a Christo sit: *Ecce ego vobiscum sum*; verum & speciatim promissum; *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: &, *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam &c.* Quod enim ea quae ex Senonensi Archiepiscopo relata sunt, non modo ad communem praedicationem pertineant, verum & ad sollenniora Episcoporum de fide judicia, ex sequentibus ejusdem disertissimi Praesulis verbis aperte liquet.

Attamen, inquit, argumenta adferuntur, quibus nimirum temerarii homines probare contendunt, nefas esse Episcopis de fidei rebus, inconsulto Cleri sui conventu vel Synodo judicare. *Episcopi*, inquiunt, *& ipsi legi obnoxii sunt, eorumque judicia a Scriptura & traditione pendent: utramque ergo eos consulere necesse est &c.* Quae profecto egregia sunt, at nihil omnino probant. Non enim probandum est, quod ut fidei consona sint Episcoporum judicia, fidem ipsam percipere & callere debent. Id prorsus extra controversiam est: sed Adversariis probandum incumbit, quod nisi Episcopi suum Clerum & Syno-

(a) Epist. V. ad Presbyt. & Diacon.

Synodum consuluerint, censendum sit, eos fidei doctrinam ignorasse, quaecumque alia media adhibuerint, uti traditionem adsequerentur, utque ipsis certo de judicii sui aequitate constaret. Probandum esset, ejusmodi consultationem unicum esse medium, quo ad hauriendam traditionem eniti Episcopus possit. Denique probandum esset, quod Synodi, vel authenticae consultationis defectus, ipso jure Episcopi judicium irritat. Profecto si ex consultatione pendet, ut ratum vel irritum sit Episcopi judicium, ea consultatio perinde publica & authentica esse debebit atque judicium ipsum. Quoniam character seu nota, qua rectum ab iniquo judicio discernitur, non secus atque ipsum judicium, conspicua esse debet & omnium oculis patens; quum nisi ob hanc notam judicio ipsi nemo consensum adhibeat. Hanc autem notam Adversarii esse contendunt Episcopi cum Clero consultationem; haec igitur, perinde atque ipsum judicium, publica & sollennis habenda est. Non ergo Illustrissimo Auctori ex publica aut sollenni consultatione pendet, quod rata vel irrita sint Episcoporum judicia. Eccur ergo summum Ecclesiae Praesulem ad eam legem adstringemus, cui ceterorum Episcoporum judicia minime obnoxia sint?

At nihil tam recta ferit Patavini Theologi opinionem, quam quae idem Illustrissimus Auctor numer. LXXV. subjungit, hoc refellens quorumdam Refractariorum argumentum: *Episcopi judices sunt: Nemo autem judicium in eo unquam reposuit muneris sui praerogativam, ut neque Partes, neque testes, neque advocatos audiret*. Quis, inquit, haec legens non judicet, quod quum Christus suis jussit Apostolis; *Ite, docete*; jussos eos esse voluerit, ut sollicite inquirerent, & acta conficerent, nec ante fidem docerent ipsis divinitus inspirandam, quam pro Tribunali & partes & testes audissent? Quis praeterea non judicet, fas Episcopo non esse ante vel Cathedram Episcopalem adscendere, vel calamum pro Ecclesiae defensione distringere adversus profanas novitates, quam suam Dioecesin ipse lustraverit, inquisitionem instruxerit, suos omnes Presbyteros audierit, ac per eos suos aut sermones, aut ceteras lucubrationes in Acta retulerit? Admitto tamen metaphoram, eamque ad litteram sequor, eique adamussim insisto. Audacissimos Scriptores, qui temere quidquid eis libet effutiunt, in hoc nostro judicio *partes* habemus: *Testes* quos audimus, veteres Ecclesiae Patres sunt aliique Ecclesiastici Auctores, tum hujus aevi celebriores adversus haereticos sacrorum dogmatum tractatores, nec non plurium regionum Theologi, qui & ipsi undique in nostrum suffragium judiciumque conspirant. *Patroni* demum ii sunt leves ac temerarii libelli, qui ad desperatam caussam utcunque suffulciendam, passim & sine pudore vulgantur. His itaque & *Partibus*, & *Testibus*, & *Patronis* auditis, anathema iis ego in Dei nomine denuncio, qui levibus futilibusque rationibus & Christi promissa, & Ecclesiae Cathedram, & Episcoporum auctoritatem, & populorum fidem atque obedientiam evertunt.

Quam haec in Patavini olim Theologi

logi opinionem egregie conveniant, nemo non facile intelligit; qui nimirum, ut jam saepius animadvertimus, eas tantum Romanorum Pontificum de fide sanctiones velut authenticas & irretractabiles habet, quas consultatio praecesserit *servatis debitis juris formulis celebrata*; quibus *praemissa* fuerint *ex forma juris examina*; quibus denique concinnandis *EE. Patres qui Romanum Clerum hodie constituunt, ceterique Praesules in consilium adhibiti sunt, assensumque dedere sollenniter & ex formula*. Perinde atque Christus quum Petrum Ecclesiae universae magistrum instituit, quum fidei indeficientiam ipsi promisit, quum eum denique jussit fratres suos in fide confirmare, gregemque universum velut pastorem verbo doctrinae pascere; ejus praedicationem iis juris formulis alligarit, eique injunxerit, ut non ante quidquam fratribus confirmandis & in fide roborandis decerneret, quam inquisitio instituta fuisset, & partes auditae, & testes ad juris formam examinati, & Acta confecta. Si enim ceteri Episcopi ab his juris formulis soluti sunt, aut ab eis non omnino ac necessario pendent eorum de fide judicia; quanto magis iis non est habendus obnoxius Pontifex Maximus, & Episcoporum Episcopus? Si Suessionensi Episcopo satis fuit, Patrum ac Theologorum testimonia consulere, Partesque & earum patronos in editis libellis audire, ut anathema adversus Novatores & eorum profanas novitates in Dei nomine pronunciaret; quidni similem inquisitionem, & id genus examinis Romano Pontifici satis esse negabimus; cui tanto specialius atque distertius prae ceteris Episcopis & adserendae fidei munus injunctum & indeficiens fides promissa est?

Hanc Dei promissionem soli Romano Pontifici factam esse, non negat, ille quocum in praesentia congredimur, Patavinae Universitatis Theologus; & hanc in docenda fide immobilem firmitatem in uno Romano Praesule agnoscit, quemadmodum illam Episcopi Gallicani in cohaerente, suo & Ecclesiae totius capiti, Episcoporum multitudine venerantur. Quare nos ad unum Romanum Pontificem jure transferimus, quae loco citato num. LXXIV. sanctae Episcoporum societati suo capiti adhaerenti Suessionensis olim Episcopus his verbis tribuit: „ Voilà ce „ qui fait la sûretè des peuples; „ & c'est sur la parole de Jesus Christ, „ que cette sûreté est fondée. Voilà, *Je suis avec vous tous les jours.* „ C'est assez, pourque les peuples, „ sans examen, & sans discussion croyent, & se soûmettent, sans peril, „ á la sainte societé des Evêques „ unis á leur Chef. Les peuples doivent présumer que les Evêques ont „ étudié, qu'ils ont prié, qu'ils ont „ consulté autant qu'il le falloit; & „ quand, per impossible, les Evêques „ ne l'auroient pas fait, Dieu feroit „ plutôt un miracle, pour faire sortir la lumiere des tenebres, que „ de manquer á sa parole. Haec ergo, quae Illustrissimus Praesul sanctae Episcoporum societati adserit, nos uni Romano Pontifici vindicamus: a quo nec ipse omnino dissentit saepius laudatus Theologus, qui tan.

tandem fateri coactus est (*a*) : *Ad Dei in Ecclesiam suam providentiam iis in casibus* (in quibus nimirum Pontifex aut sit in exsilium per summam tyrannidem deportatus, aut in carcere detentus, procul a Clero suo, procul a Cardinalibus, procul a quibusvis Consiliariis & Consultoribus ;) *pertinere, ut vel Pontificem a ferenda sententia deterreat, vel judicii infallibilitatem extra ordinem ac praeter solitum largiatur ; effectum finemque sine mediis, ubi impossibilia sunt, concedendo*. An quotiescumque Romanus Pontifex, quamlibet doctus, quamlibet sacris litteris eruditus, quamlibet Sanctorum Patrum & Conciliorum, & aliorum Ecclesiae monumentorum lectione subactus, quamlibet Ecclesiae Romanae disciplinae ac ritibus innutritus, post rem mature discussam, & fusas ad Deum preces, aliquam non satis difficilem veritatem, procul a Clero suo, procul a Cardinalibus, procul a quibusvis Consiliariis & Consultoribus, universae Ecclesiae tanquam certum fidei Catholicae dogma proponeret ; an, inquam quotiescumque id facere aggrederetur, & indeclinabiliter scopum attingeret, dicendus esset effectum finemque adsequi sine mediis, judicet aequus Lector. Nobis enim in praesentia satis est, Summum Pontificem, quotiescumque quidquam sollenniter universam Ecclesiam docens definit, errori obnoxium non esse ; sive rem cum Clero Romano vel EE. Patribus, sive cum aliis Episcopis ; sive cum multis ; sive cum paucis ; sive publice & ex forma juris, sive privatim ac solus expenderit : id enim consequens esse judicamus ex Christi promissis, quae ipsi tantummodo & absolute facta sunt.

Possunt haec omnia illustrari praeclaro Gedeonis exemplo, quo etiam alibi (*b*) Meldensis ipse Episcopus utitur. Quum enim ei Angelus dixisset (*c*) : *Dominus tecum Virorum fortissime* : Et rursum : *Ego ero tecum* ; & victoriam de Madianitis absolute promisisset : *Et percuties Madian quasi unum virum* ; fieri non poterat, ut reapse Gedeon a Medianitis vinceretur, vel ut ei victoria de Madianitis deesset. Et ipse quidem profligandis hostibus aptum conscripsit exercitum triginta millium virorum, qui tamen Domini jussu ad trecentos redacti sunt, iisque solis innumerabilem hostium multitudinem internecione delevit. Nec ipsum absolute victoria defecisset, si vel solus cum Armigero suo, quemadmodum postea Jonathas in Philistaeos, & ipse in Madianitas irruisset, Victoria enim ipsi, non conscriptis ab eo Legionibus, promissa fuerat. Quare sive cum multis sive cum paucis, sive etiam solus hostes fuisset aggressus, perinde de illis triumphasset. Quemadmodum Gedeoni victoriam Dominus de Madianitis promisit ; ita & Petrum ejusque in Sede Apostolica Successores petram fore praedixit, supra quam aedificata Ecclesia nunquam inferi portis, hoc est, haeresibus & erroribus vinceretur ; eaque

(*a*) Differt. Apolog. §. VII. (*b*) Instruct. Past. sur les promes. l'Eglise num. V.
(*c*) Judicum cap. VI. ℣. 12. & 16.

que promissio, ut supra ostendimus, non modo ad Ecclesiam, verum & ad petram supra quam Ecclesia consistit, referenda est. Quare sive cum Romanis, sive cum Graecis aut Gallicis; sive cum multis, sive cum paucis, sive ipse solus Romanus Pontifex Petri Successor, universam informaturus Ecclesiam, & in fide adversus grassantes haereses confirmaturus, fidei decretum concinnet, perinde adversus eum portae inferi minime praevalebunt, sed de haeresibus & erroribus triumphabit. Quod tamen non eo dicimus, quod quemlibet Romanum Pontificem solum ad id praestandum, juxta humanas regulas & rationes, idoneum judicemus. At si id aliquis Pontifex aggrediatur, ac re ipsa perficiat, dicimus, non esse hoc obtentu retractandam illius de fide sanctionem: quoniam ipsi absolute in iis, quae ad fidem pertinent, inerrantia promissa est. Nec eo Romani Pontificis judicium indeficiens esse adfirmamus, quod solus omnibus de fide quaestionibus sanciendis idoneus, aut ad id praestandum a Sancto Spiritu incitatus, ejusque lumine adjutus sit; sed quod eas tantum controversias solus definire aggredietur, ad quas definiendas se se a Spiritu Sancto satis adjutum atque excitatum sentiet: alias vero non ante definiet, quam eas cum minore aut ampliore, pro rei definiendae gravitate, difficultate, vel obscuritate, Consiliariorum aut Consultorum coetu communicaverit. Videsis relatum in fine superioris Tomi Cardinalis Perronii testimonium.

ARTICULUS III.

Adlatis superius Scripturarum & Patrum testimoniis illi minime satisfaciunt, qui iis dumtaxat significari contendunt, optime quidem de Romani Pontificis judicio praesumendum esse, etsi habendum non sit pro certa omnino & irreformabili fidei Catholicae regula.

POstquam semel ostendimus, eos pugnantia loqui vel scribere, qui Romanae quidem Ecclesiae Sedisque Apostolicae, secus autem Romani Pontificis, fidem, doctrinam, auctoritatem indeficientem, immobilem & inconcussam esse decernunt; nemo nobis vitio dabit, aut ideo succensebit, tum quod indiscriminatim in hoc Opere haec nomina, *Romana Ecclesia*, *Sedes Apostolica*, *Romanus Pontifex*, usurpavimus; tum etiam quod Patrum testimonia, quibus Ecclesiae Romanae Sedisve Apostolicae inerrantia praedicatur, ad eamdem praerogativam Romano Pontifici vindicandam adhibuimus. Multo autem magis nemo mirabitur; si & deinceps eidem methodo insistemus: praecipue quum adversus Bossuetium disseramus, qui & ipsas Romanae peculiaris Ecclesiae Sedisve Apostolicae de fide sanctiones irretractabiles & irreformabiles esse negat; & Patrum testimoniis, quae a nobis adferuntur, probari docet, caussas fidei ad Sedem Apostolicam referendas, non autem propterea *infallibili judicio* finiendas; ac de Romani Pontificis judicio piam praesumtionem, non continuo certam fuisse

fidem. Hanc porro interpretationem quibusdam Veterum locis adhibet, quae profecto si seorsim spectentur, haud omnino absonum esse videretur, ea in hunc sensum inflecti. Imo ita esse intelligenda, suadere videntur, tum qui & hîc refricantur, Liberii, Sergii III. & Honorii lapsus; tum quidam Concilii Romani sub Damaso, Cypriani, & Hieronymi textus, qui nisi in hanc interpretationem temperentur, inerrantia ipsis quoque Episcopis vindicabitur; tum denique & aliquot Monachorum in Synodo Lateranensi sub S. Martino I. & Brunonis Episcopi Signini in alia Synodo Lateranensi sub Paschali II. & Synodi Viennensis, eodem Pontifice, a Guidone Apostolicae Sedis Legato adversus Investituras celebratae, verba, decreta, & exempla: quae cum adlatis a nobis Patrum testimoniis cohaerere non possunt, si haec ad extremos apices urgeantur: „ conciliantur autem, si de Ro„ mani Pontificis judicio dubitatum „ quidem, sed interim optimae prae„ sumtum esse dicamus.

At plurima tamen Veterum loca & testimonia supersunt, in quae nullo pacto quadrare ea interpretatio potest. Ea superius late descripsimus. Quare satis erit, ut ea hîc breviter indicemus. Et primo quidem lato calamo demonstravimus, non modo Petrum, verum & Romanum Pontificem dictum veteribus & Patribus & Synodis esse, fidei petram, fidei columnam, fidei crepidinem & firmamentum, denique ejusdem fidei inconcussum, & immobilem fundamentum. Is autem, de cujus doctrina optime quidem praesumitur, sed pro certa & irreformabili judicii regula non habetur; firmae quidem opinionis, at opinionis tamen, non vero fidei Catholicae columna, basis, & firmamentum haberi potest. Fides enim non humana praesumtio & opinio est, sed certus omnino, indeclinabilis & immotus adsensus, cujus proinde firmamentum, columna, basis & fundamentum stabile sit oportet, immobile & inconcussum, quod aliquando deficere & errare non possit, quemadmodum & ipsa fides errori obnoxia non est.

Secundo verba illa: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; non modo ad universam Ecclesiam, quae supra petram aedificata est, verum & ad petram ipsam, supra quam hujusce sacri aedificii moles incumbit, hoc est ad Cathedram & Sedem Petri plures e Patribus referunt; ad quam etiam pertinere docent & illa ejusdem Christi Domini verba: *Simon, Simon, Ecce Satan &c.* quibus cum superioribus, seu paullo ante citatis magna adfinitas est. Quid est enim aliud, *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*, quam inferi portas seu diaboli vires praeliaturas adversus Apostolos, & adversus Ecclesiam, cujus ipsi futuri erant institutores & fundatores? *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; hoc est, rogavi pro te, ut portae inferi adversus te non praevaleant. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; Et quoniam fides tua non deficiet, quoniam portae inferi non praevalebunt adversum te, tuosque in Sede Apostolica Successores, tu eris, & post te ipsi erunt confirmandis

dis fratribus, & in vera fide sustinendis atque firmandis solidissima petra, & immobile fundamentum. Nihil hîc dicimus quod non haustum e Patribus sit, & eorum testimoniis ad superiora capita latissime confirmatum. His ergo Christi promissis, nititur *pia* illa *fiducia*, qua juxta Adversarios, de Romanorum Pontificum Sedisque Apostolicae judiciis optime praesumendum est. At vero fiducia, quae talibus Christi promissis nititur, vel ipso Bossuetio teste, non mera fiducia est, sed certa & incommutabilis fides. Haec enim alibi (a) expendens Pseudo-reformatorum in Delfitana Synodo verba „ que lorsque il s' assembleroit de plusieurs pais de pasteurs „ pour decider selon la parole de „ Dieu ce qu'il faudroit enseigner „ dans les Eglises, il falloit avec „ une ferme confiance se persuader „ que Jesus Christ seroit avec eux „ selon sa promesse. Haec, inquam, verba Meldensis Episcopus expendens, observat, fiduciam promissionibus nixam, haud aliud esse juxta Apostoli phrasim, quam ipsam divinam & immutabilem fidem: *Confiance* selon la promesse, *& par consequent selon l' expression de Saint Paul*, *confiance selon la foi*, *plus inebranlable que les fondemens de la terre*, *quoique soûtenuë du doit de Dieu*. His ergo Christi promissis, quae supra indicavimus, fretus Justinianus aliique Orientales in libello seu Professione fidei ad Hormisdam aliosque Romanos Pontifices; his fretus Agatho aliique tum Occidentales in litteris Synodicis ad Constantinum Pogonatum, tum Orientales Episcopi, qui illas tanquam a Petro conscriptas, & a Spiritu Sancto dictatas in sexta Synodo susceperunt; his fretus Nicolaus I. & Hadrianus II. in libello fidei, quem Orientalibus subscribendum exhibuerunt, antequam in Sedis Apostolicae communionem, vel in octavam Synodum cum aliis Patribus reciperentur; his inquam, Christi promissis freti, quibus & effectus & plurium saeculorum experimenta suffragabantur; tum Christi Religionem in Sede Apostolica semper immaculatam, & integram, & incorruptam semper fuisse servatam fidentissime praedicabant; tum sese in omnibus vel damnandis vel recipiendis eamdem Sedem Apostolicam sequi, publice ac sollenniter profitebantur. Quae proinde ipsorum fiducia, qua tam pie, ut verbis utar Adversarii, de Sede Apostolica praesumebant, utpote divinis Christi promissis innixa, haud aliud erat juxta phrasim Apostoli, quam ipsa divina fides terra ipsa immobilior, quamvis haec Dei digito sustentetur.

Tertium adversus Bossuetii, & aliorum Parisiensium interpretationem veterum formularum, argumentum ex eo petimus, quod juxta constantem Ecclesiae traditionem Romanus Pontifex solus & summus fidei controversiarum judex semper habitus est; ad quem scilicet tantummodo velut ad summum & supremum judicem spectet fidei dogmata summo jure sancire, quaestionibus & controversiis finem imponere, dubiaque *finali*, ut aiunt, judicio terminare. Nimius essem, si omnia hîc congerere vellem veterum Patrum, & Con-

(a) Instruct. 2. sur les prom. de l'Eglise.

Conciliorum & Romanorum Pontificum testimonia, quibus haec praerogativa ipsis Romanis Pontificibus vindicatur. Legi ea commode possunt apud Nat. Alex. Dissert. IX. in Histor. Eccl. Saec. XI. & XII. *De contentione inter S. R. E. Cardinales, & Gallicanos Praesules exorta in Concilio Remensi anno* 1148. *occasione Symboli contra Gilberti Porretani errores ab istis editi: In qua Episcoporum & Romani Pontificis jura in judicio caussarum fidei explicantur*. Et Dissertat. XII. in Hist. Saec. XIII. & XIV. cum ei adnexo Censorio suffragio in istam propositionem: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili privilegio spectat de controversiis fidei judicare*. Quamquam autem laudatus Auctor in hisce Dissertationibus aliique ab eo laudati Parisienses Theologi varias interpretationes ac limitationes Patrum textibus adhibuerint, ne judex in caussis fidei solus Romanus Pontifex habeatur; attamen nec ipsi negare audent, imo palam agnoscunt ac profitentur, solum Romanum Pontificem, juxta veterum Patrum sententiam & constantem Ecclesiae traditionem, summum esse judicem controversiarum fidei, ad eumque tantummodo pertinere de fidei rebus peremtorium ac finale judicium. Qua de re audire praestat Petrum Aurelium his inter cetera verbis disserentem (a): *Nam quod interdum* (imo frequentissime) *ita loqui videntur in Epistolis Summi Pontifices, ut eas caussas sibi penitus assumant, earumque ventilationem solam Episcopis permittant... Ventilationis nomen non semper ita sumendum est, quasi solam rei discussionem sine omni judicio contineat. Nam eo nomine significatur judicium, non ultimum illud quidem ac supremum, sed quod sub altiori potestate quasi suspensum sit, donec ab ea finiatur & compleatur; qualia esse diximus judicia Episcoporum ad judicium Summi Pontificis collata*. Quod proinde ultimum est ac supremum, sub eoque aliorum Episcoporum qualiacunque judicia quasi suspensa sunt, donec ab eo finiantur & compleantur. Jam vero ipsimet Protestantes, ipse cum eis Bossuetius, aliique ex nostris Adversariis agnoscunt, quod Judex in caussis fidei, ad quem videlicet spectet finale in his caussis ac peremtorium judicium proferre, falli in suo judicio, seu errandi periculo obnoxius esse non potest.

Jurius apud Bossuetium lib. XV. Hist. Variat. n. CV. negabat Ecclesiae Pastores & Ministros in caussis fidei proprie Judices esse, hac ductus ratione, *que n'etant pas infaillibles, ils ne sçauroient être juges dans les decisions de foi*, parceque *qui dit juge, dit une personne à la quelle il faut se soumettre*. Et infra num. CIX. postquam ex ipsis Pseudo reformatarum Ecclesiarum actis Bossuetius demonstravit, Synodos saltem nationales in fidei caussis judices esse, ad easque pertinere ultimam supremamque definitionem proferre; earumdem Synodorum summam, & ab errandi periculo tutam ac prorsus irretractabilem auctoritatem, hoc argumen-

(a) Lib. in octo caussas Spongiae praeambulas &c. pag 210.

mento demonstrat: „ Par les principes du Ministre (*Jurieu*) si les „ Conciles ètoient juges dans les matiéres de la foi, ils seroient infaillibles : or par les principes „ de son Eglise il sont juges ; il „ faut donc que le Ministre condamne ou lui-même, ou son Eglise, „ s'il n'avoue l'infaillibilitè des Conciles, du moins de ceux où se „ trouve la dernière & finale résolution. Quod argumentum facile sane est in rem nostram convertere. Si enim Romanus Pontifex summus in fidei caussis judex est, & si ad eum pertinet ultimum ac supremum judicium proferre, in his judiciis falli non potest: Atqui Romanus Pontifex juxta constantem Ecclesiae traditionem summus in fidei caussis judex est, ad eumque pertinet ultimam ac supremam definitionem & judicium ponunciare: Ergo aut Bossuetius negare debet, quod & ipsi haeretici agnoscunt, summum in fidei caussis judicem *infallibilem* esse; aut quod universa traditio docet, Romanum Pontificem summum in fidei caussis judicem esse, ad eumque pertinere, supremum in ejusmodi caussis judicium pronunciare; vel fateri debet Romani Pontificis de fide judicia errori obnoxia non esse. Ea est hujusce demonstrationis vis, ut illa etiam Petrus de Alliaco usus sit ad adserendam Sedi Apostolicae summam in judiciis fidei & indeclinabilem auctoritatem, ut constat ex sequenti ipsius thesi (a): *Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea quae sunt fidei judicialiter definire.* Quam thesim ille sequenti argumento confirmat: *Ad illius tanquam ad supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit: Sed sanctae Sedis Apostolicae fides nunquam deficit: Igitur &c.* Primam hujusce Syllogismi propositionem laudatus Cardinalis ex se notam esse pronunciat: *Major*, inquit, *est nota*. De altera vero propositione, eam ex Christi promissis & Patrum textibus constare, adfirmat. *Minor patet: Quia de hac sancta Sede in persona Petri Apostoli in ea praesidentis dictum est*: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, *Lucae XXII.* adfertque Cypriani & Hieronymi textus ex Decreto desumtos; quibus & haec verba adjungit ex Cap. *Haec est fides*, in quo habetur, *Quod ipsa* (Sedes Apostolica) *semper immaculata permansit, & in futuro permanebit, & immobilis omni tempore persistit*. Itaque ex se notum esse pronunciat, supremum judicem fidei in fide errare non posse; ac propterea ad Sedem Apostolicam pertinere, ut de fide suprema auctoritate constituat, quoniam & ipsius fides ex Christi promissis deficere non potest, & ipsa semper, juxta veterum Patrum testimonia, immaculata permansit ac permanebit, & immobilis omni tempore perseverabit.

Huic ergo Supremo Judici fidei controversias summo jure, supremoque & ultimo judicio terminanti, quodnam a fidelibus mentis obsequium debeatur, quamquam ex dictis facile

(a) Script. oblat. Clem. VII. Aven. sedenti.

cile colligatur; libet tamen in ea re declaranda adhuc aliquantulum immorari. Ac deberi quidem etiam mentis obsequium, neque ipsimet Adversarii negant: *Concedimus ultro*, inquit Turnelius (a), *definitis a Pontifice circa fidem & mores debere Fideles interiori mentis obsequio acquiescere, nisi aut hypocritae velint haberi, aut rebelles*. Subjungit tamen non inde sequi, *ex sese infallibile habendum esse Pontificis solius judicium. Siquidem*, inquit, *& Episcopis in suis singulis Dioecesibus, cum de fide vel moribus statuunt, debent, qui ipsis subjecti sunt, non tantum silentii, sed & mentis obsequium, nisi aperte ac evidenter error ipsis ad credendum proponeretur .... Porro non idcirco infallibile creditur privatorum Episcoporum judicium*. At qui fieri potest, ut Judici, cujus infallibile non sit judicium, divinae adeoque omnino immobilis fidei obsequium debeatur? Respondet: *Quia Fideles ad credendum non moventur ex privata Episcopi cujuscunque auctoritate, sed ex auctoritate totius Ecclesiae, cujus nomine ille loquitur, tanquam ipsius Minister, & cujus fidem ac doctrinam fideliter proponere praesumitur*. Quae etiam Meldensis Episcopi in praesenti Capite doctrina est. Ait enim. „ Aliud esse, „ quod pia fiducia praesumimus, „ aliud quod certa fide credimus. „ Cum Episcopi, ac Synodi particulares de fide judicant; hos vera judicasse pia fiducia suadet.... „ Meritoque praesumitur eos officio „ non defuturos, neque aberraturos „ ab antiqua suarum Ecclesiarum traditione, cujus custodes sunt. Jam „ si ad Romanum Pontificem quaestio devolvitur .... multo magis „ praesumitur, judicium ex Petri aequitate ac praedicatione, & com„ muni Ecclesiarum traditione esse „ depromtum. Qui & antea dixerat quod etiam initio articuli relatum est: „ De Romani Pontificis judicio „ dubitatum quidem, sed interim „ optime praesumtum esse.

At haec pariter ullo modo neque cum recta ratione conciliari possunt, neque cum iis, quae ipsimet Pseudo-reformati Theologi, & cum eis ipse Meldensis Episcopus alibi docet (b). Observat enim, vel ipsos Pseudo-reformatos agnoscere, deberi ultimo ac supremo Ecclesiae vel Synodorum judicio plenum ac perfectum & inviolabile humanae mentis obsequium. In eorum enim Actis uni Synodo Nationali, non autem Consistoriis, Colloquiis & Synodis Provincialibus tribuitur *la derniere & finale resolution par la parole de Dieu*. Sed quoniam haec est *la derniere & finale resolution*, Ecclesiae & provinciae sollenniter jurare tenentur, *de se soumettre à tuot ce qui sera conclu dans cette assemblée, persuadées que Dieu y presidera par son Saint Esprit & par sa parole*. Quoniam ergo debetur, ex eorum sententia huic supremo judicio integer & plenus adsensus, *une soumission entierre à cette sentence*; ideo praestatur hoc juramentum, vel antequam fue-

(a) De Eccles. Tom. II. pag. 277.

(b) Reflex. sur un Ecrit de M. Claude num. I. Vid. & l'Exposit. de la Foi num. XX. & la Conference avec M. Claude sur la matiere de l'Eglise.

fuerit pronuntiatum. Id vero, ait Meldensis Episcopus, est consequenter agere; *C'est agir consequemment*. Et infra multis ostendit, dici non posse, quod istud plenum, integrum ac perfectum obsequium nihil sit aliud quam *une simple presomtion humaine*, quae non nisi ordinem publicum ac disciplinam respiciat. *Car en matiere de Foi, une decision n'oblige à rien moins qu'à ce qu'a dit l'Apôtre Saint Paul, c'est-à-dire, à croire de coeur, & à confesser de buoche*. Ipsique Pseudo-reformati ita rem intelligunt, quum in sua ipsorum Disciplina declarant, ultimae ac finalis definitionis effectum esse, *qu'on y acquiesce de point, en point, avec exprès désaveu de la doctrine contraire*. Unde colligit, quod qui spondet & jurat, se adsensurum Synodi cujuspiam definitioni, jurat similiter ac spondet, quod & corde credet, & ore confitebitur dogmata, quae per eam Synodum statuentur. Quae quidem promissio & juramentum ut legitime fiant necesse est huic Synodo divinitus esse promissam specialem Spiritus Sancti praesentiam ac directionem, ac proinde eam Synodum decipi ac falli non posse, *c'est-à-dire, qu'elle soit infaillible*. Ex quibus omnibus haec summa conficitur. Quoniam Synodus Nationalis summo jure de fidei controversiis judicat, ejus judicium supremum atque ultimam est; ac propterea illi debetur plenus & absolutus adsensus, integrum ac perfectum obsequium: quod esse non potest *umana praesumtio*, aut mera fiducia; sed obsequium fidei, quo corde credimus ad justitiam & ore confitemur ad salutem: hoc autem obsequium uni auctoritati debitum est, quae praesentiae ac specialis directionis Spiritus Sancti certam habeat & immobilem promissionem; quaeque adeo decipi & errare non possit. Haec ergo ad Romanum Pontificem transferamns.

Romanum Pontificem controversiarum fidei summum ac supremum judicem esse, ejusque judicium ultimum esse ac supremum, eoque fidei quaestionibus finem imponi, & universa traditio docet, & ipsimet Adversarii saltem verbis minime diffitentur. Debetur ergo illius de fide judicirs ejusmodi obsequium, quo non modo de illorum rectitudine praesumatur, sed quod omnem prorsus dubitationem excludat; nec mera fiducia sit, sed plena & absolutissima fides; cujusmodi debetur, juxta communes pervulgatasque notiones judici & judicio fidei, quod vim habeat ultimae definitionis: quoniam ubi de fide agitur, *une decision n'oblige à rien moins, qu'à ce qu'a dit l'Apôtre Saint Paul, c'est-à-dire, à croire de coeur, & à confesser de bouche*. Et qui ab errandi periculo ex divina promissione tuti omnino non sint, *ils ne sçauroient être juges dans les decisions de foi*: quoniam qui judicem dicit, *il dit une personne à la quelle il faut se soumettre*. Aut ergo ipsimet Adversarii ejusmodi obsequium, quo & corde credant ad justitiam, & ore confiteantur ad salutem, Romani Pontificis de fide judiciis negare non possunt; aut verbis ludunt, communesque ac pervulgatas notiones evertunt, quum hinc, ne traditioni refragare aperte videantur, Romanum Pontificem

summum in caussis fidei judicem profitentur, ejusque judicio fidei controversiis finem imponi depraedicant; hinc autem de illius judicio dubitatum quidem, sed interim optime praesumtum esse comminiscuntur. Quomodo enim ultimum ac finale judicium, quod dubitationi, inquisitioni, retractationi & examini obnoxium est? Quomodo controversiis terminum ac finem imponit, quod in quaestionem vocatur, & de quo liberrime disceptatur? Quomodo Romanus Pontifex judex, judexque supremus in caussis fidei, aut quomodo fidem sancit, aut ejus de fide decreta fidei sanctiones sunt, si fidei obsequium ejus sanctionibus non debetur? Quoniam, ut iterum dicam, *en matiere de foi unde decision n' oblige à rien moins qu' .... à croire de coeur &c.* Ludunt ergo Adversarii, ac verbis abutuntur, quum Romanum Pontificem summum contraversiarum fidei judicem vocant, ejusque judicium ultimum ac supremum appellant; quum proprie loquendo nec judicem fidei appellare deberent: Judicis enim est ad obsequium cogere; subindeque judicis fidei, cogere ad obsequium fidei; quod, ut recte Jurius monet, praestare ipse non potest, nisi & falli & fallere nescius omnino sit. Nec obest, quod & alii Episcopi judices fidei quandoque dicuntur. Cujusmodi enim sit eorum judicium cum illo Romani Pontificis collatum, superius cum Petro Aurelio expositum est; videlicet *non ultimum quidem ac supremum, sed quod sub altiori potestate quasi suspensum sit, donec ab ea finiatur & compleatur.* Ideoque saepius in antiquis Ecclesiae monumentis soli Romani Pontificis fidei judices appellantur, ipsique in suis Epistolis, ut idem Petrus Aurelius observat, *interdum ita loqui videntur, ut fidei caussas sibi penitus assumant, earumque ventilationem solam Episcopis permittant.* Quod nimirum judicia fidei, ut saepe jam dictum est, ex auctoritate prodire debent, quae fidei obsequium extorquere jure suo valeat, quaeque adeo decipi & errare non possit, *c' est à dire, qu' elle soit infaillible*; cuiusmodi profecto non sunt aliorum Episcoporum judicia, donec, ut ait laudatus Petrus Aurelius, ab altiori Romani Pontificis potestate finiantur & compleantur.

CAPUT XVI.

„ De Sancto Thoma & S Bonaventura Facultatis Parisiensis Doctoribus, quid Gerson senserit, utriusque ac praesertim Angelici Doctoris sententia explicatur.

DE his duobus sanctis Doctoribus eorumque circa praesensentem controversiam sententia haec ex Gersone Meldensis Episcopus refert: *Vidi nuper Sanctum Thomam & Bonaventuram, dantes supremam & plenam Summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam. Recte procul dubio: sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos, & particulares Ecclesias.* Ita definit Gerson, ejusque judicium Illustrissimus Adversarius incunctanter amplectitur, statim enim subjungit: „ Neque revera quidquam aliud apud „ sanctos illos Doctores legimus. Sed, quod ad Angelicum Praecepto-

torem praecipue pertinet, quam hoc Gersonis & Meldesis Episcopi de illius doctrina judicium a veritate longe dissitum sit, sequenti Articulo perspicue demonstramus.

ARTICULUS UNICUS.

Romano Pontifici ad fidei quaestiones terminandas summa & suprema potestas, nullique omnino, nec ipsius Synodi generalis, obnoxia judicio, Angelici Praeceptoris auctoritate adseritur ac vindicatur.

ILlustrissimus Adversarius suum illud ac Gersonis de Angelico Praeceptore ejusque sententia judicium, ex eo primum confirmat, quod sanctus Doctor alicubi docet: *Ad Romanum Pontificem a Synodo appellari, quae omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi*. „ Quo uno, inquit „ Bossuetius, satis constat, S. Do„ ctorem locutum generatim de Sy„ nodis abstrahendo ab universali „ vel particulari Synodo. In Actis „ enim Chalcedonensibus videmus „ appellatum a particulari Flaviani „ Constantinopolitana Synodo ad S. „ Leonem; a Synodo universali ap„ pellatum fuisse non videmus.

At si integrum S. Doctoris locum nobis ob oculos constituemus, clare & perspicue constabit, loqui Angelicum Praeceptorem de Synodo generali. Exstat Bossuetio laudatus locus Quaest. X. de Potent. art. IV. ad 13. ubi respondet Graecis objicientibus adversus Latinos, ob particulam *Filioque* Symbolo additam, Synodi generalis auctoritatem, qua cautum erat, ne aliqua Symbolo additio fieret. Respondet autem, quod *sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explicationem: ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest; cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur*. Hic loqui S. Doctorem de Synodo generali, adeo clarum atque perspicuum est, ut veritas in omnium oculos sponte irruens ullo artificio declinari nequeat. Objicientibus enim Graecis Synodi generalis auctoritatem prohibentis ullam Symbolo additionem fieri; respondet, quod quemadmodum praecedens Synodus nec ademit, nec adimere potuit sequenti Synodo (generali utique) auctoritatem adjiciendi aliquid Symbolo ad ejus majorem explanationem: ita neque hanc potestatem adimere potuit Romano Pontifici, quoniam ejus auctoritate sola & Synodus congregatur, & sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur. Quae ratio prorsus inepta est, nisi de Synodo generali loquatur. Vis enim responsionis S. Doctoris id prorsus exigit, ut quemadmodum Synodi praecedentis lex aut prohibitio quidquam derogare non potuit futurae Synodi generalis auctoritati, ita nec Romani Pontificis potestati: ac proinde ut non minor sit, aut Synodi generalis auctoritati magis obnoxia Romani Pontificis, quam futurae Synodi generalis, auctoritas. Ad id vero probandum inepta prorsus & absona ratio illa esset, quod particularis Synodus auctoritate Pontificis congregatur & confirmatur, & ad ipsum ab ea Synodo ap-

pellatur. Praeterquam enim quod Gallus Theologus nunquam dabit, particularem Synodum sola Romani Pontificis auctoritate posse congregari; quaecumque Romani Pontificis in Synodum particularem auctoritas argumento esse non potest, quod in ejus potestate positum sit quidquam, praeter generalis Sinodi canonem, Symbolo addere, quod per universam celebretur Ecclesiam. Iis porro consona & adfinia sunt, quae idem S. Praeceptor docet 2. 2. Quaest. I. artic. X. ad 2. eamdem versans difficultatem, nimirum Synodi Ephesinae decreto vetitum esse, ne aliam fidem praeter Nicaenam ulli proferre liceat: Ait enim, *quod prohibitio & sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per ejusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim quaelibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod praecedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus haeresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & cujus sententia confirmatur.* Eadem omnino est horumce ac superiorum verborum sententia; eadem difficultas solvitur; eodemque argumento probatur, quod si praecedens Synodus Oecumenica non ademit futurae Synodo oecumenicae potestatem quidquam adjiciendi Symbolo fidei ad majorem ejus explanationem; nec ejusmodi potestatem ademit Romano Pontifici, cujus auctoritate Synodus oecumenica congregatur, & confirmatur. *Oecumenica*, inquam, quod nec ipse Meldensis Episcopus inficiatur: Quare & quod superioribus verbis Angelicus Praeceptor addidit: *Et ad ipsum a Synodo appellatur*; de eadem oecumenica Synodo intelligendum esse, ejusdem vis argumenti suadet.

Subjungit S. Thomas loco superius laudato: *Quae omnia patent ex gestis Synodi Chalcedonensis*. Unde, ut jam vidimus, colligit Bossuetius, neutiquam hic loqui Sanctum Doctorem de Synodo oecumenica: quoniam in Actis Chalcedonensibus videmus appellatum a particulari Flaviani Constantinopolitana Synodo ad S. Leonem; a Synodo universali appellatum fuisse non videmus. At nos in Actis Chalcedonensibus praeter appellationem Eutychis a particulari S. Flaviani Synodo ad S. Leonem, videmus quoque cum Cl. Thomassino; ac vidit absdubie etiam Angelicus Doctor; appellationem ipsius S. Flaviani ad eumdem S. Leonem a praedatoria Synodo Ephesina, quae utique particularis non erat, sed tum convocatione generalis, tum etiam pro sui amplitudine vim oecumenicae auctoritatis habere potuisset, nisi in tyrannidem & latrocinium desiisset, ac si talia fuissent ipsius acta, ut eis Pontifex robur Apostolicae confirmationis adjiceret. Videmus, inquam, cum Thomassino in Actis Chalcedonensibus hanc Sancti Flaviani a Latrocinali Synodo ad Romanum Pontificem appellationem: cujus in litteris ipsius S. Leonis, & Valentiniani Imperatoris, & Reginarum, quae

I. Par.

1. Par. Concilii Chalcedonensis habentur, tam clara extant indicia, ut laudatus Auctor postquam ea retulit ac diligenter expendit (a), in haec eruperit verba (b): *Nae pudorem omnem decoxerint necesse est, qui appellatum a Flaviano esse ad Leonem, ambigere se fingunt.* Quare de Synodo particulari loqui Angelicum Praeceptorem, quum ait, a Synodo ad Romanum Pontificem appellari, id argumento esse non potest, quod in hujusce rei confirmationem laudet Acta Concilii Chalcedonensis: sed potius quum clarum ac perspicuum sit, loqui in eo textu S. Doctorem de Synodo generali; inde colligi debet, probari ex Actis Concilii Chalcedonensis, tum Synodum generalem a Romano Pontifice congregari & confirmari, tum etiam ab ea ad Romanum Pontificem provocari.

Sed nihil luculentius his, quae idem Angelicus Praeceptor docet 2. 2. Quaest. 1. art. X. ubi probat, ad unius Romani Pontificis auctoritatem pertinere Symboli fidei novam editionem. Ait enim, quod *nova editio Symboli necessaria est ad evitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet* FINALITER DETERMINARE EA, QUAE SUNT FIDEI, UT AB OMNIBUS INCONCUSSA FIDE TENEANTUR. *Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in Decret.* Cap. Majores, *de Baptismo*. Quibus S. Doctoris verbis egregie confirmantur, quae Articulo superiori observavimus de Romani Pontificis in caussis fidei, supremo &, ut ajunt, finali judicio; ei nimirum ab omnibus deberi inconcussae fidei, non autem merae fiduciae, aut *humanae*, ut vocant, *praesumtionis* obsequium. Determinantur enim res fidei a Romano Pontifice finali judicio, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Subjungit S. Thomas: *Unde & Dominus Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit*: „ Ego „ pro te rogavi, ut non deficiat fi- „ des tua; & tu aliquando conver- „ sus, confirma fratres tuos. His ergo verbis probat S. Doctor, ad Romanum Pontificem pertinere, contra insurgentes errores fidei dogmata supremo judicio sancire, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Quare quod alicubi haec eadem verba refert ad fidem universalis Ecclesiae, argumento est, tum has duas expositiones non sibi invicem repugnare; tum etiam frustra omnino esse Adversarios, quum vel ex ipso Sancto Doctore, vel ex aliis Patribus objiciunt, agnoscere eos in Ecclesia universali inerrantem & indeficientem auctoritatem. Perinde atque haec duo invicem pugnent: & universum corpus, vivere, firmaque valetudine ac spiritu vigere; & nihilominus vitam ejus & robur, ac firmitatem ex capite derivari, ex eoque omnino pendere. Itaque nec Romani Pontificis fides, nec fides universalis Ecclesiae deficere potest; sed

(a) Dissert. XI. in Conc. Constantinop. sub Flavino, & Ephes. II. num. VIII. cum seq. (b) Ibid. num. XI.

sed ideo deficere non potest fides universalis Ecclesiae, quia deficere non potest Romani Pontificis fides. Nam ideo pro Petro Christus oravit, ut non deficeret fides ejus, ut ipse ceteros fratres universalem repraesentantes Ecclesiam, super ipsum velut immobilem petram & fundamentum aedificatam, in fide contineret & confirmaret. Quod sequentibus verbis adhuc luculentius idem Angelicus Praeceptor exponit.

Et hujus, inquit, *ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinaretur per eum, qui toti Ecclesiae praeest: ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur*. Non ait, ut ad examen revocetur, ut retractetur, vel ut in eam inquiratur, sed ut firmiter, hoc est, *inconcussa fide*, teneatur. Nam si post decretum Pontificis sollenniter editum potestas & libertas permittitur examinandi, retractandi, & inquirendi; nec illud decretum supremum erit & ultimum seu finale; nec illi debitum erit inconcussae fidei obsequium; nec demum in eo satis erit auctoritatis ac virium ad universam Ecclesiam in fidei unitate figendam.

Denique ex praemissis rationibus Doctor Angelicus colligit, quod *ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quae pertinent ad Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi*. Quo sensu doceat, ad solam Summi Pontificis auctoritatem pertinere novam editionem Symboli, ipse satis declarat tum in argumento, *sed contra &c.* tum in responsione *ad secundum*; ubi S. Doctor agnoscit, Symbolum fidei fuisse in Conciliis generalibus editum, & ad hanc formam redactum. At id minime prohibet, quin sola Romani Pontificis auctoritate editum adfirmetur, quoniam hac sola auctoritate & Synodi generales legitime congregantur, & earum sententia confirmatur; quae proinde vim summam & immobilem firmitatem Symbolo adjicit, qua nisi polleret, nec fidei Symbolum diceretur. Unde colligere est, quae ex mente Sancti Doctoris sit Romani Pontificis in Synodos generales auctoritas, & quae sit vis Apostolicae confirmationis.

Haec adeo clara & manifesta sunt, ut ipsemet Illustrissimus Adversarius praesensisse videatur, haud omnibus Lectoribus persuasum iri, non aliam fuisse S. Thomae quam Gersonis & Symmystarum ejus de Romani Pontificis auctoritate sententiam. Quare, postquam in fine Capitis dixit, quod *si rem summa ipsa perpendamus, nihil S. Thomas a reliquis Parisiensibus differre videatur*; statim addidit: „ Quem tametsi praefracte „ nihil tale memorantem, ad Ro„ mani Pontificis omnino absolutam „ atque independentem ab Ecclesiae „ consensu auctoritatem trahunt; „ patiantur certe, nos in doctrina „ Patrum, qui antecesserint, atque „ in posterioribus, jam quaestione „ mota, Concilii Constantiensis judi„ catis tuto acquiescere. Nos in praesentia nec de aliorum doctrina Patrum, nec de Concilii Constantiensis judicatis disserimus; sed Angelici Doctoris mentem inquirimus,

quem

quem invicte probavimus nostram tenuisse sententiam. Quod longe quam Bossuetius liberius atque candidius alii ex nostris Adversariis agnoscunt ac profitentur. Unius aut alterius in hanc rem testimonia proferamus.

Turnelius quum sibi S. Doctoris objecisset auctoritatem, resp. quod ea quemquam movere non debet: „ Salva enim, *inquit* (a), quae ipsi debetur reverentia, ab ipsius „ in re praesenti sententia licet discedere. Quod ne temere respondere ac dicere videatur, profert ex Tom. IV. Hist. Universit. Parisiens. verba Petri de Alliaco in Oratione quam habuit in Consistorio coram Clemente VII. adversus Johannem de Montesono num. 2. *Protestamur, quod contra honorem & reverentiam S. Thomae de Aquino aut doctrinae ipsius nihil omnino proponemus. Sed, sicut dicit Facultas Theologiae, salva in omnibus reverentia Sancti hujus, nec non doctrinae suae, hanc causam fidei prosequimur. Nam de hoc Sancto Confessore praememorata Facultas asserit illud quod de Beato Martyre Cypriano ab Augustino dictum est*: „ Ego, *inquit*, litteras Cypriani non ut Canonicas habeo, „ sed eas ex Canonicis considero, „ & quod in eis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum „ laude ejus accipio. *Nec tamen ipsa injuriosum aut temerarium arbitratur illud quod sequitur dicere*: „ Quod autem ei non congruit, cum „ pace ejus respuo. *Servat siquidem in hujus Sancti doctrina illam sententiam Apostoli, quae in aliorum Opusculis Doctorum juxta decretum Gelasii servanda est*: Omnia probate: quod bonum est, tenete. *Sic igitur hujus Doctoris sanctitatem veneramur, & ejus doctrinam, quantum fides vel ratio patitur, tenendam censemus*. Qui profecto non sunt sensus hominis judicantis, se unam eamdemque cum Angelico Praeceptore de Romani Pontificis auctoritate sequi ac propugnare sententiam.

Tertium his addam Abbatem Fleurium Serm. IX. qui inscribitur de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae, ubi observat, quod ii, „ qui ont „ poussé le plus loin les opinions „ modernes de la puissance directe „ outre le temporel, & du pouvoir „ absolu du Pape sur toute l'Eglise, ont été la plûpart Reguliers: „ Saint Thomas a incliné vers ces „ opinions, & il est bien difficile „ de l'en justifier.

Quod pertinet ad Sanctum Bonaventuram, paucis ab eo expedit Illustrissimus Adversarius, hoc satis habens animadvertere: „ De Pontificia infallibilitate, quem unum „ quaestionum fontem vidimus, apud „ Bonaventuram nihil inveniri, quo „ eam Romano Pontifici asserat. „ *Tum etiam, quod* tractans promissionem illam, qua Pontificia infallibilitas vel maxime stare videatur; *Rogavi pro te &c.* Bonaventura sic exponit; ut ad fidem Ecclesiae Catholicae referat. Attamen Turnelius loco superius laudato Sanctum Doctorem adcenset iis, quos candide agnoscit, nostrae senten-

(a) Tom. II. de Eccles. pag. 260.

tentiae apertissime suffragari. Et merito quidem: Id enim sponte fluit, ut cetera omittam, ex sequentibus S. Doctoris verbis, quibus respondens Graecis, qui Latinis ob additam Symbolo particulam *Filioque*, Conciliorum generalium id fieri prohibentium legem seu Canonem objiciebant, libere edicit ac denunciat, quod si Ecclesia Latina id fecit, jure ac legitime fecit ob Sedis Apostolicae acceptam a Deo per Apostolorum Principem amplissimam, & nullis circumscriptam limitibus auctoritatem, quaeque adeo nullis Conciliorum generalium legibus arctari & coërceri potest, quam responsionem Anselmo sese debere significat: *Vel potest dici, sicut dicit Anselmus, quod novum edidimus, quodque facere potuimus: quia Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia, nec interdictum proponere, nec arctare potuit, nec ei praejudicare, nec ligare eam ad aliquid.* Quod si Ecclesia Romana Conciliorum generalium legibus non tenetur, nec ipsius decreta Conciliorum generalium auctoritate retractari possunt aut reformari, adeoque ex sese habent immobilem & ineluctabilem firmitatem.

CAPUT XVII.

„ Testimonium ex Cleri Gallicani „ coetu anno 1626. petitum: „ Alia argumenta ex Janseniano „ negotio depromta solvuntur: „ Conventus anni 1653. Bullaeque sollennis acceptatio.

NOstram, seu potius totius fere Ecclesiae Catholicae, de Romani Pontificis innerantia doctrinam, ad usque Concilii Constantiensis & Basileensis tempora fuisse Clero & Ecclesiae Gallicanae cum reliquis totius orbis Catholicis Ecclesiis communem, testis locupletissimus est Andreas Duvallius, Academiae Parisiensis Alumnus ac Theologiae Professor in libro *De suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate*, anno 1614. in lucem emisso, & a duobus aliis ejusdem Theologicae Facultatis Doctoribus approbato. Suum porro hac de re testimonium his verbis effert, quae palam & aperte significant, rem esse constantem & exploratam, & frustra omnino Adversarios esse, quum eam negare vel obscurare nituntur: *Velint, nolint Adversarii, liquido constat, veteres Ecclesiae Gallicanae Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad ejus successores certissime transisse; eosque qui hanc veritatem impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, coepisse.* Quam vere id ab eo traditum sit, late monstrat

strat Antonius Charlas lib. X. *De Libertatibus Ecclesiae Gallicanae* cap. X. cui titulus est: *Sententia Cleri Gallicani de judicio Papae in caussis fidei*. Et cap. XI. *quo probatur Universitatis Parisiensis, ac complurium illius Doctorum separatim, necnon Senatus Parisiensis autoritate, Papae judicium in caussis fidei esse irreformabile*. In eodem etiam argumento Illustrando versatur Jacobi Hyacinthi Serry, ad duplicem de Romano Pontifice falli & fallere nescio Dissertationem, Appendix Historica, *de Mente Ecclesiae Gallicanae & Academiae Parisiensis circa Romani Pontificis infallibilitatem, ejusdemque supra Concilium Oecumenicum eminentiam auctoritatis & potestatis*: ubi seriem & filum traditionis ducit ab anno 455. ad annum usque 1682. quo „ novos, „ *inquit*, (§. XV.) de Romanorum „ Pontificum infallibilitate sensus in„ duit Clerus Gallicanus, & ab avi„ ta suorum doctrina deflexit; dum „ solennem de Ecclesiastica potesta„ te Declarationem in Comitiis ge„ neralibus edidit. Relatoque illius Declarationis artic. IV. quo statutum est, non esse irreformabile Romani Pontificis judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit; haec adjungit: „ En primam antiquae doctrinae de „ Romanorum Pontificum infallibi„ litate desertionem publico Cleri „ nomine sollenniter factam: En „ veram certamque mutatae sollen„ niter hoc in capite sententiae „ epocham. Videri etiam possunt quae supra quum de Romanae Ecclesiae Sedisque Apostolicae inerrantia dissereremus, Gallicanorum Praesulum ac Theologorum, ex Senonensis Archiepiscopi mandato seu Pastorali Admonitione, descripsimus testimonia. Quare hic ea tantum accuratius expendemus, quae ab Anonymo, ut ait, objecta, sibi Illustrissimus Adversarius in his duobus Capitibus solvenda proponit. Quibus aliqua adjungemus quae propius ad Romani Pontificis indeficientem auctoritatem spectare videantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Ex Epistolis Gallicanorum Praesulum in caussa Jansenii conscriptis demonstratur Romanorum Pontificum in definiendis ex Cathedra fidei controversiis inerrantia.

QUum occasione Janseniani Operis, cui titulus, *Augustinus*, gravissimae tota Gallia de fide concertationes ferverent; octoginta quinque Gallicani Praesules pietate & eruditione praestantes Sedem Apostolicam consulendam existimarunt; litterasque ad Innocentium X. anno 1653. hac de caussa conscriptas his verbis auspiciati sunt: *Majores caussas ad Sedem Apostolicam referre solennis Ecclesiae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. Aequissimae huic legi obsequentes, de gravissimo circa religionem negotio Sanctitati tuae scribendum esse censuimus &c.*

Mirum est, quantum haec aliaque quae postea subjungemus ex hisce aliisque litteris verba Adversariorum ingenia torqueant, & quam nollent, ea in litteris legi, quas dudum tot Gal-

Galliarum Episcopi subscripserunt. Quid enim clarius ac manifestius, quam, hoc loco laudatos Praesules ad Christi preces atque promissa respicere, ex quibus colligunt Patres, nunquam fore, ut fides in Petri Sede vel Ecclesia deficiat? Haec sane ex communi traditione esse depromta, vel ipse Bossuetius agnoscit; ac propterea Gallicanae Declarationi ea neutiquam adversari contendit: „ Quae sane (*inquit hunc locum versans*) nihil contra nos, „ qui confitemur, fidem Petri in „ Sede Apostolica, minime defe- „ cturam, atque ejus rei gratia fi- „ dei caussas ad eam referendas. „ Haec ergo ex communi traditio- „ ne desumpta nobis objici, ratio „ non sinit. At qui sincere & ex animo confitetur, fidem Petri ex vi promissionum Christi in Sede Apostolica minime defecturam; vel (ut Christi promissa ex communi traditione S. Bernardus Ecclesiae Gallicanae splendidissimum jubar interpretatur) nullum in ea fidem posse sentire defectum; is profecto nequaquam ejusdem Sedis Apostolicae dogmaticas Constitutiones sollicitus retractabit, ne quis forsan in eas contra fidem error irrepserit, aut ullum per eas Catholicae fidei & Ecclesiae doctrinae damnum inferatur. Quare haec Meldensis Episcopi de fide Petri in Sede Apostolica nunquam defectura simplex & absoluta confessio Turnelio minus probatur; aitque, merito quidem fidem Petri indeficientem a Gallicanis Episcopis praedicari, non ideo tamen quod in Ecclesia Petri, sed quod in Ecclesia Christi nunquam defectura sit: „ Pe- „ tri fides, *inquit*, merito indefi- „ ciens dicitur ab Episcopis nostris: „ Ea enim fides quam professus est „ Petrus, vera est, Catholica est, „ quae nunquam in Ecclesia Christi „ deficiet: an vero nunquam sit de- „ fectura vel in Episcopis Romanis, „ vel in Ecclesia Romana, quate- „ nus singularis est, & a ceteris di- „ stincta, non explicant Gallicani „ Episcopi. Quin etsi daremus, fi- „ dem illam nunquam defecisse in Se- „ de Apostolica, an inde concludi „ merito posset, eam absolute defi- „ cere nunquam posse? Minime. Haec Turnelius, quibus nihil futilius aut inanius audiri vel legi potest.

Primo enim, quae, rogo, ista- haec consecutio est; Fides, quam professus est Petrus, vera, est, Catholica est, nunquam in Ecclesia Christi deficiet; ergo majores caussae, cujusmodi sunt caussae fidei, ad Sedem Apostolicam referendae sunt? Concludendum potius: Ergo ejusmodi caussae ad Ecclesiam Christi, in qua fides Petri nunquam deficiet, referendae sunt. Non autem ad Ecclesiam Christi, vel ad Ecclesiae universalis judicium Jansenianam haeresim Gallicani Episcopi referebant, sed ad Ecclesiam Romanam, ad Romanum Pontificem, ad Apostolicam Sedem; eoque referendam esse suadebat sollennis Ecclesiae mos, & jus Romano Pontifici adsertum ob Petri fidem nunquam, in ea utique Sede, deficientem, ad quam propterea fidei caussae referendae sunt.

Deinde & illud quam festivum ac lepidum est: *Etsi daremus, illam fidem nunquam defecisse; an inde conclu-*

cludi merito posset, eam absolute deficere nunquam posse? Minime. Imo vero maxime, si Gallicanorum Praesulum verba scopumque spectemus. Non enim ajunt, fidem Petri nunquam defecisse, quod utcumque ad solum praeteritum tempus arctari posset; sed Petri fides *nunquam deficiens* ab eis dicitur, quod perinde futurum & praesens, atque praeteritum tempus complectitur. Id quod etiam luculentius ex eorum scopo ac proposito compertum est. Nam inde probant, fidem Petri *jure suo* postulare, ut hic mos referendi caussas fidei ad Sedem Apostolicam, *perpetuo* retineatur. Quum enim hoc Sedis Apostolicae jus in fide Petri nunquam deficiente fundetur; si haec fides in Apostolica Sede aliquando deficeret, aut deficere posset, ab hoc jure Sedes Apostolica excideret, aut saltem aliquando posset excideret; adeoque jure suo minime postularet, ut is mos in Ecclesia *perpetuo* retineretur.

Tertio, fides Petri, ut saepe monuimus, Indeficiens dicitur ob Christi preces atque promissa: Haec vero absoluta sunt, nullisque limitibus continentur, nec magis praeteritum, quam praesens & futurum tempus respiciunt. Itaque illorum verborum sensus obvius & manifestus est: Ideo fidei caussas ad Sedem Apostolicam esse referendas, quoniam fides Petri in ea Sede nunquam deficiens jure suo postulat, ut hic mos in Ecclesia perpetuo retineatur.

Hunc esse legitimum atque obvium horumce verborum sensum, una nobiscum agnoscunt Advocati & Parochi Parisienses, qui anno praeterito Consultationem concinnarunt aut signarunt adversus Apostolicam Sanctissimi D. N. Clementis XII. Constitutionem, qua Vincentium a Paulo Sanctorum fastis adscriptum esse denuntiavit. Quum enim inde potissimum ejus fidem Sanctitas sua commendaret, quod *eo quantum poterat agente ac suadente, octoginta quinque Galliarum Episcopi, quibus postea alii adjuncti sunt, clam irrepentem morbum, & latentem pestem ad culmen Apostolatus, ad Cathedram Petri detulerunt...... datis ad fel. recordation. Innocentium Decimum Praedecessorem nostrum literis &c.* Hunc prae ceteris locum citatae Consultationis Auctores invaserunt, ac sibi displicuisse testati sunt. Non enim Vincentii fidem inde laudatam esse voluissent, quod Gallicanos Praesules ad eas exarandas litteras excitasset, quibus Janseniana caussa, antequam in Galliis judicaretur, ad Sedem Apostolicam judicanda delata est, ipsique Sedi Apostolicae inerrantia seu fides nunquam deficiens praedicatur. „On sçait, *inquiunt*, „que c' est une de nos Maximes „des plus prétieuses, que les que„stions & les affaires nées en Fran„ce, de quelque nature qu' elles „soient, doivent y étre premie„rement examinées, discutées & „jugées avant que d' être portées „au Tribunal du S. Siege. Person„ne n' ignore non plus, qu'un au„tre de nos plus inviolables prin„cipes est, que le Pape dêcidant „même comme on dit *ex Cathedra*, „peut se tromper, que sa decision „est sujette à examen, & qu' elle „n' a la force terminer definitive-

„ ment & irrevocablement les contestations, que par l' acceptation „ & le concert unanime de toute „ l' Eglise : *Nisi Ecclesiae consensus accesserit*. His positis, in Apostolicam Sanctissimi Domini & Patris nostri Bullam insurgunt, quoniam extollit, venditatque veluti sensus & actus praestantioris excelsiorisque virtutis *des idées & des demarches totalement contradictoires avec nos plus saintes Maximes*. Et rursus, quoniam ipsa „ appuye les eloges „ qu' elle fait de la foi vive, du „ zele & du courage de celui qu' „ elle loüe, sur les soins qu' il se „ donna pour engager 85. Evêques „ du Royaume à ecrire une lettre „ par la quelle le droits même les „ plus chers de l'Episcopat sont trahis, & le principe fondemental „ des libertés de l' Eglise Gallicane contredit, ou tout au moins „ étrangement obscurci. Subjungunt, quod, ne quis minus intelligat, cur Apostolica Constitutio tanti haberi velit & laudatam Epistolam, & eum qui ad illam scribendam Gallicanos Episcopos excitavit „ elle affecte de s' etendre en loüange „ de l' attention qu' eurent les Auteurs de la lettre, & son justificateur à deferer en premiere instance la consultation à cette Chaire; *ad quam*, inquit Constitutio, *pericula quaeque & scandala in regno Dei emergentia, ea praesertim, quae fidem laedunt, referenda sunt, ut ibi potissimum damna fidei resarciantur, ubi nequit fides sentire defectum*. Quae nemo ignorat ex Sancto Bernardo syllabatim esse desumta epist. CXC. seu Tractatu ad Innocentium II. adversus errores Abaelardi; qui proinde sanctissimus Doctor, & Ecclesiae Gallicanae lumen, censendus est, si Consultationis Auctoribus credimus, libertatum Ecclesiae Gallicanae fundamentum seu propugnaculum subruisse; quemadmodum & illi dicendi sunt sacratiora Episcopatus jura violasse, qui ejusdem Bernardi aevo ad Eugenium III. Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi caussam & errores ante retulerunt, quam de illis Gallicani Episcopi judicassent.

Non ergo Galliarum Episcopis domestica exempla deerant, quum primum Jansenii caussam & errores ad Sedem Apostolicam retulerunt: & quum fidem Petri in eadem Sede Apostolica nunquam deficere praedicarunt, consonas Bernardi verbis voces ediderunt. Quae si libertatum Ecclesiae Gallicanae fundamentum & propugnaculum Consultationis Auctoribus labefactare videntur; inde est, quod, quemadmodum Turnelius candide fatetur „ difficile est in tanta (*Ve*„ *terum*) testimoniorum mole non „ recognoscere Apostolicae Sedis seu „ Romanae Ecclesiae certam & in„ fallibilem auctoritatem; qui & subjungit, *longe difficilius esse, ea conciliare cum declaratione Cleri Gallicani*. Quae generatim dicta potissimum habere locum agnoscit in eo de quo nunc agimus, S. Bernardi testimonio: „ Dissimulandum, *in*„ *quit* (a), non est, hocce Bernar„ di testimonium inter cetera effica„ cius favere Bellarmino & Anonymo;

(a) Tom. II. de Eccles. pag. 249.

„ mo ; quapropter nonnulli respon-
„ dent, dimittendum hic S. Docto-
„ rem, qui solus duodecimo saecu-
„ lo opinionem infallibilitatis Pon-
„ tificiae amplexus est.

Non est ergo quod Consultationis Auctores Constitutionem vellicent, propterea quod illa S. Bernardi verba ad hunc sensum determinant, quae profecto alium aut vix aut nullo modo recipiunt. „ La Bulle n'a „ plus voulu, qu' il restat d' equivo- „ que sur le sens qu' elle a enten- „ du donner à ses derniéres paroles. „ (*Ubi fides nequit sentire defe-* „ *ctum*.) Ce qui suit immediate- „ ment devoile avec clarté qu' elle „ les raporte à l' infaillibilité du Pa- „ pe jugeant *ex Cathedra* ... Selon „ elle tout est fini, quand le Pape „ a parlé &c. At frustra utuntur Consultationis Auctores. Bulla non alium sensum Bernardi verbis adscribit, quam qui obvius & nativus est: ex eo vero consequens est, fidem Petri in Sede Apostolica errori obnoxiam non esse. Imo neque illud consequens est, sed aliis verbis ejusdem potestatis atque idem plane significantibus traditur. Perinde enim est, seu dicas, fidem Petri in Sede Apostolica errori non esse obnoxiam, seu dicas, non posse fidem in illa Sede ullum sentire defectum. Quare Cl. Mabillonius laudatis S. Bernardi verbis, hanc notam appingit, seu potius hanc exhibet velut illorum verborum summam: *Romanae Sedis praerogativa, non posse errare in fide*. Si autem Apostolicae praerogativa Sedis est, errare in fide non posse; & si ejusmodi praerogativa donata est, ut alios in fide confirmet; plane inde sequitur, fidei caussam esse finitam, statim atque ex illa Sede oracula seu rescripta venerunt. Quid enim velut adhuc incertum & ambiguum ventilandum, examinandum ac retractandum, post illius Sedis decreta, quae confirmandis in fide fratribus divina & indeficiente gaudet auctoritate? Illud profecto est, quod haec alia, quae in eodem loco statim occurrunt, S. Bernardi verba significant: *Tempus est, ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores*. Ergo Romanus Pontifex propter loci Sedisque suae principatum atque praerogativam, qua in fide errare non potest, & vacillantium animorum fluctus sua auctoritate compescit, & hostes fidei non comprimit modo, verum & conterit, hoc est, eorum vires penitus labefactat, & conatus infringit. Quod & grandioribus verbis inculcat sub ejusdem epistolae finem: *Nam quum non esset quod agerem pro injuria fidei quam dolebam; operae mihi pretium arbitror, si illum monui, cujus arma potentia a Deo ad destructionem contrariarum assertionum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigendum omnem intellectum in obsequium Christi*. Quibus & consona sunt quae in epistola jam laudata 85. Galliarum Episcopi his ad Innocentium X. verbis scripserunt: *Experta est nuper Beatitudo tua, quan-*

tum Apostolicae Sedis in gemini Ecclesiae capitis errore profligando valuerit autoritas: continuo sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierant. Quapropter rogant, ut clara firmaque de Jansenii propositionum sensu prolata sententia, caliginem omnem discutiat, animos fluctuantes componat, dissidia prohibeat, Ecclesiae tranquillitatem splendoremque restituat. Quae certe non ex alio proficisci sensu ac spiritu potuerunt, quam quo olim apud Sanctum Bernadum sex Galliarum Episcopi ad Innocentium II. adversus errores Petri Abaëlardi scripserunt (*a*): *Nulli dubium est, quod ea, quae Apostolica firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari*. Sola enim istiusmodi auctoritas est, quae caliginem omnem discutere, animos fluctuantes componere, dissidia prohibere, Ecclesiae tranquillitatem splendoremque restituere possit. Nam si Decreta Sedis Apostolicae vi sua rata non sunt, nec immobilem habent firmitatem, sed aliorum retractationi & examini permittuntur; quis quaeso jurgiorum, dissidiorum, & cavillorum finis? Rem loquimur quotidiano experimento compertam & exploratam, & cujus novum & evidens argumentum est vel haec ipsa Parisiensium Advocatorum consultatio, qua Sedis Apstolicae sollennis Constitutio summa licentia impertitur & lacessitur, atque in invidiam trahitur. Quod nefas esse jamdudum Galliarum Episcopi judicarunt.

ARTICULUS II.

Prosecutio ejusdem argumenti: Epistola triginta Episcoporum Galliae ad Innocentium X.

Episcoporum Galliae de inconcussa & ineluctabili Sedis Apostolicae in definiendis fidei controversiis auctoritate sententia longe adhuc luculentius emicat in aliis litteris, quas ad eumdem Innocentium post susceptam ejus adversus quinque Jansenii propositiones sollennem Constitutionem e Conventu Parisiensi triginta Episcopi conscripserunt. Harum litterarum initium est: *Optata pervenit ad nos tandem Constitutio illa, qua vestrae Sanctitatis auctoritate quid sentiendum sit de controversis quinque propositionibus, quae sunt excerptae e Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi, perspicue decernitur. Excitatae in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latissimum incendium per universas Ecclesiae partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturae obstitisset Beatitudinis vestrae indefessum studium, & ex alto petita potestas, quae sola accerrimam illam animorum collisionem compescere potuit*. In quibus verbis Episcoporum consensionis & judicii nulla mentio est, sed solam sufficere docent gravissimis illis contentionum fluctibus & animorum motibus compescendis petitam ex alto Romani Pontificis potestatem. Lepidum porro est, quod hic Turnelius respondet: Nimirum quod

(a) Epist. inter Bernard. 337. al. 370.

quod ,, Cum Episcopi Gallicani aiunt, ,, sola Innocentii auctoritate comprimi potuisse tam vhementem animorum collisionem , non excludunt ,, Episcoporum consensum & judicium .... Sed ad controversiam ,, sedandam solam cum ceteris per ,, orbem sparsis Ecclesiis Romanae ,, Sedis auctoritatem sufficere. Id , ,, inquam , lepidum ac festivum est. Sola , inquit , Ecclesiae Romanae auctoritas sufficit ,, sed adjuncta sibi ceterarum per orbem Ecclesiarum auctoritate. Si enim ad compescendos animorum de rebus ad religionem & fidem pertinentibus motus indiget Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum auctoritate ; ergo Ecclesiae Romanae auctoritas sola non sufficit : aut si solius Ecclesiae Romanae auctoritas sufficit ; ergo non indiget aliarum Ecclesiarum auctoritate . Pergunt Galliarum Episcopi in eadem ad Innocentium Epistola :

Hujus doctrinae (de gratia Christi & hominis libertate) *lucem recentioris illius Auctoris* (Jansenii) *disputationibus obscuratam , pristino nitori restituit , juxta veterem fidei regulam ex Scripturis & antiqua Patrum traditione in Conciliis olim & nuper* , AUCTORIBUS SUMMIS PONTIFICIBUS CONSTITUTAM , *prolatum a Sanctitate vestra , postulantibus compluribus Galliarum Episcopis , Decretum* . Notanda verba illa : Fidei regula in Conciliis auctoribus Summis Pontificibus constituta , vel , ut habet Gallica versio, *Sous l'autorité des Papes*. Quibus haud obscure significatur , Conciliorum decreta ex Romanorum Pontificum auctoritate sortiri , ut pro fidei regulis habeantur .

Quo in negotio , subjungunt iidem Galliarum Praesules , *illud observatione dignum accidit , ut quemadmodum ad Episcoporum Africae relationem , Innocentius I. Pelagianam haeresim damnavit olim ; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem , haeresim ex adverso Pelagianae oppositam , Innocentius X. auctoritate sua proscripserit* . At quoniam regeri posset , Africanos Episcopos de Pelagiana haeresi judicasse, judiciique sui relationem ad Innocentium misisse , ut Apostolica auctoritate firmaretur ; quum ipsi tamen injudicatam Jansenii caussam ad Pontificem detulissent : ideo statim adjiciunt , veterem Ecclesiam , non Conciliorum Africae , & Patrum Africanorum judicio , sed sola Cathedrae Apostolicae auctoritate premotam Pelagianae haereseos damnationi subscripsisse : *Enimvero vetustae illius aetatis Ecclesia Catholica , sola Cathedrae Petri communione & auctoritate fulta , quae in Decretali Epistola Innocentii ad Africanos data elucebat , quamque dein Zosimi altera ad universos orbis Episcopos epistola subsecuta est , Pelagianae haeresis damnationi absque cunctatione subscripsit* . En quo sensu paullo ante dicebant , acerrimam animorum collisionem , solam compescere potuisse ex alto petitam Romani Pontificis potestatem, nulla prorsus mentione facta judicii seu consensus Episcoporum . Quid enim Episcopalis judicii meminissent , qui vel ipso interveniente , solam tamen valere existimabant Romani Pontificis seu Cathedrae Apostolicae auctoritatem ? At quae sequuntur , plane pro no-

stra

ſtra ſententia decretoria ſunt:

Perſpectum enim habeat (vetuſtae aetatis Eccleſia) *non ſolum ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum & ex anathematiſmis adverſus Apollinarem & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, a Damaſo paullo antea jactis, judicia pro ſancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) divina aeque ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium praeſtare teneantur*. Haec talia ſunt, ut nulla poſſint tergiverſatione eludi, nullis artibus futiliumque diſtinctionum commentis obſcurari. Eſt autem imprimis prae oculis habendus ſcopus, quo iſthaec a laudatis Epiſcopis referuntur. Nimirum Chriſtianos omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium praeſtare debere Apoſtolicis Conſtitutionibus, tamquam divina & ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate praeditis, etiam antequam de rebus in controverſia poſitis ſuum Epiſcopi judicium proferant, aut illis univerſae Eccleſiae conſenſus accedat. Nam judicii Epiſcopalis neceſſitatem de medio tollunt, quum ajunt, Romanorum Pontificum de fide judicia divina ſummaque auctoritate gaudere, quamquam ſuam in actis relationis ſententiam Epiſcopi omittant. Nec porro requiri Eccleſiae conſenſum, ex Damaſi Anathematiſmis adverſus Apollinarem & Macedonium demonſtrant, qui divina illa ſummaque per univerſam Eccleſiam auctoritate valuerunt, quamquam eos nondum ulla Oecumenica Synodus comprobaſſet.

Hinc autem Adverſariorum reſponſiones manifeſtiſſime refelluntur. Reſpondet enim Boſſuetius: „ Eo loco id Epiſcopos voluiſſe, non eſſe ſemper neceſſariam Synodi Oecumenicae ſententiam, ut Chriſtiani ad fidei officium tenerentur: Sed omnino ſufficere, conſulentibus Epiſcopis, Romani Pontificis auctoritatem; ſiquidem decretum ejus reciperetur, ut ipſi fecerant, atque a ſe factum eſſe geſtis indiderant ad rei memoriam. Quibus conſona ſunt & quae Turnelius reſpondet. Ait enim, Gallicanos Epiſcopos non excludere Epiſcoporum conſenſum & judicium: „ Expreſſe etenim, *inquit*, in eadem Epiſtola dicunt, eſſe penes Epiſcopos, prout ipſis libuerit, *ſententiam ſuam in Actis relationis ponere vel omittere*: Sed id unum intendunt, in his temporum circumſtantiis, in quibus ſcribebant, nec neceſſarium fuiſſe, nec commode convocari potuiſſe generale Concilium; ſed ad controverſiam ſedandam ſolam cum ceteris ſparſis per Orbem Eccleſiis Romanae Sedis auctoritatem ſufficere. *Et rurſus infra*: „ Sufficit ad firmitatem definitionis, ut Pontifex accedente Eccleſiarum conſenſu pronuntiet, nec abſolute & omni caſu neceſſarium eſt generale Concilium ad contundendas haereſes. Haec poſt Illuſtriſſimum Boſſuetius Turnelius: quae ſane tam abſo-

absona sunt, & a verbis Epistolae, ejusque scopo ac proposito aliena, ut mirum sit ea Viris doctis in mentem venire aut excidere potuisse.

Nam primo Epistolae Auctoribus ratio reddenda non erat, quare non necessariam existimabant generalis Concilii convocationem, quod in iis temporum circumstantiis congregari nec debuisset nec potuisset: id enim nemo ab illis quaerebat, aut de hac re eis litem intendebat: Sed illud a Refractariis objiciebatur, quod Pontificis adversus Jansenii doctrinam Constitutionem nulla praecesserant Cleri Gallicani Comitia, in quibus de eadem doctrina judicium ab Episcopis latum fuisset Actis relationis ad Romanum Pontificem inferenda. Haec constant tum ex earum litterarum serie, tum ex Relatione anno 1655. jussu, ut ipse Bossuetius observat, Congregationis Cleri Gallicani lingua vulgari facta, atque edita ad rei memoriam sempiternam; & a quadraginta Episcopis totoque ipsis adjuncto Presbyterio, universi Cleri nomine subsignata; & cujus Auctor Petrus de Marca fuisse perhibetur. In hac vero Relatione dicitur, fuisse Episcopis animadversum, judicia Episcoporum in iis caussis, quae adhuc inter Theologos disputantur, ferenda esse primùm in aliqua Synodo Provinciali seu Nationali, vel in Conventu seu Congregatione plurium Episcoporum, unde Relatione ad Romanum Pontificem transmissa, error per universam Ecclesiam Sedis Apostolicae auctoritate proscribatur. Quod ab Africanis Conciliis in damnanda Pelagii haeresi fuerat observatum. Verum illorum temporum perturbationibus, quibus variae Galliarum Provinciae conflictabantur (a), prohibitos Episcopos fuisse, quominus ejusmodi Synodos seu Congregationes celebrarent; adeoque & spem illis ademtam, hac ratione medendi iis malis, quae praeposterus novitatum amor invexerat. Aliam ergo eorum zelum iniisse viam, vetere Ecclesiarum tum Occidentalium, tum Orientalium usu perinde tritam, quaeque necessaria est, quum eae incidunt temporum difficultates, quae Conciliorum Provincialium libertatem adimant. Nimirum Sedem Apostolicam consuluerunt, datis ad Innocentium X. litteris quibus Sanctitatis Suae de quinque Jansenii propositionibus judicium exquirebant, quibus, ut superiori articulo dictum est, octoginta quinque Episcopi subscripserunt. Additur in eadem Relatione, Gallicanos Episcopos, susceptis Innocentii litteris, in quibus Consultationis ad Sedem Apostolicam transmissae mentio fiebat, ad duo Consultationum genera, Ecclesiasticis perinde atque Civilibus legibus in usum receptarum animum advertisse: in quarum altero, expositis controversiis, suum de illis judicium Epi-

(a) Les desordres qui étoient survenus en ce temps là dans diverses Provinces de la France, ôterent le moien aux Prelats de pouvoir tenir commodement les Conciles, ou Assemblées de cette sorte, & l'esperance de remedier aux maux per cette voie. Ceur zele leur en ouvrit une autre &c.

Episcopi adjungebant, ejusque a Pontifice confirmationem expetebant; ut in caussa Pelagii ab Africanis Episcopis factum est. In altero autem, re quae in controversiam adducebatur, exposita, suaque sententia praetermissa, judicium de illa Pontificis requirebant: quarum Consultationum vetusta occurrunt exempla in Decretis Summorum Pontificum, Siricii, Innocentii, Leonis, eorumque per quaelibet saecula Successorum. (a) Quare eorum prudentia commendata est, qui de Jansenii causa Sedem Apostolicam consuluerant, quoniam temporum difficultatibus prohibiti fuerant, quin primum ipsi in aliqua satis frequenti Synodo congregati, de illa judicium pronuntiarent. Agnoscebant tamen, vim Apostolicae auctoritatis indere judicio, quod ad relationem seu consultationem Conciliorum particularium datum fuisset, jus obligandi universam Ecclesiam; quemadmodum S. Augustinus de Innocentii & Zosimi litteris animadvertit.

Ex hac rerum gestarum authentica narratione apertissime liquet, mentem & scopum Episcoporum Galliae in verbis superius descriptis minime fuisse, summam & divinam Innocentii litteris auctoritatem vindicare, quamquam in iis temporum circumstantiis haberi Synodus Oecumenica minime potuisset. Sed eam illis auctoritatem adserere, quamquam ob temporum difficultates prohibiti fuissent Episcopi Nationalem Synodum celebrare, primumque de Jansenii propositionibus judicium proferre a Romano Pontifice confirmandum. Quamquam ergo ejusmodi jus, ut Bossuetius atque Turnelius observant, sibi integrum servari voluerint; agnoscebant tamen, inde minime pendere, quod Romanorum Pontificum Constitutiones summa per universam Ecclesiam atque divina, adeoque & ineluctabili gaudeant auctoritate: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur. Quae verba ad meram praesumtionem arctari nequeunt: illud enim mentis obsequium exigebant, quod summae in Ecclesia divinaeque auctoritati debetur; quod certe aliud non est, nisi quo mens in captivitatem redigitur in obsequium Christi: ex cujus pollicitatione Petro facta summam hanc atque divinam in ejus Successores auctoritatem derivant, seu potius jam inde ab Ecclesiae origine derivatam & propagatam agnoscunt, & sollenniter profitentur. Haec porro Christi pollicitatio, ut ex priore Epistola constat, illa est, qua fidem Petri nunquam defecturam promisit, quae simplex & absoluta est, neque ab aliorum consensu & judicio pendens, quum Petro data sit ut alios in fide

(a) Ce qui fit qu'on loüa la prudence de ceux qui avoient écrit la lettre de consultation, puisque les difficultez du temps les avoient empêchez de donner leur premier jugement, en une assemblée suffisamment remplie d'Evêques.... Ils reconnoissoient neammoins que la force de l'auterité Apostolique donnoit à la decision faite sur la relation des Conciles paticuliers le droit d'obliger toute l'Eglise; come S. Augustin a remarqué touchant les lettres du Pape Innocent, & du Pape Zozime.

de confirmet, non ut ejus fides ab aliis confirmetur: adeoque apta imprimis ea promissio est ad adserendam Romanis Pontificibus eorumque de fide sanctionibus summam atque divinam & ineluctabilem auctoritatem, quamquam eas nulla Episcoporum judicia praecesserint.

At neque exigunt, ut Adversarii contendunt, ad firmitatem Apostolicae definitionis, vel, ut ea divina summaque & indeclinabili polleat auctoritate, ut ad Ecclesiae Romanae judicium aliarum Ecclesiarum consensus accedat: Sed potius ideo docent debere ad Ecclesiae Romanae judicium alias Ecclesias accedere, quoniam ipsum ex se propter Christi firmissimam promissionem divina summaque & ineluctabili nititur firmitate. Quare post verba superius relata statim subjungunt. *Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, Romanae Ecclesiae praesentem, quae in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita observantia colentes, Constitutionem divini Numinis instinctu a Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam .... & promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Dioecesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus. Neque vero poenae deerunt adversus temerarios illos violatores, quae a jure haereticis infliguntur &c.* Non ergo eorum mens atque sentententia fuit, ideo Christianos omnes debuisse Apostolicae Constitutioni tanquam divina summaque auctoritate fulgenti officium & obsequium fidei praestare, quoniam illam ipsi receperant, ut Adversarii comminiscuntur: Sed potius ideo se illam cum debita veneratione suscepisse, clare ac dilucide profitentur, quoniam ea Constitutio ob Christi pollicitationem Petro factam divina summaque auctoritate vigeret, cui proinde fidei officium & obsequium ab omnibus deberetur.

Porro hinc intelligitur, qui sensus sit & horum verborum, in quae ista, de qua nunc agimus, Episcoporum Galliae epistola desinit: *Sanctitas vestra per petrae soliditatem jam contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de nova haeresi triumphos aget. Porro nos Innocentio X. cujus ore Petrus locutus est, ut Leoni I. acclamabat IV. Synodus, hanc divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiae fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus*. Patet, inquam, ex dictis, quo sensu haec ab Episcopis Gallicanis scripta sint. Quum enim ob Christi pollicitationem Petro factam, (quem in suo throno jugiter sedentem, & in suis successoribus adhuc viventem, & judicium exercentem, perinde ac veteres Patres contemplabantur,) summam atque divinam in eo & in ejus successoribus, editisque per eos Constitutionibus auctoritatem agnoscerent; eadem utique veneratione prosequi debebant conditam ab Innocentio Constitutionem, atque editas a Conciliis Oecumenicis de fide definitiones. Quo loco temperare mihi non possum, quin ludicram Turnelii responsionem adferam & refellam: „Postquam, *inquit*, Constitutio In„nocentii non tantum ab Episcopis

„ Gallicanis, sed etiam (ut ipsi „ loquuntur in Epistola encyclica da- „ ta in Comitiis anni 1657.) ab „ Episcopis totius orbis Christiani re- „ cepta est, merito eam tanquam „ Concilii generalis definitionem in- „ ter sacros Ecclesiae fastos refe- „ rendam esse ducunt: par enim „ est & eadem auctoritas Eccle- „ siae, sive coactae in Concilium „ Oecumenicum, sive per orbem „ dispersae. At quum illa Gallicani Episcopi ad Innocentium scribebant, nondum profecto audierant, aut audire potuerant, illus Constitutionem fuisse ab Episcopis totius orbis Christiani susceptam; quemadmodum id acceperant anno 1657. Data est enim Constitutio Romae anno 1653. prid. Kal. Junii: Epistola vero Episcoporum Galliae signata est eodem anno die XV. Julii, quo temporis intervallo Constitutio vix totius Christiani orbis Episcopis reddita fuerat. Quo ergo pacto Gallicani Episcopi jam accepissent, eam fuisse ubique susceptam? Non ergo ob adhaesionem aliorum Episcoporum ad Innocentii judicium, quam ne memorant quidem, ejus Constitutionem eadem atque Conciliorum generalium sanctiones veneratione prosequendam esse decreverunt: Sed quoniam Petrus Innocentii ore, ut ipsis observatum est, locutus fuerat; ex pollicitatione autem Petro facta didicerant, fidem in ejus Sede indeficientem esse adeoque illius Sedis constituta divina & summa per universam Ecclesiam auctoritate fulgere.

Antequam de tabula manum submoveam, id etiam hoc loco observari velim, quod est & alibi animadversum; nimirum ex hisce Episcoporum Galliae ad Innocentium litteris, vel ipsis Adversarii fatentibus, colligi: Non esse semper necessa- „ riam Synodi Oecumenicae senten- „ tiam, ut Christiani ad fidei offi- „ cium teneantur: sed omnino suffi- „ cere consulentibus Episcopis, Ro- „ mani Pontificis auctoritatem. Id vero Gallicani Episcopi perspectum sese habuisse significant, *non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & anathematismis adversus Apollinarium & Macedonium, nondum ab ulla Oecumenica Synodo damnatos, a Damaso paullo antea jactis*. Quo uno vis omnis infringitur argumenti, quod toto XII. libro ex Generalium Conciliorum celebratione adversus summam & indeclinabilem Romani Pontificis auctoritatem Meldensis Episcopus urget. Hinc enim constat, Damasi anathematismos adversus Apollinarium & Macedonium spectatos fuisse, ex ipsorum Episcoporum Galliae sententia, tanquam irretractabiles & irreformabiles fidei regulas, vel antequam Synodus Oecumenica celebraretur. Quare quod paullo post ea Synodus ad eosdem haereticos, eorumque jam a Damaso damnatos errores, iterum damnandos, celebrata est; id argumento esse non potest, quod retractationi obnoxium fuerit Damasi de Apollinarii & Macedonii doctrina judicium. Idemque sentiendum de aliorum Pontificum actis & judiciis, ex quibus Gallicani Episcopi docent, perspectam esse habuisse eamdem veritatem: adeoque ex Conciliorum generalium celebratione nequaquam

col-

colligi potest, retractationi obnoxias esse Romanorum Pontificum de fide Constitutiones.

CAPUT XVIII.

„ Tres aliae secutae Cleri Gallica-
„ ni Congregationes probant ne-
„ cessariam Episcoporum consen-
„ sionem, atque hanc pro Eccle-
„ siastico judicio esse habendam.

QUod saepe in hoc Opere animadvertimus, id etiam hoc loco observare & animadvertere est; nempe Adversarios ex iis quae ambigua & aequivoca sunt, & quae commoda interpretatione cum iis conciliari possunt, quae certa rataque sunt, dijudicare nos velle de iis, quae extra omnem controversiam constituta esse videntur, & reapse sunt. Judicia pro sancienda regula fidei a Romanis Pontificibus lata, divina summaque per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur; perspicua & explorata Gallicanorum Episcoporum sententia est: qui etiam addunt, sese eadem sententia fideque imbutos, editam ab Innocentio X. Adversus Jansenii errores dogmaticam Constitutionem tanquam fidei regulam suscepisse. Haec clara & perspicua sunt, nullisque possunt commentorum nebulis obscurari. At quod Meldensis Episcopus tum in superiori, tum in praesenti Capite observat, eamdem Constitutionem Episcoporum deliberatione vel etiam judicio fuisse susceptam; latumque ab eisdem Episcopis de ejusdem Constitutionis sensu in aliis Comitiis judicium; id seorsim & absolute spectatum omnino aequivocum est, facileque potest cum nostra doctrina conciliari, imo & reapse conciliandum est, nisi Gallicani Episcopi secum ipsi turpiter conflictati sunt: quod de iis sapientissimis Patribus cogitandum non est.

ARTICULUS UNICUS.

Quae antea dicta sunt inde everti seu labefactari non possunt, quod Innocentii X. Constitutionem Gallicani Episcopi habito sollenni coetu ac deliberatione susceperunt, suumque postmodum de illius sensu judicium protulerunt.

ISTud quoque Illustrissimus Adversarius identidem nobis objicit, quod Romanorum Pontificum Decreta alii per orbem Episcopi vel in Conciliis Provincialibus, vel etiam in Oecumenicis Synodis, habita deliberatione, suoque interposito judicio susceperunt. Id autem quanti momenti sit, tum saepius ostendimus, tum quae mox subjicimus adhuc luculentius demonstrabunt.

Post promulgatam in Galliis Innocentii X. adversus Jansenii haereses Constitutionem, pauci quidam, qui ex illius doctrinae damnatione intimis animorum sensibus urebantur, quo a suis capitibus Pontificium fulmen averterent, & in Jansenio ejusque doctrina tuenda, si fieri posset, impune pergerent, praefracto studio, & obfirmato animo blaterare, aut quinque illas propositiones non esse Jansenii, aut damnatas esse in eo sensu, qui nihil ad Jansenium pertineret. Horum cavillationes sine mora comprimendas rati Episcopi Gallicani, judicio suo decre-

cre-

creverunt, tum illarum propositionum auctorem esse Jansenium, tum etiam juxta eum sensum, quem Jansenii verba praeseferunt, eas fuisse proscriptas. Quod eorum judicium quum laudatus Innocentius X. Brevi Apostolico confirmasset, Jansenianam caussam velut omnino confectam & profligatam iidem Galliarum Episcopi habuerunt, idque suis ad Alexandrum VII. litteris testatum esse voluerunt: *Eadem sane mentis alacritate illud* (Apostolicum Breve) *suscepimus, qua Concilii Africani Patres ab ipsis expetitam Zosimi Epistolam amplexi sunt; quae Pelagii atque Caelestii errores, quos clanculum propagabant, peremtorio decreto prostravit*. Ea vero Zosimi Epistola Pelagianae caussae fuisse terminum datum, S. Augustinus docet: idemque de Innocentii litteris sub finem ejusdem Epistolae Gallicani Episcopi profitentur: *Finita est causa Rescriptis Apostolicis; utinam finiatur & error, si licet verbis Augustini vota nostra concipere*.

Innocentii litteras Alexander VII. quamquam ut ipse testatur, & Gallicani Episcopi saepius agnoscunt, nil opus erat, sollenni edita Constitutione firmavit, quae in generalibus Cleri Comitiis, pari ac precedentes Innocentii, veneratione suscepta est; conditaque celeberrima illa fidei formula ab ipsis primum Episcopis subscripta, & deinceps ab omnibus subscribenda, qua debitam subjectionem Apostolicis Innocentii X. & Alexandri VII. decretis & Constitutionibus profitentur. Haec autem Formula Regis jussu ad Sacrum Theologiae Facultatem per Rhedonensem & Ruthenensem Episcopos transmissa est; eamque Sacra Facultas nonnisi habita deliberatione suscepit. Sic enim in Actis habetur: *Lecta igitur publice hac fidei formula, lectis item Regiis ad Facultatem litteris, & audita Rhedonensi Episcopi eloquentissima in ampliorem Regiae mentis declarationem oratione, his denique omnibus expensis, & in maturam deliberationem adductis, omnium, qui tunc aderant, magistrorum concordibus omnino suffragiis declaravit Sacra Facultas, praedictam fidei formulam, & fidei subscriptionem sibi maxime probari*. An ergo Sacrae Facultatis Doctoribus jus adserendum est de Episcoporum judiciis judicandi, eaque sollenniter retractandi? Nam perinde atque Episcopi de Romanorum Pontificum Constitutionibus earumque susceptione deliberant; & Sacra Facultas in deliberationem adducit formulam fidei in Episcoporum Regni Comitiis generalibus editam, eorumque subscriptione munitam. Perinde autem Sacra Facultas deliberasset, si eadem formula fidei ad eam transmissa fuisset, postquam illam Alexander VII. sollenni Constitutione probavit. An ergo dicendum est, eas quoque fidei Catholicae formulas Theologorum retractationi & judicio subjectas esse, quas cum Romano Pontifice Episoporum unanimitas adprobavit? Non puto, id Bossuetium, id alios Episcopos Gallicanos dicturos, qui & Episcopis & solis Episcopis eorumque unanimitati promissum esse docent Spiritum veritatis, qui eos absque periculo errandi in omnem veritatem deducat; & cum eis tantum, ut

ut Apostolorum successoribus usque ad consummationem saeculi fore Christum ad docendam Ecclesiam, & de rebus ad fidem & religionem pertinentibus irretractabiliter judicandum. Videsis ipsius Episcopi Meldensis Duplicem Instructionem Pastoralem *sur les promesses de Jesus-Christ à son Eglise*.

Huic quodammodo adfine, aut ejusdem generis est aliud argumentum, quod eadem Cleri Gallicani acta suppeditant. Innocentii X. saepe memoratam Constitutionem, qua Jansenianae doctrinae capita, quinque comprehensa propositionibus, velut haeretica damnata fuerant, & ejusdem Pontificis Breve Apostolicum, quo declaraverat easdem propositiones reapse & Jansenii esse, & in sensu Jansenii fuisse proscriptas, universa Gallia susceperat, ut constat ex litteris totius Cleri e Comitiis generalibus anni 1656. ad Regem datis: „ Dieu a donné tant de benediction „ à la conduite de V. M. & aux soins „ des Prelats de vôtre Roïaume, „ qu'après plusieus Assemblées où la „ Constitution du Pape a èté embras„ sée avec respect; & où ils ont por„ té leur jugement que sa Saintete a „ confirmé, sur des faits que l'on „ avoit voulu obscurcir pour rendre „ sa decision inutile; la soumission „ a èté si generale, que cette doctri„ ne passant de la source dans les ruis„ seaux, la Faculté de la Theologie „ de Paris a suivi ses jugemens dans „ les censures & dans ses Leçons pu„ bliques, elle n'apprend à vos Sujets „ que ce qui a èté jugè par le Pape, „ ce qui a èté protegè par V. M. & „ ce qui est reçû par le consentement „ des Evêques de votre Roïaume. Rescriptum ergo Apostolicum ab Episcopis regni, in quo potissimum confixus error grassabatur, tanta alacritate & unanimitate susceptum, vel juxta Adversariorum doctrinam, nulla re alia indigebat, ut irretractabilem haberet firmitatem, & pro irreformabili fidei regula haberetur. Subjungunt tamen in eisdem litteris Episcopi aliquid adjici potuisse ad tanti operis consummationem, ut nimirum quae acta fuerant, Comitiorum generalium auctoritate confirmarentur; atque ut olim Conciliorum Provincialium statutis maximam vim Nationales Synodi addebant: ita quindecim Provinciarum Conventus novum pondus adjiceret iis, quae in minus sollennibus Comitiis fuerant constituta. Id vero est, quod in his tandem generalibus Comitiis Episcopi perfecerunt: „ Nos enim, *inquiunt*, iterum con„ firmavimus & adprobavimus eo„ rum (*hoc est*, *præcedentium Co*„ *mitiorum*) consultationes, eorum „ epistolas, eorum Acta, quibus & „ judicium suæ Sanctitatis suscepe„ runt, eosdemque errores damna„ runt. Eoque in negotio eamdem formam atque in prioribus Comitiis servatam fuisse significant. Ea de „ causa, *inquiunt*, Constitutionem „ & Breve Pontificium legi man„ davimus &c. An ergo Adversarii contendent, antequam hæc generalia Comitia celebrarentur, Apostolicis decretis aliquid defuisse ad summam & irretractabilem firmitatem? Id quidem ipsis dicendum est, qui statim atque aliquam Synodum proferre possunt, in qua Sedes Apostoli-

licae Constituta ab Episcopis suscepta sint, inde sibi jure colligere videntur, retractationi obnoxias esse Romanorum Pontificum definitiones. Nam ejusmodi Cleri Gallicani generalibus Comitiis Synodorum Nationalium vim quodammodo inesse, si rei dignitas, de qua disceptabatur, spectetur, & numerus Episcoporum, Relationis auctoribus anima versum est ( ). Itaque nisi secum ipsi confligari velint, dicendum est Adversariis, ante generalia hæc Cleri Gallicani Comitia non fuisse prorsus irretractabiles Innocentii X. in Jansenii caussa sanctiones. At ut id dicere audeant, prohiberi debent sua ipsorum confessione verbisque paullo antea relatis, quibus Regi significabant, eas Innocentii sanctiones, antequam hic generalis omnium Provinciarum conventus haberetur, fuisse unanimi omnium Episcoporum suffragio & consensione susceptas. Aut ergo in damnatam vel ab ipsis opinionem incidere debent, quod moralis Episcoporum unanimitas non addit Apostolicis Constitutionibus invictam auctoritatem; aut fateri debent Synodorum celebrationem argumento non esse, quod nequaquam eaedem Apostolicæ Constitutiones velut irretractabiles habeantur.

Nunc ad alterum accedamus, in quo vim maximam Bossuetius constituere videtur. Quod nimirum Gallicani Episcopi in hoc negotio tum sibi passim jus adseruerunt judicium ferendi in caussis fidei, tum etiam reapse de sensu Constitutionis ab Innocentio editae judicarunt. Id autem ad praesentem controversiam nullius omnino momenti est, dum tamen praevium illud Episcoporum judicium non necessarium habeatur, ut Apostolicae Constitutiones divina summaque per universam Ecclesiam auctoritate nitantur; & Episcopi agnoscant, qualecumque sit eorum de fidei rebus judicium, non esse illud ultimum ac supremum, sed sub altiori Sedis Apostolicae Potestate quasi suspensum esse, donec ab ea finiatur & compleatur; ut supra cum Petro Aurelio monuimus; ac demum Sedem ipsam Apostolicam seu Romanum Pontificem suapte vi & auctoritate ipsi addere summam & indeclinabilem firmitatem. Ex his porro tribus primum superiori capite luculentissime demonstravimus, scilicet Romanorum Pontificum ad Consultationes Episcoporum responsa divina summaque per universam Ecclesiam auctoritate niti, sive suam in Actis relationis sententiam Episcopi ponant, sive omittant. Alterum vero diserto itidem eorumdem Episcoporum Galliae testimonio probatur, quo candide agnoscunt, suo de Innocentii constitutionis sensu judicio Apostolicum ejusdem Pontificis Rescriptum ultimam addidisse perfectionem. „ Nous avons reçu (in-

(a) Quae cette Assemblée pourroit representer un Concile National, aiant égard au nombre des Evêques. & à la matiere qui s' y traitoit, sous l' autorité du saint Siege, avec le consentement du Roi. De sorte que l' on pourroit lui donner le nom de Synode, aussi bien que les Anciens le donnoient dans les actes du Concile de Chalcedoine, à l' Assemblée des Evêques, qui se trouvoient à la suite de la Cour de l' Empereur en la Ville de Constantinople &c.

(inquiunt in Epiſtola encyclica e Pariſienſibus Comitiis anno 1655. ad omnes Regni Epiſcopos data) „ depuis peu de temps un Bref de „ nôtre Saint Pere le Papa Innocent X. d'heureuſe memoire, qui „ ſert de réponſe à la lettre que „ nous lui avions ecrite ſur le ſujet „ des cinq propoſitions tirées du livre de Janſenius , ET QUI DONNE LA DERNIERE PERFECTION à „ tout ce qui s'eſt fait depuis que „ cette mauvaiſe doctrinæ a paru . Supereſt ergo uti demonſtremus, Sedem ipſam Apoſtolicam ſeu Romanum Pontificem addere ſuis Reſcriptis Epiſcoporum judiciis ſummam & ineluctabilem firmitatem . Id vero eſt quod aliquot eorumdem Epiſcoporum Galliæ teſtimoniis demonſtrare aggredimur.

Id conſtat imprimis ex actis Comitiorum an. 653. ubi Epiſcopis obſervatum , jus quidem ſibi competere, ſuis ad Sanctam Sedem Relationibus proprium addendi judicium: qui nihilominus agnoſcebant „ QUE „ LA FORCE DE L'AUTORITE' APOSTOLIQUE donnoit à la deciſion faite „ ſur la relation des Conciles particuliers , le droit d'obliger toute „ l'Egliſe ; comme Saint Auguſtin „ a remarqué touchant les lettres „ du Pape Innocent , & du Pape „ Zoſime „ . Non ajunt , ex Eccleſiae univerſae conſenſione , ſed ex vi Apoſtolicae auctoritatis habere Romanorum Pontificum judicia , ad relationem particularium Synodorum prolata, ut obligent non modo omnes & ſingulas , ſed univerſam Eccleſiam ; idque irretractabiliter , ut conſtat ex adjuncto ſeu potius indicato S. Auguſtini de Innocentii & Zoſimi litteris teſtimonio.

Idem etiam ex eo conſtat, quod Epiſcopi Gallicani id temporis agnoſcebant, Sedem Apoſtolicam eſſe immobilem petram, contra quam portae inferi praevalere non poſſunt, imo & cui Chriſtus promiſerit de portis inferi certam ſecuramque victoriam; ideoque illius de fide ſanctionibus omnino & immote eſſe adhaerendum . Ita in Comitiis an.1654. „ On concluț l'avis en diſant , „ que l'on ne pouvoit prendre un „ moïen plus aſſeuré pour reünir les „ eſprits , & donner à l'Egliſe une „ paix avantageuſe , que de reduire „ les ſentimens de tous á l'unité „ qui eſt fondée ſur la pierre immobile , à la quelle Jeſus Chriſt „ a promis une victoire certaine „ contre les portes de l'enfer „ . Et ideo oportere rebus per Conſtitutionem Apoſtolicam definitis immobiliter inhaerere , & per modum judicii declarare , quinque propoſitiones ex Janſenii opere excerptas , juxta earum proprium & obvium ſenſum, qui utique ipſius Janſenii eſt , fuiſſe proſcriptas: quod tamen ipſorum judicium ad Sedem Apoſtolicam referendum eſſet. Poſtquam vero Alexander VII. tum hoc eorum judicium , tum Innocentii X. Deceſſoris ſui Breve Apoſtolicum ſollenni Conſtitutione firmavit , creditum eſt eam eſſe hujuſce Conſtitutionis auctoritatem ac robur, ut ei omnino cedere deberet quamlibet pertinax Refractariorum audacia. Hic enim Gallicanorum Epiſcoporum ſenſus elucet in epiſtola e Comitiis generalibus an. 1657. ad omnes Eccleſiae Gallica-

nae Praesules data; ubi de pertinacibus Jansenii defensoribus ajunt, quod ii nequaquam refragari poterunt sollenni suae Sanctitatis in hac generali Constitutione judicio: ,, Les quels ,, ne pourront resister à ce qui est ,, reglé & determiné maintenant ,, par voïe de Constitution gene- ,, rale, qui contient le jugement ,, que sa Sainteté a fait sur le pre- ,, tendu erreur de fait, qu'ils alle- ,, guoient contre la Bulle d' Inno- ,, cent X. ubi & rursum inculcant, Petri Cathedram, *la Chaire de Saint Pierre*, Apostolicam esse petram, *la pierre Apostolique*, quae portis inferi superari non potest, *qui ne peut être surmontée par les portes de l'Enfer*. Ex qua certe Christi promissione, si semel ad Petri Cathedram referatur, ut hîc reapse ab Episcopis Gallicanis refertur, necesse est hujusce Cathedrae decreta summam habere & ineluctabilem firmitatem.

Denique ut alia omittam, quae in eamdem sententiam in his actis occurrunt, nihil ad ejus confirmationem illustrius desiderari & adferri potest hisce ejusdem Cleri Gallicani verbis in epistola e Comitiis generalibus anno 1661. ad Alexandrum VII. scripta: *Nullum quippe novimus monte coagulatum, quam Apostolicum, ubi doctrina caelestis sicut lac parvulis, bene autem valentibus tanquam solidus cibus ministratur. In hoc monte nos ipsi pascimur, ut ait Divus Augustinus ad populum suum:* Pascimus vos, pascimur vobiscum: *Et quia in eo Dominus docet, statuimus ibi, secundum verba Tertulliani* (a): ,, finem quaerendi, ,, stationem credendi, expunctionem inveniendi. Quibus Tertulliani verbis perspicuum est doctrinam designari, quae sit penitus irretractabilis: qui enim velut adhuc incertus, & nondum firmam & inconcussma habens fidem, retractat, deliberat, & examinat, nondum invenit, adhuc quaerit, neque in fide firmus & immotus consistit. Si ergo in hoc monte, praeter quem alium Gallicani Episcopi non agnoscunt, in quo Dominus doceat; si, inquam, in hoc monte, qui Sedes est Apostolica, Dominus docet, atque ita docet, ut in eo propterea statuendus sit finis quaerendi, statio credendi, & expunctio inveniendi; non potuit profecto disertioribus verbis significari, suapte vi esse prorsus irretractabiles Sedis Apostolicae de fidei rebus definitiones.

CAPUT XIX

,, Duo exempla ab antiquitate de- ,, prompta, quibus Gallicanarum ,, Congregationum gesta firman- ,, tur: S. Siricii de Joviniano ju- ,, dicium: Capuana Synodus, & ,, ejusdem Siricii responsio ad Ma- ,, cedonas.

Gallicanarum Congregationum gesta rite, ut a nobis praestitum est, ac fideliter exposita & recensita, vetustis exemplis firmari posse, equidem non adnuimus, imo & ultro fatemur, & facile adsentimur. Quod enim Gallicani Episcopi Jansenianam doctrinam dijudicandam ad Sedem Apostolicam retulerunt,

(a) Lib. de Præscript. cap.X.

runt, profecto exemplo non vacat. Nam, praeterquam quod explorata res est, eamdem Sedem Apostolicam ab ipsis Gallicanis Episcopis innumeris Relationibus olim fuisse consulta, Joviniana haeresis ad Siricium delata est, ejus damnanda, seu potius delenda & profliganda judicio. *A fidelissimis Christianis Viris*, inquit ipse Siricius ep. II. *genere optimis, religione praeclaris ad meam humilitatem subito scriptura horrifica videtur esse delata, ut Sacerdotali judicio detecta divinae legi contraria, spiritali sententia deleretur.*

Deinde illud etiam, ut ipsismet Gallicanis Episcopis observatum est, ex priorum Pontificum actis constat, judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata non ideo divina summaque per universam Ecclesiam auctoritate niti, quoniam per universam Ecclesiam cum debita mentis veneratione & obsequio ab Episcopis recipiuntur: sed ideo recipi, eisque ab omnibus ex officio ipsius quoque mentis obsequium deberi, quoniam ob Christi pollicitationes Petro factas divina summaque per universam Ecclesiam auctoritate nituntur. Hujusce rei praeclarum exstat exemplum non modo in Damasi anathematismis adversus Appollinarium & Macedonium ante omnem Synodum oecumenicam jactis, verum etiam in sententia adversus Jovinianum ejusque Symmystas a Siricio prolata, qua ipsos velut haereticos, & novae haeresis incentores in perpetuum abjicit, & irretractabiliter damnat, suoque judicio divinam sententiam adjungit, ut illud tanquam divina auctoritate nixum ab omnibus ex officio recipiatur, hoc est ipsius quoque mentis obsequium ei ab omnibus exhibeatur. Denique missi Mediolanum Sedis Apostolicae Legati, qui sententiam Romae in impios latam promulgarent, urgerent, atque exsequerentur: *Una*, inquit, *suscitata fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius &c. qui incentores novae haeresis & blasphemiae inventi sunt, divina sententia & nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent. Quod custodituram Sanctitatem vestram non ambigens, haec scripta direxi per fratres & Compresbyteros meos, Crescentem, Leopardum & Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint spiritu adimplere ferventes*. Quod & reapse perfecerunt & incunctanter exsecuti sunt, Mediolano pulsis, quos a Siricio damnatos, juxta illius judicium, & Provinciae Mediolanensis Episcopi damnaverunt; ut constat ex literis Ambrosii Mediolanensis Synodi nomine ad Siricium datis: *Fratres & Compresbyteri nostri, Crescens, Leopardos, & Alexander, Sancto ferventes Spiritu, eos omnium exsecratione damnatos, Mediolanensi ex urbe quasi profugos repulerunt. Itaque Jovinianum, Auxentium &c. quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos*. Eccur enim non eos damnarent, quos Siricius divina sententia & auctoritate percusserat? Ita & a Gallicanis Episcopis subscriptum est Janseniani dogmatis damnationi, quoniam illud Innocentius divino instinctu & auctoritate proscripserat; hoc est illa auctorita-

te, cui Christiani omnes, adeoque & Episcopi, ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur.

Denique nec illud abnuimus, vetustis exemplis, ac potissimum Synodi Capuensis decreto, confirmari, quod Episcopi suum de fidei quaestionibus judicium proferant, imo & primam aliquando sententiam ferant; dum hoc tamen suum judicium ad Summum Pontificem referant ab ipso confirmandum, & irretractabiliter sanciendum. Quae certe mens Ambrosii erat in Epistola ad Theophilum Alexandrinum Capuensis Concilii nomine scripta: *Sane referendum arbitramur ad S. fratrem nostrum Romanae Sacerdotem Ecclesiae, quoniam praesumimus ea te judicaturum, quae etiam illi displicere nequeant*. Subditque pacem futuram, idest, periculosissimam contentionem finem tandem ac terminum habituram, *quum id*, inquit, *gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit*. Ita olim Ambrosius & Capuanae Synodi Patres, quemadmodum & superiori saeculo Episcopi Gallicani, finem quaerendi, & expunctionem disputandi, & stationem pacis in Ecclesia Romana & Sede Apostolica constituebant. Atque hac sententia, ut ipsi ajunt, fideque imbuti, ab antiqua traditione, ac Patrum sententia, nequaquam in Janseniano negotio idem Gallicani Praesules deflexerunt.

Neque ii tamen soli, quibus agentibus Janseniana haeresis profligata est, verum & alii ejusdem Gallicae Nationis Episcopi ac Theologi superiori saeculo eamdem non errandi praerogativuam Romano Pontifici vindicarunt. Quod selectis aliquot eorum testimonii demonstramus.

ARTICULUS UNICUS.

Aliis Episcoporum ac Theologorum Galliae testimoniis inerrantiae privilegium Romano Pontifici adscritur ac vindicatur.

Sententiae nostrae confirmandae nullum desiderari potest illustrius monumentum, & locupletius testimonium, quam quod nobis suppeditant, Comitiorum generalium ann. 1626. monita ad Archiepiscopos & Episcopos Galliae, quae articulo 137. haec habent de Romanae Ecclesiae, Sedisque Apostolicae & Romani Pontificis auctoritate: *Episcopos hortamur, ut Sanctam Sedem Apostolicam colant, nec non Ecclesiam Romanam, infallibili promissione Dei, & Sanguine Apostolorum & Martyrum fundatam; Matrem Ecclesiarum, per quam ceu per sacrum caput, ut loquitur S. Athanasius, reliquae Ecclesiae, quae non nisi ipsius membra sunt, eriguntur, stant, & conservantur*. Adlatis tantum prioribus hujusce textus verbis, quaerit Illustrissimus Adservarius (a): „Quorsum nobis haec objiciunt, quae tuemur? Certe enim Sedem Apostolicam, partem Ecclesiae principalem, atque omnium caput, ea promissione, qua totum ipsum nititur, fulciri diximus. At huic directe contraria fuisse videtur Auctorum hujusce Moniti cogitatio. Nam ubi Bossuetius capitis firmitatem

(a) Supra cap. XVII.

tatem ex corporis firmitate derivat, contra Gallicani Episcopi membrorum omnium, hoc est, omnium Ecclesiarum, quae cum Romana comparatae nihil aliud quam membra sunt; ac proinde totius corporis firmitatem, quod ex his membris coalescit, ex capitis volunt firmitate pendere. Sed quae sequuntur, decretoria sunt.

Venerabuntur etiam Sanctum Patrem nostrum Papam, adspectabile caput Ecclesiae universalis, Christi in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum & Patriarcharum, denique Beati Petri successorem, a quo Apostolatus & Episcopatus sumserunt exordium; ac super quem Christus Jesus suam fundavit Ecclesiam, ei claves caeli tradens cum infallibilitate fidei, quam videmus divinae potentiae miraculo in Petri successoribus ad hodiernum usque diem immobilem permanere. Haec quoque (quod certe permirum est, miratur Bossuetius ab inerrantia Pontificiae adsertoribus venditari: „ Quis „ enim: *inquit*, nostrum negat, „ Petro promissam eam, quae nun„ quam deficiat fidem? Summa „ quidem ipsa, ita ut ipsa series „ atque successio nunquam a fide „ abrumpatur: quemadmodum a „ Patribus intellectum esse vidimus. At quemadmodum haec ipsa interpretatio in veterum Patrum verba minime quadrat, ita neque cum iis Gallicanorum Praesulum verbis cohaeret. Nam quemadmodum cui promissa fuisset impeccantia, seu nunquam peccandi privilegium, illi non modo diuturna, & ad finem usque perseverans morum sanctitas promissa fuisse diceretur; verum & & is neque ad momentum in lethalem aliquam culpam lapsurus aliquando judicaretur: ita cui promissa est infallibilitas fidei, seu in definienda & sancienda fide nunquam errandi privilegium, is neque ad momentum, quum fidem ex officio & sollenniter adserit, in aliquod erratum, quo fides ipsa violetur, labi posse censendus est. Quid enim aliud est, infallibilitate fidei esse divinitus donatum, quam in definienda fide infallibilem esse? Qui autem in definienda fide infallibilis est, is utique & falli & fallere nequit; adeoque ipsius de fide sanctionibus ac decretis tanquam immotis & inconcussis fidei Catholicae regulis omnino adhaerendum est.

Consonam omnino huic generalium Comitiorum articulo, fidei suae professionem tribus post annis, hoc est anno 1629. edere coactus est Edmundus Richerius, quo sese in hac parte plene ac perfecte Catholicum demonstraret: *Profiteor, omnem meam doctrinam Ecclesiae Catholicae Romanae, & Sanctae Sedis Apostolicae judicio me subjicere, quam matrem & magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnosco*. Haec Richerius, audiente, nec contradicente Parisiensi Theologica Facultate. Respondet Turnelius, quod „ illam de„ clarationem Richerius nonnisi in„ vitus, ac premente Cardinali „ Richelio emisit, sicut ipsemet „ lugens scripsit ad Morisotum. „ Quamquam, ut observatur in ul„ tima Editione Operum Richerii „ post dictam declarationem, quod „ di-

„ dixit de infallibilitate Ecclesiae „ Catholicae, Romanae, & Sanctae „ Sedis Apostolicae, conjunctim, non „ autem separatim de sola Sede Apo- „ stolica intelligi debet; hoc est de „ Sede Apostolica unita & adhaeren- „ te toti Ecclesiae Catholicae. At mirum est, praeclarum illud commentum, quod in mentem Richerio non venit, ultimae Operum ejus Editionis Curatoribus tandem ad animum succurrisse. Vel enim Declarationis verba significant quod illi volunt, vel nostram continent & repraesentant sententiam, vel ex sese ambigua & aequivoca sunt. Si primum; cur sibi ad eam Declarationem sollenniter profitendam vim illatam esse, Richerius conquestus est? Non enim unquam negavit Ecclesiae Catholicae Romanae, & Sedi Apostolicae hanc non errandi praerogativam, si conjunctim & unâ considerentur. Si alterum dixerint; id omnino est quod volumus: Non enim licet, verba professionis fidei aut sollennis ejus declarationis in exoticos & coactos sensus detorquere. Si postremum adfirment, mirum id quidem, non passum esse Cardinalem Richelium aliquid addi, quo omnis aequivocatio & ambiguitas de medio tolleretus; mirum, id ab eo non impetrasse Theologicam Facultatem; mirum denique, ipsum Richerium, qui sibi vim illatam esse lugens conquestus est, non id ad sese purgandum obtendisse, quod verba illa conjunctim accipienda esse crediderit, idque etiam Theologicae Facultati constiterit.

Pariter circa ea tempora, quibus edita sunt superius laudata Comitiorum generalium ad Archiepiscopos & Episcopos monita, hoc est anno 1625. edita est Parisiis Francisci Archiepiscopi Rotomagensis Apologia Evangelii pro Catholicis ad Jacobum Majoris Brittanniae Regem, in qua plura occurrunt, quae nostrae doctrinae haud obscure suffragantur. Ita libri 2. cap. 1. *Grandi*, inquit, *privilegio Romanus Pontifex custos fidei*, φύλαξ τῆς πίστεως, *a Patribus habitus, ut Ephesina acta Caelestino Papae*, Κελεστίνῳ τῷ φύλακι πίστεως, Caelestino Custodi fidei, *acclamatum testantur*. Et intra cap. XII. aliis in medium adlatis Conciliorum ac veteris aevi monumentis, quibus, nisi vis eis inferatur, sententia nostra, ut suis locis ostendimus, apertissime continetur: *Cui non patet*, inquit, *fidei ostium Romanis clavibus aperiendum, a Romanoque Pontifice patefaciendum esse?*

Paullo ante florebat doctissimus alter ejusdem Ecclesiae Gallicanae Praesul Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus, qui ad haec verba Tertulliani, *Episcopus Episcoporum*, libro de Pudicitia, hanc adpingit observationem: *Quacumque igitur ratione aut mente de Romano Pontifice haec dixerit Tertullianus, serio vel per ludibrium; illis tamen temporibus penes eum potestatem fuisse de rebus fidei peremtoria judicia ferre, & totius orbis Episcopos monere atque docere, quis non agnoscit? Eoque magis quod unus Tertullianus jam haeresi implicitus de hac re, ceteris Ecclesiae Episcopis non reluctantibus, conqueratur. Nam de his rebus eum oppugnando, conjecturam facit, ea tempestate id juris Romanis Episcopis concessum fuisse, eosque revera hanc potestatem exercuisse.*

De-

Denique illud hîc omnino commemorandum quod de Illustrissimo Petro de Marca refert Stephanus Baluzius in ejus Vita, quae Operi de Concordia Sacerdotii & Imperii praefixa est. *Composuit*, inquit num. LI., *illa tempestate* (qua forte, ob atrocem morbum, quo conflictatus fuerat, & a quo nunquam prorsus convaluit, se se jam morti proximum praesentiebat) *Gallica lingua Dissertationem de infallibilitate Papae, quam ego ab ore dictantis excepi. Ea fuit postrema lucubrationum ejus*. In hac porro dissertatione quam mihi videre non contigit, & quam publicae luci Baluzius invidit „ errori non esse obnoxium Papae in fidei quaestionibns judicium ita „ (*inquit Antonius Charlas* (a), „ defendit, ut opinionem contrariam „ antiquorum Doctorum Universitatis Parisiensis (Gersonium, & alios intelligebant, de quibus postea) „ ab Ecclesia tollerari tantum asseruerit: ceterum tunc ipsiusmet Universitatis, & aliarum omnium, „ Doctores pro infallibili Papae judicio stare. Plures alios ejusdem Ecclesiae Gallicanae Praesules pro eadem sententia laudat, indicatque loca, quibus eam tuentur, Jacobus Hyacinthus Serri in Appendice Historica adjuncta Dissertationi de Romano Pontifice, §. XIII.

Quod vero pertinet ad ejusdem Gallicae Nationis & Universitatis Parisiensis Theologos, videri possunt aliquot eorum testimonia tum apud laudatum Antonium Charlas libro X. de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae cap. XI in quo probat *Universitatis Parisiensis, ac complurium illius Doctorum separatim, nec non Senatus Parisiensis autoritate, Papae judicium in causi fidei esse irreformabile*; tum apud Hyacinthum Serry in Appendice Historica *de Mente Ecclesiae Gallicanae & Academiae Parisiensis*. Quibus haec addere libet ex IX. Discursu Historico Abbatis Fleurii de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae: „ En France on ne trouvera „ gueres de Reguliers qui ne soient „ persuadez de l'infaillibilité, & non „ seulement les Religieux, mais „ les Communautez de Prêtres, quoique sans privileges, & soumis aux „ Evêques, inclinent de ce coté „ comme plus conforme à la pieté.... La doctrine ancienne est „ demeurée à des docteurs souvent „ moins pieux & moins éxemplaires „ en leurs mœurs que ceux qui enseignent la nouvelle; quelque fois „ même ceux qui ont resisté aux nouveautez ont été des Jurisconsultes „ ou des Politiques profanes & libertins qui ont outré les virités qu' ils „ soûtenoient & les ont renduës odieuses. Quibus si addas quae idem Auctor praemiserat: „ Que ces opinions „ ont pris le dessus en Italie, en Espagne & en Allemagne, où les Re„ guliers dominent; sequitur, totiùs fere orbis Catholici Theologos, qui religiosam aut Ecclesiasticam vitam profitentur; hoc est, qui fere soli rebus Theologicis sedulam dant operam, & cum studio Sacrarum litterarum pietatem quoque ut plurimum conjungunt, nostram tueri doctrinam: quum tamen contrariam sententiam (*souvent*) saepe defendant Doctores, quos non adeo pie-

(a) Lib. X. de Libert. Eccles. Gallic. cap. X.

pietas morumque probitas commendat, imo & aliquando Jurisconsulti, profani Politici & Libertini. Quod profecto sententiae nostrae plurimum suffragatur: *In omni siquidem negotio*, ut ait S. Bernardus (a), *validissimum argumentum est ad faciendam rei dubiae fidem, id semper esse melius, quod placeat bonis, malis autem displiceat*.

CAPUT XX.

,, Decretum illud; *Prima Sedes non* ,, *judicatur a quoquam*; an cum ,, Declaratione Gallicana consen- ,, tiat; duplex ejus sensus; al- ,, ter de persona Papae; alter de ,, sententia ab eo dicta: de par- ,, ticularibus Synodis intelligen- ,, dum: Sinvessana Synodus: Ro- ,, mana Concilia sub Symmacho ,, Papa.

Nunc exponendum superest, inquit Illustrissimus Adversarius, quomodo cum Declaratione Gallicana, consentiat illud a prima antiquitate depromptum; *Prima Sedes non judicatur a quoquam*; vel quidquid dictum est in eam sententiam. Observat, id duplici modo intelligi posse: Alter, ut persona Pontificis eam Sedem tenentis a nemine judicetur: Alter, ut lata ab eo sententia a nemine retractetur. Juxta priorem sensum de illo Pronunciato disserit in hoc & sequenti capite; juxta vero alterum capite XXII. ac summa illius disputationis est, ea lege vetari quidem, ne Romani Pontificis persona, vel prolatae ab eo sententiae a personis & Synodis particularibus, non autem a Conciliis generalibus, retractentur. Quae interpretatio an veterum testimoniis, quibus generale illud effatum identidem usurpatum legimus, consona sit; jam nobis est accuratius inquirendum.

ARTICULUS UNICUS.

Lex illa totius antiquitatis munita suffragio: Prima Sedes non judicatur a quoquam: *a persona Pontificis judicanda non modo particulares, verum & generales Synodos removet*.

Romani Pontificis personam nulli, praeterquam divino, subjacere judicio, diserte docet Ennodius in celebri Apologetico, quo a schismaticorum cavillis Romanam Synodum vindicavit, quae hoc Sedis Apostolicae privilegium, ut ejus Rector a nemine judicetur, prae oculis habens, Symmachi caussam divino reservarat arbitrio. Ex hoc ergo aliqua delibabo, quae magis ad rem nostram pertinere videantur. *Aliorum forte hominum caussas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri Apostoli Successores caelo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam*. Frustra haec Meldensis Episcopus ,, ad ,, facta particularia, eaque obscura, ,, & ad particularis Synodi aucto- ,, ritatem spectare contendit. Ita enim Ennodius humano judicio Romanum Pontificem eximit, ut uni Dei judicio & arbitrio reservet: At in

(a) Epist. CCCXLVIII. al. CCCLXXXVIII.

in Synodis oecumenicis perinde atque in particularibus, homines sunt, qui de hominibus judicant; & insolens est, ut caelo tantum dicatur debere innocentiam, qui Synodi generalis judicio obnoxius est, qui in jus a Synodo oecumenica trahi possit, qui illius censurae & animadversioni subjaceat. Mirandum certe, Gallos Theologos & Illustrissimum Adversarium ejusmodi testimoniorum amplitudinem certis velle terminis & limitationibus coërceri, qui prorsus similibus veterum Patrum de Regibus & Imperatoribus textibus nullas patiuntur limitationes adjungi. Scribit Tertullianus ad Scapulam, *Deum esse solum, in cujus solius potestate* (Imperatores) *sunt, a quo sunt secundi, post quem primi.* Hinc colligit Bossuetius (a): „ Non „ igitur ab aliquo per Deum con„ stituto Pontifice deponendos. Scribunt his adfinia Ambrosius, Cassiodorus & alii, indeque statim Adversarii concludunt, Imperatores ac Reges temporali Ecclesiae vel Romani Pontificis ultioni minime subjacere, nullamque esse inter homines potestatem, cui Regia potestas obnoxia sit. Atqui non minus luculenta sunt verba, quibus Ennodius Romanos Pontifices ab hominum eximit judicio, & solius Dei reservat arbitrio: Quo ergo jure haec de Romanis Pontificibus universae ac generatim pronuntiata, tantum ad particulares Synodos referri volunt; Imperatores autem Regesque ne ipsis quidem oecumenicis Synodis subjectos esse constituunt?

Pergit Ennodius: *Nolite aestimare, eas animas de inquisitionibus non habere formidinem, quas Deus prae ceteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice.* Quae verba Cl. Thomassinus expendens, recte observat (b): quod Ennodius non inultum fore pollicetur, si quid peccet Romanus Antistes, non quidem quod judex futura sit Synodus oecumenica; sed potius quod Deo teste, eodemque judice peccet. Nec rursus auferri ait, sed differri de peccante Pontifice judicium, non ad oecumenicam usque Synodum, sed ad divinum usque examen.

Ad hoc autem Romani Pontificis privilegium adstruendum subjungit Ennodius tum Christi testimonium, tum veterum Pontificum auctoritatem: *Respondebo, uni dictum*: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Et*, Quaecumque solveris super terram, erunt soluta & in caelo. *Et rursum sanctorum voce Pontificum, dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.* Quae ratio aeque valet in Synodos oecumenicas atque in Synodos particulares. Aeque enim oecumenica Synodus membrorum collectio est, etsi longe plurium: quorum non est, de suo vertice judicare. Nec modo Romanus Pontifex singulorum membrorum, verum & *totius corporis caput* esse dicitur; adeoque quemadmodum a singulis membris, ita & a

(a) Lib. V. cap. XXXI. & XXXII.
(b) Differt. XV. in Conc. Rom. sub Sym. num. VII.

toto corpore judicari non potest. Vis enim omnis, quemadmodum a singulorum membrorum, ita & totius corporis a capite est, aut a capite pendet: quare adversus auctoritatis suae radicem & fontem non modo singula membra, verum & universum corpus nihil possunt, ut praeclare eidem Ennodio observatum est: *Dico, latorem juris definitionis suae, nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus vocatur*. Quae item verba laudatus Thomassinus illustrans: „ Quum nulla, *inquit*, rata „ sit & germana Synodus, nisi a „ Romano Praesule convocetur, con- „ firmeturque: qua demum in Syno- „ do legitime in ipsum inquiretur? An „ mendicata enim ab ipso auctoritas „ in ipsummet retorquebitur? An per „ Synodum a se collectam & autho- „ ratam judex ipse erit idem, qui „ reus? Quae leges Ecclesiasticae, „ qui canones depromentur in disce- „ ptanda Romani Praesulis caussa, „ quum cassi & inutiles sint, nisi ab ip- „ so sanciantur, vel confirmentur? At „ frustra Princeps ad illud, quod de- „ dit, jus vocatur: nec lator legis le- „ ge constringitur, nisi volens lubens- „ que. *Et infra*: Aeque oecume- „ nica Synodus a Pontifice convocan- „ da & confirmanda est. Quare nec „ in ipsum, nisi ab ipso impertitam „ distringet authoritatem .... Ae- „ que in oecumenica Synodo frustra „ Princeps in jus vocabitur, quod ipse „ dederit; nec legi suae nisi lubens „ subjicietur.

Quae hactenus ex Ennodio in medium adtulimus, ea nequaquam spectari debent ut singularis hujusce Auctoris, aut Episcoporum Italiae sententia, qui illius Apologeticum in V. Romana Synodo lectum, una cum Symmacho, adprobarunt, & vim Synodalis decreti seu Canonis habere voluerunt. Haec enim universa Ecclesia, haec potissimum Gallicana profitebatur, ut constat ex epistola Aviti Viennensis ad Senatores Urbis, communi, ut ipse testatur, Episcoporum Galliae nomine scripta: *Quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo Ordini vestro pagina haec aliquod moveat quasi ab uno directa fastidium; quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minus per mandata quam per litteras oneratus, quaecumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi*. In hac porro epistola, quae veteris Ecclesiae Gallicanae in Sedem Apostolicam venerationis & reverentiae praeclarum monumentum est, Avitus ejusque Collegae non modo probant, Romanam Synodum & Episcopos Italiae Symmachi caussam divino tandem judicio reservasse; verum & eos modeste sugillant, quod illam quocumque modo susceperint examinandam: *Dum de causa Romanae Ecclesiae anxii nimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes: quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum Principis obruisset: perl[...]ta est sollicitudini nostrae ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti Italiae Antistites ediderunt. Quam constitutionem, licet observabilem numerosi reverendique Concilii reddat assensus; intelligimus tamen, Sanctum*

ctum Symmachum Papam, si saeculo primum fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potius adsciscere, quam recipere debuisse judicium. Quoniam, ut infra subjungitur, *non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.* Hanc Synodi Romanae, Ennodii, Diaconi, & Aviti Viennensis sententiam; scilicet ex eo capite inscriptum adversus Romanum Episcopum crimen non subjacere Synodorum judicio, quod major a minore judicari non debeat; hanc, inquam, sententiam veterum disciplinae consonam esse, Illustrissimus Petrus de Marca (a), Cyrilli Alexandrini, Synodi Ephesinae, & Concilii Chalcedonensis exemplis & auctoritate demonstrat. Addit autem Clarissimus Thomassinus, quod *nihilosecius in generali ac in particulari Synodo, ab inferioribus eminentior judicabitur.* Quod sane, ex Aviti Viennensis aliorumque & Galliae & Italiae Episcoporum mente, extra controversiam esse videtur. Nam Romanum Pontificem universae Ecclesiae, & Episcoporum multitudini, sive ipsi potius Episcopatui, ut caput corpori, ut Regem ac principem Regno & subjectis Magistratibus praeponebant. Id constat tum ex adlatis verbis, quibus Avitus & Gallicani Episcopi profitentur in *Vertice* suo *statum* omnium Episcoporum lacessi & nutare, & criminatione *Principis* multitudinem omnium Episcoporum implicari; tum etiam & luculentius ex sequentibus: *Quibus cognitis quasi Senator ipso Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor ..... ne minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo, quae Romae geritur, caussa cogitanda est. In Sacerdotibus ceteris potest, si quid forte vacaverit, reformari. At si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare.* Et infra: *Reddet rationem qui ovili Dominico praeest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: ceterum non est gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis.* Quae omnia parem vim habent & adversus oecumenicae Synodi judicium. Nam & oecumenica Synodus grex & ovile est, cui tamquam Pastor Romanus Pontifex praeest; non est autem gregis de suo Pastore judicare: Et, si Romano Pontifici *non Episcopus*, idest, non modo singulares Episcopi subjecti sunt; sed ipse *Episcopatus* in eo continetur, & ab eo velut a capite pendet; ut proinde Romano Praesule periclitante ipse videatur Episcopatus periclitari; necesse omnino est, ut non modo singulares Episcopi & particulares Synodi, verum & oecumenica Concilia, in quibus ipse Christianus Episcopatus repraesentatur, a Romano Pontifice judicando prorsus abstineant. Praecipue quum Sedes Petri eum in Ecclesia locum obtineat, quem mundi apex, hoc est Imperiale fastigium in Republica: quod quum Patres unius Dei judicio subjiciunt, id ita Galli Theologi

Rr 2

(a) De Conc. Sac. & Imp. lib. I. cap. XI. num. III.

logi interpretantur, ut nulla praeter divinam sit in orbe potestas, quae de Imperarore judicet, aut in illum temporali ultione animadvertat.

Denique illud pene peremtorium esse videtur quod Synodus Romana quum a judicio ferendo in caussa Symmachi abstinuit, non suam, ut ait saepe laudatus Thomassinus, excusavit infrequentiam, non Episcoporum paucitatem, non universalis Synodi congregatione opus esse dixit, sed absolute rem Deo reservavit. Et qui de Synodi Romanae decreto quaerebantur, non illis in mentem veniebat, saltem universalis Synodi coalitionem implorare: sed impune Romanos Pontifices peccaturos caussabantur, si nullo humano coercerentur judicio: quod argumento est persuasum illis, imo & exploratum fuisse, Jurium Apostolicae Sedis propugnatores, etiam Synodi universalis judicio exemtos voluisse Romanos Pontifices, & uni reapse judicio Dei subjectos. Nec profecto vel Ennodius vel Avitus aliud quam Dei judicium commemorabant, cui summi totius ovilis Pastores suae reddere deberent administrationis rationem. Quare nulla omnino ratio est, nulla vel levissima conjectura, cur laudata descriptaque in praesenti articulo testimonia, quae Romanos Pontifices tam generaliter, tam diserte & absolute humano judicio eximunt, & uni Dei judicio subjiciunt, ad particulares Synodos coarctemus.

CAPUT XXI.

„ Persona Pontificis quatenus ab oecumenicis Synodis judicari non „ possit. Photii gesta Nicolaum „ excommunicantis Papam. Concilii VIII. Canon. XXI.

Consulto omittimus quae ex variis Romanis Synodis in caussa Damasi, vel Syxti III. vel Leonis III. celebratis, in ejusdem sententiae confirmationem adferri possent, quoniam eorum omnium una eademque cum iis, quae superiori articulo recensuimus, vis ac potestas est; nimirum Sedem Apostolicam seu Romanum Pontificem, quum ipse omnes judicet, a nemine judicari. Illud speciali consideratione dignum est, quod ex VIII. Synodo proferri solet: quoniam quod in praecedentibus Conciliis generatim pronuntiatum fuerat, seu potius pro lege habitum, ut Romanus Pontifex a nemine judicetur; haec Synodus speciatim de ipsis Conciliis generalibus sanxit: adeoque declaravit, vetustiores illos Canones ad ipsas quoque Synodos oecumenicas esse referendos, ut nempe neque ab eis jure ac legitime judicium in Romanum Pontificem, praeterquam in caussa haeresis, instruatur. Haec porro tam clara & manifesta tum laudatae Synodi, tum ab e. suscepti Romani Concilii & Hadriani II. sententia est; ut omnes deinceps Catholici Auctores, & ipsi etiam Galli ad usque Synodum Constantiensem, in eam aperte concesserint. Tam levis autem est Illustrissimi Adversarii in hoc capite disputatio; ut mirum sit gravissimum Virum iis, quae adnotat, contentum esse potuisse. Prudentius ab hoc loco prorsus abstinuisset, quum ex eo emergere non posset.

ARTI-

ARTICULUS UNICUS.

Ex Hadriano II. & Romana sub illo Synodo, nec non ex VII. Synodo Oecumenica demonstratur, Romanum Pontificem nisi in caussa haeresis, etiam a Conciliis generalibus judicari non posse. Eamdem pervulgatam olim inter Gallos fuisse sententiam: quae rursus ex Romana Synodo & Symmacho Papa confirmatur. Jus istud & privilegium Romanae Sedis ex divino jure descendit.

SAcrilegam Photii temeritatem, qua impium Dioscorum imitatus, in S. Nicolaum I. brutum & stupeum fulmen jaculari ausus fuerat, Hadrianus II. ejusdem Nicolai Successor in Romana Synodo his inter alia verbis castigavit, quae pro nostra sententia plane decretoria sunt: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Praesulibus judicasse legimus; de eo vero quemquam judicasse non legimus.* Haec libenter Adversarii nostri ad particulares personas & Synodos coercerent: sed hanc limitationem sequentia verba repellunt: *Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus,* PROPTER QUAM SOLAM *licitum est* MINORIBUS MAJORUM SUORUM *motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi.* Merito ergo Cl. Thomassino observatum est, quod „ Nihilosecius in generali ac in particulari „ Synodo ab inferioribus eminentior „ judicaretur, si fas esset Conciliis ge„ neralibus de Romani Pontificibus „ judicare. Hanc enim Hadrianus rationem adfert, cur Honorio in Oecumenica Synodo dictum anathema sit, quoniam propter unam haeresis caussam licitum est inferioribus Majorum suorum motibus resistere, pravosque eorum sensus respuere. Et quoniam divina, & naturaliter nostris mentibus anticipata lege inditum est, ut regantur & judicentur a majoribus minores, non vicissim; ideo subjungit Hadrianus, etiam Synodo Oecumenicae opus fuisse Romani Pontificis auctoritate, ut ab ea in Honorium legitime sententia diceretur, neque in eam legem peccaretur, qua cautum est, ne Majores ab inferioribus judicentur: *Quamvis & ibi* (hoc est in sexta Synodo generali) *nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primae Sedis Pontificis consensus praecessisset auctoritas.*

In horumce omnium confirmationem profert Hadrianus quae olim Romae in caussa Symmachi gesta fuerant, atque haec potissimum Romanae Synodi ad Theodoricum Regem verba describit: *Ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare: quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum & principatus; deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec ante dictae Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, facile forma aliqua testaretur.* His verbis capite superiore relatis hanc notam Illustrissimus Adversarius appingit: „ En ut clare se redigant ad „ *propositionem similem*. Atque id

„ per

„ per se intelligendum esset, etiamsi „ ipsi tacuissent. Quae fuerint ab Adversariis & schismaticis objecta Symmacho scelera, ignoramus: at, *horrenda* fuisse, Rex ipse Theodoricus testatus est. Quod ergo Patres Romanae Sedis praerogativam ad *propositionem similem* redegerunt, id argumento est, non fuisse Symmachum haereseos in simulatum; quae, Hadriano II. & Romana sub eo Synodo interprete, caussa sola & unica est, in qua illud vacat Sedis Apostolicae privilegium. Quod etiam ex sequentibus ejusdem Symmachi verbis aperte colligitur, quae pariter Meldensis Episcopus adfert: „ Quin etiam Pa„ pa Symmachus, Synodo probante, „ sic infit: *Est enim a multis Praedecessoribus nostris Synodaliter decretum atque firmatum, ut oves, quae Pastori suo commissae fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, praesumant. Nec ullatenus pro quacumque re alia, nisi pro sua injustitia, accusare audeant.* Haec verba, *nisi pro sua injustitia*, grandioribus characteribus Bossuetius effert, statimque subjungit: „ En „ quam gravem ac patentem decreto „ suo, atque Ennodii dictis exce„ ptionem adhibeant! Quae oppido ridicula, & ἀσύστατα sunt. Quum enim Symmachus disertis conceptisque verbis eam solum caussam excipiat, in qua Pastor *recta fide exorbitaverit*, quis sibi animo fingat, statim voluisse pro qualibet injustitia summum Ecclesiae Pastorem ovium suarum judicio subjicere? Praesertim, quum vix credibile sit, inter gravia illa horrendaque facinora, quae Symmacho ab Adversariis objecta fuerant, nullum omnino fuisse, quo justitia violaretur. Illud vero plane ἀσύστατον est minimeque cohaerens, quod illud Ennodii, & Romanae Synodi, & Symmachi; *Prima Sedes non judicatur a quoquam*; ad solas particulares Synodos Galli Theologi pertinere volunt: ut autem violatae fidei vel justitiae poenas luat; id juris solis oecumenicis Synodis tribuunt. „ Cete„ rum, *inquit Bossuetius*, haec de „ Romana ac particularibus Synodis „ dicta nihil ad nos, quibus propo„ situm est de Conciliis Oecumenicis „ agere. Ejusdem generis est id, „ quod a Carolo Magno ac Majori„ bus nostris factum in caussa Leonis „ III., neque his lectorem distineri „ placet. Sit ergo profecto, nobis „ etiam auctoribus, Romani Ponti„ ficis Sacrosancta majestas, nulla „ eam Synodus particularis judicare „ audeat; ac ne quidem Oecume„ nica, nisi propter eas caussas, quas „ in Concilio Constantiensi memora„ tas saepe retulimus. Quis ergo erit illorum verborum Sensus; Romanus Pontifex nisi pro violata fide, vel, si id etiam addere libet, *nisi pro sua justitia*, non judicatur a quoquam? Si enim hoc enunciatum ad particulares Synodos referendum est; sensus omnino erit, quod Romanus Pontifex, praeterquam in caussa haeresis laesaeque justitiae, a particularibus Synodis judicari non debet; adeoque in caussa laesae justitiae vel fidei a particularibus Synodis judicandus erit: eximitur enim juxta hanc interpretationem, a judicio particularium Synodorum, nisi a recta fide exorbitaverit, vel *pro sua injustitia*. Si autem in caussa haereseos vel inju-

sti-

ſlitiae non judicatur niſi a Synodis Oecumenicis; ergo & generale illud effatum; *Romanus Pontifex non judicatur a quoquam*, etiam generales Synodos comprehendit: alioquin tota illa propoſitio aequivoca erit & inconcinna, partimque ad generales, partim ad particulares Synodos erit referenda. Ceterum, omiſſo interim Conſtantienſis Synodi Canone, de quo ſuo loco diſſeremus; ab Hadriani II. & Symmachi, & Romanarum ſub eis Synodorum ſententia prorſus abludit, quod Romanus Pontifex, praeterquam in cauſa haereſeos, vel a Synodis Oecumenicis; idque etiam ipſis Romanis Pontificibus conſentientibus; judicetur. Hanc enim unam cauſſam laudati Pontifices & Synodi, nec non alii Patres ac veteres Theologi ſepoſitam eſſe voluerunt. Quare verba illa Symmachi; *Niſi pro ſua injuſtitia*; ſenſus omnino poſtulat, ut non ad Paſtorem, ſed ad oves referantur; hoc eſt, Oves Paſtorem ſuum niſi a rectâ fide exorbitaverit, minime reprehendant; nec illum pro quacunque alia re accuſare audeant, niſi ſe ipſae velint injuſtitiae crimine involvi. Vel, *injuſtitia* hoc loco idem ſignificat atque infidelitatis culpam; ut ſenſus ſit, non eſſe Paſtorem ab ovibus arguendum, niſi a recta fide exorbitaverit; nec fas eſſe iiſdem Ovibus pro quacumque alia re illum accuſare, niſi a fide deviando in infidelitatis culpam inciderit. Sed eſt ad Romanam Synodum revertendum.

Lecta ſunt ejus acta Actione VII. octavae Synodi, eiſque Patres non modo nihil repugnarunt, verum & ſuum in illa conſenſum non uno modo teſtati ſunt. Imprimis autem Actione X. Can. II. his verbis: „ Obedite Praepoſitis veſtris, & „ ſubjacere eis: ipſi enim pervi- „ gilant pro animabus veſtris tam- „ quam rationem reddituri, *Paulus magnus Apoſtolus praecipit. Itaque beatiſſimum Papam Nicolaum, tanquam organum Sancti Spiritus habentes, nec non & Sanctiſſimum Hadrianum Papam ſucceſſorem ejus; definimus atque ſancimus etiam omnia, quae ab eis Synodice per diverſa tempora expoſita ſunt & promulgata, tam pro defenſione ac ſtatu Conſtantinopolitanae Eccleſiae .... quam etiam pro Photii Neophyti & invaſoris expulſione ac condemnatione &c.* Quibus verbis non modo quaecumque a Nicolao & Hadriano Synodice expoſita fuerant ſeſe recipere ſacra Synodus profitetur; verum & cur ea recipiat, hanc ex Apoſtolo rationem adfert, quod oportet Praepoſitis obedire, eiſque ſubjacere: adeoque Synodus Oecumenica ſubjectionem & obedientiam Romanis Pontificibus profitetur, vel eis ſeſe ſubjectam & obedientem praedicat & agnoſcit; quos etiam ut Sancti Spiritus organa veneratur. Quum autem in praeſenti Canone ſolum generatim Synodus Hadriani probetur; deinde Canone XXI. is locus ſpeciatim confirmatur, quo dictum eſt, ut ne quidem ab Oecumenica Synodo Romanus Pontifex judicetur: *Porrò ſi Synodus Oecumenica fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quaevis ambiguitas & controverſia: oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quaeſtione ſciſcitari; & ſo-*

lutio.

lutionem accipere , aut proficere , aut profectum facere ; non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Roma Pontifices . Quod profecto nil aliud est , quam ut prima Sedes purget se & satisfaciat , non judicetur : ut factitatum est a Syxto III. Symmacho , Pelagio I. Leone III. & ipso Hadriano II.

Illustrissimus Adversarius hunc Canonem versans, ita illum interpretatur: „ Haecco pertinet , ut ne Synodo quidem Oecumenicae licuerit sententiam dicere iis casibus , „ quibus Photius dixerat ; nempe adversus Romanum Pontificem Apostolicum officium exequentem: „ aut si qua peculiaria adversus eum „ crimina & jurgia fererentur ; aut „ si forte moverentur aliquae peculiares quaestiones , qualis tum erat „ controversia de Bulgarorum paroeciis , quas Ecclesia Costantinopolitana adversus Romanam sibi „ vendicabat . Haec igitur amice „ ac reverenter tractari placebat Patribus , neque horum aut similium „ casuum vulgarium caussa lacessi „ Pontificiam Majestatem , pacemque Ecclesiae perturbari ; quod esset revera impudentissimum . Nec „ ideo Synodo Oecumenicae silentium imponunt , si forte inciderent „ ejusmodi caussae , quae Patres VI. „ Synodi adversus Honorium concitarunt , aut eae , quae a Concilio „ Constantiensi memorantur . Ita nostris Adversariis omnia licent , nobis Sedique Apostolicae nihil licet . Licet ipsis generale illud effatum a prima antiquitate depromtum : Prima Sedes non judicatur a quoquam : &, Caelo tantum Romani Pontifices innocentiam debent ; ad particulares Synodos coercere ; similes omnino Patrum de Imperatoribus & Regibus propositiones ad privatas personas , vel etiam publicas , sed in quibus non sit nisi temporalis potestas , nobis coarctare non licet . Licet ipsis octavae Synodi Canonem generalem ad eos peculiares casus & quaestiones redigere , quae occasionem condendo Canoni praebuerunt ; Concilii Constantiensis Decretum ad peculiarem schismatis aut dubiorum Pontificum casum , cui ut remedium adferretur , illud decretum conditum est , nobis revocare non licet .

Ingens tamen est inter Constantiense Decretum , & octavae Synodi constituta discrimen : illud enim statim atque promulgatum est ac deinceps de casu schismatis gravissimi Theologi interpretati sunt ; atque ita reapse interpretandum est , si volumus illud cum tota retro antiquitate conciliare , quae praeterquam in caussa haeresis certum legitimumque Pontificem ulli neque Oecumenico Concilio subjecit . At vero Concilii generalis Canonem qui deinceps floruerunt Patres ac Theologi , etiam in Galliis ad usque Synodi Constantiensis tempora , nulla nisi aperte violatae fidei limitatione coercuerunt . Ita enim Ivo Carnotensis , nec non & Vualo Parisiensis , Johannes Aurelianensis , aliique Provinciae Senonensis Episcopi ad Johannem Lugdunensem Archiepiscopum, a quo invitati fuerant ad Synodum , qua factum Paschalis Papae discuteretur , sentiebant (a) : *Non videtur , nobis-*

(a) Inter Ivon. epist. CCXXXVIII.

bis utile consilium, ad ea Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare. Quia nec nostro NEC ULLIUS HOMINUM *probantur subiacere judicio .... Exscusamus innocentiam nostram, qua & principales Ecclesiae claves nolumus potestate sua privare, quaecumque persona vices Petri habeat*, NISI MANIFESTE AB EVANGELICA VERITATE DISCEDAT. Ita, inquit Cl. Thomassinus, callentissimus Juris Canonici, necnon & Gallicanae disciplinae Ivo, cum Coëpiscopis suis enucleatissime depromit, quid hac de caussa jam olim ab Avito, & a ceteris Antecessoribus suis hausissent Galliae Episcopi, quid in Posteros de hoc Romanae Sedis privilegio derivassent.

Derivarunt plane eosdem in Posteros sensus, quos a suis Majoribus Gallicani Episcopi hauserant. Nam, saeculo sequente S. Bernardus epistola CCXXXVI. adversus judicium Romanae Curiae, si forte in caussa Eboracensis Ecclesiae perperam ab ea judicatum fuisset, non habebat quo confugeret, nisi ad caelestem Curiam; aperte indicans, nullam esse aliam, in qua possint Romanae Sedis judicia legitime retractari: *Quod si contra conscientias suas coëgerit eos Romana Curia curvare genua ante Baal; videat Deus & judicet: Videat Curia illa Caelestis, in qua nulla poterit ambitione subverti judicium*. Aberat certe Sanctissimus Abbas ab ea Meldensis Episcopi opinione, quam supra confutavimus, quod ovibus Summo Pastori commissis illum *pro sua injustitia* accusare licitum sit. Hinc Cl. Mabillonius ad citata verba S. Bernardi hanc brevem notam appingit. *Romanae Curiae judex Curia Celestis.*

Saeculi sequentis initio, hoc est anno MCCVI. Philippus cum Othone de Imperio contendens, longe similiter aberat ab ea sententia, quod *pro sua injustitia* liceat hominibus de Summo Pontifice judicare; quum ad Innocentium III. in haec verba scribebat: *Si vos in aliquo nos vel Imperium laesisse videmini, conscientiae vestrae super iis vos relinquimus. Quum enim nos pie credamus, & ante passionem & post passionem Dominum nostrum Jesum Christum B. Petro claves regni caelorum contulisse, & tradidisse jus ligandi atque solvendi, scimus & protestamur, quod vos qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in hujusmodi articulis ab homine non estis judicandus*, SED JUDICIUM VESTRUM SOLI DEO RESERVATUR; *cujus judicium & examen*, QUOD SIBI SOLI DEBETUR, *nobis non quaerimus usurpare*. Ex his, inquit Clarissimus Thomassinus, abunde claret Francorum in Germania consensus.

Sed nihil, quod ad Hadriani II. sententiam propius accedat, desiderari potest, quam quod saeculi sequentis initio, hoc est anno MCCCV. Gallici Regni Proceres Clementi V. dato libello suggerebant, ut eum ad damnandam Bonifacii VIII. memoriam inflammarent. Nam primo, quoniam sciebant nisi propter haeresim non posse Romanum Pontificem judicari, neque in haeresim ut Pontificem & ex Cathedra definientem cadere posse, ideo Bonifacium haereticum fuisse contendebant; in quod tamen scelus ut privata persona, non

ut Pontifex, incidisset: *Non quaeritur de haeresi Papae quondam ut Papae, sed ut privatae personae. Non enim ut Papa potuit esse haereticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, haereticus fuit*. Deinde quoniam & illud pariter non ignorabant, quod eidem Hadriano observatum est, & in ipsa Synodo Oecumenica ex Successoris auctoritate consensuque pendere, si in Decessoris fidem atque doctrinam inquiratur, deque illa judicetur; ideo addebant, ad Bonifacii memoriam damnandam, nec opus fore Synodo Oecumenica; cujus nimirum tota vis & potestas in Romano Pontifice velut in fonte & origine contineantur: *Quum de Bonifacii mortui haeresi quaeritur, non debet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater Sanctissime, Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiae repraesentans, qui claves Regni caelestis habetis. Nec congregatum totum generale Concilium sine vobis & nisi per vos posset cognoscere de negotio supradicto*, JUXTA PATRUM SANCITA, SENTENTIAMQUE DOCTORUM JURIS, ET ECCLESIAE SANCTAE DEI. Adeo haec sententia altas in Galliis radices egerat, ut ea non modo Ecclesiasticus & Academicus Ordo, sed & Politicus, esset imbutus: atque, ut ex mox adlatis verbis apparet, eadem erat totius Ecclesiae doctrina, imo & fides.

Id etiam aperte constat ex quinto eorum Articulorum, quorum confessionem & subscriptionem hoc eodem saeculo circa medium, Clemens VI. natione Gallus, & Parisiensis olim Doctor, quique praeclaris in Regno & in Ecclesia dignitatibus auctus fuerat; ab Armeniorum Catholico, ceterisque illius Gentis Episcopis postulavit. Nimirum ab eo ceterisque quaerebatur: *Si credidisti & credis, quod intantum fuerit, sit, & erit suprema & praeeminens auctoritas & juridica potestas Romanorum Pontificum, qui fuerunt; nostri, qui sumus; & illorum qui in posterum erunt, ut a nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt; sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemur, & servabuntur: Et quod a sententiis & judiciis nostris non potuerit, neque possit, neque poterit ad aliquem judicem alium appellari?* Haec laudatus Pontifex, cui profecto Gallicanae Scholae & Ecclesiae doctrina perspecta erat & explorata; quique nisi per summam injuriam non adegisset Armenios ad hunc veluti fidei articulum profitendum, si fuisset in Gallis inter adiaphoras opiniones habitus, aut nisi in eum universa Occidentalis Ecclesia conspirasset.

„ Qui ergo (*verbis utor Cl. Thomassini*) adversus ista cristas erige-
„ re posteriores conati sunt scholae
„ Doctores (*Gersonius ejusque asseclae*) illi a constantissima, & ab
„ ipsis usque incunabulis coalita Ec-
„ clesiae Gallicanae doctrina, &
„ pronissima in Sedem Apostolicam
„ reverentia, immane quantum de-
„ viarunt. Danda tamen venia est,
„ si antiquitatis incuriosiores, ut ea
„ ferebat aetas, & diutini inter binos
„ ternosque Pontifices schismatis
„ taedio affecti, nec pacem Eccle-
„ siae, nisi a Concilii supra Ponti-
„ fices authoritate & judicio decre-

„ to-

„ torio efflorescere posse persuasi, „ in has Apostolico privilegio infestas ejecti potius, quam appulsi „ sunt opinationes. *Et post pauca subjungit*: „ Illos ipso, qui Synodico judicio Pontifices substernere „ enixi sunt, etsi quandoque contentionis aestu longius sint abrepti, „ in has tamen se tandem recepisse „ priscae modestiae lineas, ut schismatis tempore tantum cogerentur dubii nimirum Pontifices, „ Concilii judicium experiri.

Superest, ut tandem breviter demonstremus, hanc Romanae Sedis praerogativam, ut a nemine judicetur, ex divino jure descendere, sive a primaeva illa Christi institutione, qua Petrum ejusque Successores totius Ecclesiae Principes instituit. Ut enim sub ipsum hujusce disputationis initium recte monet Illustrissimus Petrus de Marca (a) „ „ Principem legibus solutum esse, „ eo sensu, ut etsi in leges impingat, poenis legum coërceri non „ possit, communis est Theologorum & Jurisconsultorum sententia; „ ita ut subditi, qui de Principis „ statu aliquid decernere sibi liberum „ esse putaverint, Lege Julia majestatis tenantur. In hunc quoque „ dignitatis gradum adscitum fuisse „ Romanum Pontificem, Galliarum Reges & Episcopi una cum „ ceteris saepissime consuerunt. Quod iis textibus probat, quibus jam ostendimus, Romanum Pontificem nullius subjacere judicio. Quare hoc privilegium ex illo jure descendit, quo ab ipso Deo summus Ecclesiae princeps constitutus est. Id quod etiam ex iisdem veteris traditionis fontibus manifeste patet.

Ennodius in eos impetum faciens, qui Synodico judicio Symmachum substernere nitebantur: *Quid*; inquit, *stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere?*

Quod non sit Gregis pastorem proprium terrere, sed judicis: quod qui ovili Dominico praeest, rationem reddat Domino, non gregi: divini id instituti & juris est. Hoc autem jure nitebatur Avitus, ut Romanum Pontificem omni humano judicio superiorem esse monstraret.

Divini pariter ac naturalis juris est, ne majores a minoribus & inferioribus judicentur: hinc autem Romanae Synodi Patres Theodorico Regi suadere nitebantur, soli Deo reservandam esse Symmachi caussam; qui etiam indicabant, ejusmodi privilegium partem esse singularis illius summaeque potestatis, quam Concilia divinis institutis inhaerendo, Romanae Cathedrae vindicarant: *Ejus Sedi ..... secuta jussionem Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem*; *nec antedictae Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio*, *in propositione simili facile forma aliqua testaretur*. Quae verba Hadrianus II. in Synodo Romana laudavit, ex eisque probavit, ne quidem generalium Conciliorum judicio, nisi in caussa haeresis, Romanum subjacere Pontificem. Quae pariter Synodus VIII. probavit & confirmavit, quoniam Apostolus prae-

(a) Lib. I. de Concord, Sac, & Imp. cap. XI, num. I,

cipit, ut nostris Praepositis obedientes atque subjecti simus, non autem judicium in illos exerceamus.

Si autem quaeras, qui fieri possit, ut si forte in apertam Romanus Pontifex haeresim labatur, (quod absolute contingere posse, gravissimi Theologi docent) a Concilio Oecumenico judicetur; quum divino & naturali juri repugnet, ut superior a subdito judicetur? Non unum est eorumdem Theologorum ad hanc quaestionem responsum. Mihi illud maxime arridet, quod aliis quatuor Bellarminus praetulit (a), & Serrius etiam amplexus est (b): Quia Pontifex in apertam haeresim incidens, ex hoc ipso desinit esse Pontifex: quum hoc ipso desinat esse membrum Ecclesiae. Quomodo enim illius adhuc corporis caput esset, cujus desiit esse membrum? Atque ita eo in casu sua ipsius haeresi a Pontificatu deponitur: eidemque, haeresim profitendo, renunciasse censetur. Quare si proprie & accurate loqui velimus, non eum tunc deponit Ecclesia, seu Concilium oecumenicum; sed illum sua ipsius haeresi depositum esse declarat. Nec est illi eo in casu neganda a fidelibus obedientia, donec talem illum esse, Ecclesia publice ac sollenniter pronunciaverit. Cui responsioni ac doctrinae favet etiam Illustrissimus Petrus de Marca loco superius citato num. VII. his verbis: „ Sane in caussa haereseos „ publice professae, & schismatis, „ quin de Pontifice Romano judici„ um fieri possit, nullus unquam „ Scriptor dubitavit: quamvis sen„ tentiam malint declaratoriam dici „ quam condemnatoriam, & in schis„ matis explicatione variae sint sen„ tentiae.

CAPUT XXII.

„ De sententiis Romanorum Ponti„ ficum non retractandis; ea de „ re relati Canones eorumque „ vis Gelasii Papae loci.

NUlla omnino ratio est, cur circa praesens Caput diutius immoremur; quum in id fere unum toto hoc Opere incubuerimus, ut jure suo irretractabiles esse Romanorum Pontificum ex Cathedra definitiones demonstraremus. Huc autem spectare contendimus haec Bonifacii I. ad Rufum Thessalonicensem Bonifacio II. in Concilio Romano repetita (c): *Nunquam licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari*. Haec, inquam, hisque similia, quae passim in Veterum Monumentis occurrunt, generatim & universe pronunciata, jure nostro nobis vindicamus, ex eisque sententiam nostram de Romani Pontificis ex Cathedra definientis judiciis prorsus irretractabilibus, confirmamus. Nec movemur hac Meldensis Episcopi observatione: „ Quod si haec ad quo„ scumque casus, & ad Concilia et„ iam generalia protendantur, nempe „ Synodi Oecumenicae III. IV. VI. „ VII. VIII. a quibus Romanorum „ Pontificum Decretales atque judi„ cia retrectari constat, illicita per„ petrarint. Non, inquam, his move-

(a) Lib. II. de Rom. Pontif. cap. XXX.
(b) Differt. II. de Rom. Pontif. cap. IV.
(c) Collect. Holst. I. Part.

vemur ob eas plurimas rationes, quibus toto libro primo probavimus, tum nihil ex iis Synodis proferri posse, quod nostrae doctrinae adversetur; tum etiam plurima in earum actis occurrere, quae illi vehementer patrocinentur.

Egregie quoque nostram sententiam illa Gelasii Papae verba confirmant, quae pariter Bossuetius adfert (a): Quod Sedes Apostolica *de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de hujus liceat judicare judicio*. Atque alibi (b): *Illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari*. Et haec pariter Gelasii pronunciata generalia sunt; quare & Oecumenicas Synodos comprehendunt; praesertim quum Sedes Apostolica de tota Ecclesia judicare dicatur, ipsa vero ad nullius, hoc est, neque totius Ecclesiae commeare judicium. Ait quidem Bossuetius ,, ,, quod ea Gelasii verba ,, si ad Concilia etiam Oecumenica & omnes ,, caussas indiscriminatim extendantur, falsa sunt nimium. Nos autem & vera esse, & ex Gelasii mente ad Concilia etiam Oecumenica, & ad omnes caussas, praeterquam haeresis, extendenda esse contendimus. Subjungit: ,, Neque tantus Pontifex ,, ignorabat, Antecessorum suorum ,, Caelestini Leonisque sententias in ,, Ephesina & Chalcedonensi Synodis retractatas. At neque pariter ignorabat, laudatos Pontifices gravissimis verbis cavisse, ne fides semel per Sedem Apostolicam definita in eisdem Synodis retractaretur; ac proinde jure suo irretractabiles esse Romanorum Pontificum sollennes de fide sanctiones. ,, Idem, *inquit*, in po- ,, sterioribus Oecumenicis Conciliis ,, factitatum acta docuerunt. Idem, inquam, & a posterioribus Pontificibus vetitum, ne ipsorum de fidei judicia retractarentur. Id enim ab Agathone disertis conceptisque verbis cautum est: & in VII. & VIII. Oecumenicis Synodis ante compulsi sunt Orientales Romanorum Pontificum judiciis subscribere, quam vel ad Synodos admitterentur.

,, Cum vero Gelasius Sedi Apo- ,, stolicae facultatem attribuit *de om-* ,, *ni Ecclesia judicandi*; sive, quod ,, idem est, *de tota Ecclesia*; *om-* ,, *nem ac totam* in Synodis congrega- ,, tam ne quidem cogitabat. Imo vero longe confidentius adfirmare possumus, quod Sanctus Pontifex ne cogitabat quidem de *omni* vel *tota* per partes exponenda: hanc enim coactam esse interpretationem ipsi Galli Theologi non semel professi sunt. Notumque omnibus est, Gallicanos Episcopos, quemadmodum inter alios Fleurius animadvertit (c), in Tridentina Synodo constanter recusasse, auctoritatem Pontificis iis verbis declarari, quae in Decreto unionis Florentina Synodus usurpaverat, statuendo: *Ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse*. Quamquam enim laudatus Auctor subjungat, hanc definitionem recipere posse congruentem sensum, quatenus nulla est Ecclesia particularis,

(a) Epist. XIII. ad Episc. Dardan.
(b) Epist. IV. seu Commonit. ad Faust.
(c) Neuviem. Disc. sur les Libert. de l'Eglis. Gallic.

ris, quae Pontifici subjecta non sit: attamen qui notas adjunxit observat, Synodum Florentinam liquido definisse: *Que le Pape a un pouvoir absolu & souverain sur toute l'Eglise*: candideque fatetur, quod verba, quibus definitio constat, *ne sont point susceptibles d'un autre sens*. Addit etiam, quod in Synodo Tridentina nemo cogitavit de iis verbis in alium sensum interpretandis, & quod haec ratio fuit, cur Episcopi Gallicani Pontificis auctoritatem his verbis exponere constanter detrectarunt: „ Au Concile de Trente personne ne s'avisa de leur en donner „ un autre, c'est ce qui fit que les „ Prelats François refuserent con„ stamment d'exprimer l'autorité „ des Papes dans ces termes. Si ergo haec verba, tota sive universalis Ecclesia, *toute l' Eglise*, totam Ecclesiam collective significant, si nullum alium sensum recipiunt, &, si nemo de alio sensu eis subjiciendo in Tridentina Synodo cogitavit; annon tuto nos & fidenter jactare possumus, nec de alio sensu Gelasium cogitasse? Quin & hanc interpretationem ipse Sanctus Pontifex apertissime rejicit, quum in epistola seu Tomo de Anathemate ita scribit: *Totum in Sedis Apostolicae positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo* (Chalcedonensi) *Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem*. Profecto qui pro sua auctoritate, vel, ut in alia epistola loquitur, *pro suo principatu*, Concilii generalis decreta aut firmavit, aut rescidit, is potestatem habet de tota Ecclesia in generali Synodo congregata judicandi, ejusque sententias & decreta retractandi. Ac proinde Gelasii menti repugnat, quod ejus superius exscripta testimonia Illustrissimus Adversarius per partes exponere, sive tantum ad omnes & singulas particulares Ecclesias pertinere contendit. Praeterea Ecclesia tota in eadem Chalcedonensi Synodo congregata Leoni Magno scribebat, quod ipsi Sanctissimus Pontifex ut Caput membris, ut Pater filiis praeerat: totaque item Ecclesia in octava Synodo generali Nicolai I. & Hadriani II. decreta suscipiebat, quoniam jubet Apostolus Praepositis obedire, eisque subjacere. Quare quod Synodus Florentina Romano Pontifici auctoritatem vindicavit pascendi & regendi universalem Ecclesiam; & quod Synodus Tridentina eisdem verbis eamdem auctoritatem declarare volebat; & quod nos ea verba de tota Ecclesia collectim intelligimus; Veterum Pontificum & Conciliorum testimoniis constat, & firmum est. Quod autem vel in Tridentina Synodo Gallicani Episcopi eadem verba totius mundi & veteris aevi reverentia consecrata recipere noluerunt; aut quod Meldensis Episcopus aliique Gallicanae Ecclesiae Theologi ea per partes exponunt; id ab eorumdem Pontificum & Conciliorum mente prorsus alienum est. Nec est, quod nobis objiciant Concilii Constantiensis auctoritatem. Quod enim in ea Synodo damnatus sit, qui *negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares*; inde profecto non sequitur, adprobatos fuisse, qui negant potestatem primatumque Pontificis super universam

Ec-

Ecclesiam; sed solum quod ab hoc dogmate sanciendo abstinere voluit. Quod autem ea Synodus minime sanxit, Florentina Synodus veterum Pontificum, & Conciliorum, & Patrum auctoritate nixa perfecit.

Denique has Gelasii sententias: *Ut ab ea* (Sede Apostolica) *nemo sit appellare permissus. Ab ipsa nunquam prorsus appellari debeat.* „ Nemo, inquit Bossuetius, existimet „ a se satis intelligi, si eas accipit „ a causa, propter quam dicebantur, avulsas. *Et rursum infra cap. XXIV.* Neque vero illa verba, *nusquam*, *nunquam*, & si „ qua sunt alia, unquam efficient, „ ut a proposito argumento Gelasii „ dicta penitus avellantur, traducanturque ad eos casus, quos neque „ oratione complecti, neque animo „ providere Gelasius potuerit. At hic rursus inquirimus, cur & nobis non liceat in interpretandis Concilii Constantiensis Decretis eadem regula uti, ut nimirum neque illa a caussa propter quam edita sunt, vel a proposito schismatis ac dubiorum Pontificum argumento, penitus avellantur? Quod autem ad Gelasii dicta pertinet, cur ea generatim accipiamus, illud in caussa est, quod ipse ut negat, ulli fas esse de Sede Apostolica judicare, ita sibi Sedique Apostolicae protestatem adserit de aliis omnibus judicandi: Atque, ut ostendimus, sibi Sedique Apostolicae potestatem adserit de tota Ecclesia etiam in Synodis generalibus congregata judicandi: Ergo & ipsis Synodis generalibus de Sede Apostolica judicandi, ejusque judicia retractandi potestatem adimit: adeoque & generatim reprobare censendus est omnes ab ejusdem Sedis Apostolicae judiciis ad generalem Synodum appellationes: quas etiam alii Pontifices variis identidem Constitutionibus reprobarunt.

CAPUT XXIII.

IN hoc & sequentibus Capitibus ad usque XXXI. exclusive disserit Illustrissimus Auctor de Appellationibus a Pontifice ad Concilium: *Quamquam*, inquit, *id ad causam nostram, atque ad Gallicanae declarationis defensionem non pertineat.* Id vero nobis satis est, ut in praesentia a permolesta disputatione abstineamus. Nos enim nixi Romanorum Pontificum Bullis omnes omnino ejusmodi appellationes improbamus. Quod vero ad rem nostram propius & maxime spectat, illud est, quod nullum ab Illustrissimo Adversario adfertur, aut adferri potest vetustum exemplum, quo a Catholicis in caussa fidei, vel a Pontifice sollenniter quidquam & ex Cathedra definiente interposita sit ad generalem Synodum appellatio. Quod unum tamen si olim aliquando factum esset, & si jure ac legitime factum esse constaret, merito nobis objiceretur, qui Romanorum Pontificum solennes de fide sanctiones jure suo prorsus esse irretractabiles propugnamus.

CA-

CAPUT XXXI.

„ Variae de Conciliis generalibus „ novissimi Auctoris Anonymi „ vitilitigationes : quaestionem „ ab eo pessime constitutam. An „ Concilia inter res incertas nu- „ meranda ? Persecutionis tem- „ pore quomodo geruntur res : „ Quaestiones generales a parti- „ cularibus, ad Constantiensis „ Synodi mentem, jam inde ab „ initio distinctae.

QUae etiam adversus Auctorem olim Anonymum, jam vero suo nomine notum, in praesenti Capite Meldensis Episcopus disputat, praetermittere instituimus. Hanc enim caussam veluti de integro retractandam suscepimus, & proprio adhibito judicio, ea selegimus quae nostro argumento maxime apta & idonea visa sunt. Quamobrem quae vel ab Anonymo, vel ab aliis Auctoribus, qui in hac palaestra decertarunt, in medium adducta sunt, ut non contemnimus, ita nec praestare tenemur; ac proinde neque in iis ab Illustrissimi Auctoris objectis vindicandis immorari, nostri esse muneris judicamus.

CAPUT XXXII.

„ Recapitulatio eorum, quae ad „ Caput IV. Declarationis Gal- „ licanae dicta sunt, atque im- „ primis eorum, quae libro XII. „ & XIII.

QUae hoc & sequentibus Capitibus scribit Illustrissimus Adversarius, melius a nobis confutari non possunt, quam paucis refricando ea, quae jam latissime toto hoc Opere demonstravimus.

Primum itaque illud ex Tertulliano & Vincentio Lirinensi praestruximus, notissima illa Ecclesiae Catholicae dogmata, quae Symbolo continentur, quae omnium Christianorum cordibus inscripta sunt, & in quae veluti communes quasdam Christianae sapientiae notiones Ecclesia universa conspirat; cujusmodi inprimis sunt illa, quibus unius Trinitatis, & unius Mediatoris, qui quum Deus esset, humanam carnem induerit &c. fides adstruitur; haec, inquam, Christianae pietatis notissima dogmata adeo fixa & immota sunt, ut in Ecclesia Catholica in disceptationem unquam revocari non possint: In his enim imprimis posita est *regula fidei*, quae Tertulliano (a), *una omnino est*, *sola immobilis & irreformabilis*: & quae (b) *nullas habet quaestiones, nisi quas haereses inferunt, & quae haereticos faciunt*. Hanc Regulam pervertere & violare aggressi sunt, primum Arius, deinde Macedonius, postea Nestorius, Eu-

(a) Lib. de Virginib. Velandis cap I.
(b) Lib. de Praescript. haeretic. cap. XIV.

Eutyches, Monothelitae: sed frustra. Nam Pastorum multitudo, seu Moralis, ut ajunt, eorum unanimitas Capiti suo Romano Pontifici adhaerentium in avitae fidei confessione ac defensione jugiter perseverans, eorum nefariis conatibus adversata est. Porro, vel ipsis fatentibus Adversariis, fidei regula per Romanum Pontificem constituta vel exposita in tuto est, nec retractationi obnoxia, quum eam Episcoporum moralis unanimitas amplectitur. Quum ergo Nicaena I. Synodus adversus Arium habita est, vel Constantinopolitana I. adversus Macedonium, vel Ephesina adversus Nestorium, vel Chalcedonensis adversus Eutychem, vel Constantinopolitana III. adversus Monothelitas, absurdum plane est cogitare, Ecclesiam Catholicam in his Synodis repraesentatam, & ab Episcopis per orbem dispersis cum debita veneratione suscepta, adserta jampridem per Romanum Pontificem de Filii & Spiritus Sancti Divinitate, ac de vera & naturali unione duarum naturarum & voluntatum in una Christi persona, Catholica dogmata ad ipsam fidei regulam pertinentia, velut incerta retractasse, aut tanquam de rebus nondum satis compertis, vel adhuc inter veros genuinosque Christianos in quaestione positis disceptasse. Vel ideo coactas fuisse laudatas Synodos, ut caussa inter Damasum & Macedonium, inter Caelestinum & Nestorium, inter Leonem & Eutychem, inter Agathonem & Macarium Antiochenum, & eis utrinque adhaerentes Episcopos aut Ecclesias disceptaretur; ac veluti citatis partibus, auditisque ac discussis earum rationibus, definitiva sententia & supremum judicium pronunciaretur. Verum nisi haec demonstrent Adversarii, eorum ex Synodorum celebratione argumentum tantopere ipsis jactatum in fumos abit ac penitus evanescit. Ac reapse illud funditus evertimus ac profligavimus, quum ostendimus, coactas fuisse Synodos generales, non ut caussa inter Romanos Pontifices & Haereticos veluti dubia disceptaretur, vel ut ipsi Romani Pontifices eorumve decretales epistolae judicium Synodi subirent; sed ut ipsis auctoribus & praeeuntibus, & per Spiritum Sanctum, seu per collatam divinitus Apostolorum Principi auctoritatem & potestatem, certam & immotam regulam praescribentibus, de haereticis judicaretur, seu potius cum majori sollennitate latum jampridem in eos judicium publicaretur.

Nec modo Synodorum judiciis praevia Romanorum Pontificum judicia formam & regulam praescripserunt; verum etiam in earum actis probandis aut improbandis summam in easdem Synodos auctoritatem iidem ipsi Romani Pontifices exeruerunt. Nec tamen Conciliorum anathemata a confirmatione suspendimus, quum constat, latum esse judicium juxta formam & regulam a Pontifice constitutam. Verum opus aliquando fuisse speciali confirmatione ex iisdem Actis ostendimus, quum scilicet ad Synodi auctoritatem elevandam id aliqui obtendebant, quod ejus sententia Romano Pontifici improbaretur. Adeo omnibus persuasum erat, Conciliorum generalium auctoritatem & firmitatem ex Romanorum Pontificum auctoritate pendere. Nec mirum, quum a Ro-

Romano Pontifice, juxta veterum Patrum frequentissima testimonia vis omnis Ecclesiae atque legitima auctoritas propagetur, velut a capite vis motusque membrorum, velut a centro lineae, velut a radice totius arboris succus, velut a fonte rivuli derivantur: quarum similitudinum vis omnino exigit, ut ab eo, qui & fundamentum Ecclesiae dicitur, & principium, & fons, & radix & centrum unitatis, totius Ecclesiae auctoritas pendeat; ideoque potestatem habeat regendi non modo singulas divisim Ecclesias, verum & Ecclesiam universam; quemadmodum in Florentina Synodo, hoc nomine quibusdem Gallis invisa, sancitum est.

CAPUT XXXIII.

„ Recapitulatio eorum, quae sunt „ in libro XIV.

QUod pertinet ad quaestiones sine generalibus Synodis terminatas, ostendimus ex Irenaeo, Tertulliano, Cypriano, Optato Milevitano, Augustino & aliis, nihil esse evertendis haereticorum commentis aptius & efficacius, quam eis universae Ecclesiae traditionem objicere: Qui autem compendio universae Ecclesiae traditionem perspectam habere vult, satis esse, ut is unius Ecclesiae Romanae traditionem consulat: quoniam cum ea, quae fons est & centrum unitatis, propter potiorem seu potentiorem ejus principalitatem, necesse est omnem Ecclesiam in fidei rebus convenire; quemadmodum diserte scribit Irenaeus: quasi diceret, subjungit Petrus de Marca, juxta sinceriorem illorum verborum interpretationem, eam esse vim Unitatis, quae principium & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat. Hinc intelligitur illud Augustini: Ab Apostolica Sede Rescripta venerunt, caussa finita est. Quod perinde in omnibus caussis atque in illa Pelagianorum locum habere necesse est, si ea vis est unitatis, quae a Petri Sede originem trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat. Quae quum certa & inconcussa sint, eorum vim minime perceperunt, quicumque sollennibus hujusce Sedis decretis aliquandiu obluctati sunt: ejusque pietati & indulgentiae tribui debet, si non omnino ab Ecclesiae corpore abscissi sunt, qui Capiti congruere abnuebant. Denique illud apertius luculentiusque demonstrat, quam necesse sit, ut membra Capiti in fidei rebus inhaereant, neque ab unitatis centro divinitus constituto reliquae Ecclesiae dissentiant; quod nemo ab illo sollenniter & ex Petri Cathedra quidquam definiente dissenserit: quin a veritate aberrarit, tandemque coactus sit sese sensusque suos ad caput & originem revocare. Quae ergo Cypriani, Polycratis, Columbani, & Episcoporum Galliae a quinta, vel septima Synodo dissentientium, & siqua alia ab Adversariis objiciuntur exempla ea nos in rem nostram jure convertimus, quum iis exemplis pateat, eamdem Petri Sedem esse debere & unitatis centrum & fidei regulam: nam ut nemo ab ejus se se communione disjungit, quin vita & spiritu destituatur: ita nec ullus ab ejus doctrina aliquando deflexit, quin se se variis erroribus implicuerit. Quae autem Bossuetius exaggerat Romanorum Pontificum errata, ea nequa-

quaquam ad Cathedram pertinere, neque iis decretis sancita esse, quae ex Petri Cathedra veritatis Sede fideique columna profecta sint, multi ex Adversariis consentiunt; ac propterea fatentur (a), nihil pro ipsorum sententia momenti esse in ea probatione, *quae repeti solet ex erroribus, in quos nonnulli Pontifices lapsi dicuntur; ex contrariis eorum definitionibus; denique ex eorum confessione, qua se erroribus obnoxios candide agnoscunt*.

CAPUT XXXIV.

„ Recapitulatio eorum, quae hoc postremo libro dicta sunt de Romanae Sedis ac fidei firmitate; ac de illis verbis; *Tu es Petrus*.

Pontificum, Conciliorum & Patrum perspicuis testimoniis probavimus, Petrum his verbis constitutum a Deo fuisse fidei columnam & Ecclesię immobile fundamentum; tum etiam eumdem Petrum cum hac sibi concessa divinitus auctoritate in suis adhuc Successoribus vivere & judicium exercere; denique propter hujus petrae sacratissimam & immobilem firmitatem, cujus adhuc in Sedes ipsius & vivit potestas & excellit auctoritas; & factum esse & fieri, ut nunquam adversus Ecclesiam portae inferi praevalerent, & praevalere non possint: adeoque & ea Christi verba; *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; non modo ad Ecclesiam, verum & ad Petrum, & ad Petri Sedem, ex qua ipsius Ecclesiae fideique firmitas pendet esse referenda: quae proinde si totius Ecclesiae inerrantiam, vel ipsis fatentibus Adversariis, demonstrant, eamdem Sedi Apostolicae inesse praerogativam, pariter demonstrabunt: ut etiam illa, quibus eadem Apostolica Sedes, haud secus atque ipsa universalis, dicta est *columna & firmamentum veritatis*. Quibus si adjicias illud, quod omnes Orientales Episcopi ad Ecclesiae Catholicae communionem adspirantes, per plura saecula, & in ipsis etiam Oecumenicis Synodis, palam & sollenniter profiteri coacti sunt; nempe quod in Sede Apostolica Christiana religio sempre integra & immaculata permansit, & quod in ea existit Christianae religionis integra & perfecta soliditas; idque non modo rerum praeteritarum experimentis & effectibus comprobari, verum & Christi promissis niti: Quia non potest Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus &c.* Si id, inquam, superioribus adjicias, argumentum, quod pro nostra sententia ex laudatis Christi verbis conficimus, ineluctabilem adipiscitur, firmitatem, omnesque hoc uno ictu Adversariorum machinae disjiciuntur: si enim in Apostolica Sede Christiana religio semper integra & immaculata permansit; idque Justiniani aevo & sequentibus saeculis rerum ipsarum effectibus & experimento compertum erat; ergo nulla unquam, vel ad modicum tempus, ad usque saeculum nonum, quo Synodus VIII. celebrata est; nulla, inquam, erroris macula Sedes Apostolica foedata fuerat. Si autem haec illi praerogativa vindicabatur, quia non possunt Christi promissa deficere, ejusque praetermitti sententia; plane sequitur, & quod ad haec

Tt 2 usque

(a) Tournely de Eccles. Tom. II. pag. 183.

usque tempora & integra & immaculata, & ab omni erroris macula immunis & pura permansit, & usque ad consummationem saeculi tam certo permanebit, quam certum est, Christi promissa non posse deficere, nec ejus unquam posse praetermitti sententiam.

CAPUT XXXV.

„ Recapitulatio eorum, quae hoc postremo libro dicta sunt circa illud: „ *Rogavi pro te*.

NEc minus invictum est, quod & ex his Christi verbis pro eadem nostra sententia conficitur argumentum, dum tamen in eis exponendis aliqua veterum Patrum ratio habeatur, nec eorum interpretationes committere quis malit, quam, quod facillimum est, eas invicem conciliare. Quod enim singulari Petri personae interiorem fidem, & in ea perseverantem usque ad obitum voluntatem, vel eidem tanquam universae Ecclesiae personam & figuram gerenti indeficientem fidem Christum his verbis promiserit; quod quidam e Patribus docent; nequaquam hae duae interpretationes alteri contrariae sunt, quae hanc indeficientis fidei promissionem ad eumdem Petrum refert velut adhuc in sua Cathedra praesidentem, inque suis Successoribus adhuc viventem fideique oracula pronunciantem. Hanc porro expositionem plerique Romani Pontifices aliique Patres amplexi sunt; indeque Agatho docuit, quod Sedes Petri ab Apostolicae traditionis tramite nunquam deflexit, quod semper corda fratrum in fide Apostolici Pontifices confirmarunt, quod fidei lumen purum per Apostolorum Principis Successores servatum est. Hinc & Leo IX. fidentissime praedicavit, quod fides Petri nec defecit unquam, nec defectura creditur in throno illius usque in saeculum saeculi, nisi forte sit quisquam tantae dementiae, qui orationem illius cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare. Hinc denique ut alios omittam in eamdem conspirantes sententiam, & S. Bernardus Innocentio II. scribens, hanc dicebat hujus praerogativam Sedis, ut in ea non possit fides sentire defectum. Quae quum absoluta & generalia sint, omnem omnino defectum & errorem, qui sive cum contumacia conjunctus sit, sive per ignorantiam vel obreptionem ad breve tempus accidat, vel accidere possit, a Petri Cathedra removent. Quumque Christi promissis nitantur, tam fieri non potest, ut ullum Sedes Apostolica sentiat aliquando in fide defectum, quam fieri non potest, ut *in aliquo* absoluta & efficax Christi oratio vacua sit, aut vel ad horam ejus promissa deficiant. Frustra autem esse, qui ut horumce testimoniorum vim eludant, inter Apostolicam Sedem & sedentes in ea Pontifices distinguunt, tum ex se constat & apertissime demonstravimus, tum plures ex Adversariis fatentur. Nec Bossuetius aliique Gallicanae declarationis defensores huc confugere possunt, qui „ unam Ecclesiam Catholicam, utpote Spiritus Sancti magisterio instructam, „ quaeque eam repraesentet Synodum Oecumenicam, esse credunt, „ in qua circa fidem nullus unquam obrepat defectus, neque „ per contumaciam, neque per imprudentiam. Quam Cleri Gallicani declarationem ipse Turnelius

lius difficile esse fatetur, cum ea conciliare testimoniorum mole, quae Bellaminus, Launojus & alii congerunt; in quibus idem Auctor difficile itidem ait esse, non recognoscere Apostolicae Sedis seu Romanae Ecclesiae certam & infallibilem auctoritatem.

CAPUT XXXVI.

„ An quemquam hominem infallibi-
„ lem esse sit congruum, aut Ec-
„ clesiae necessarium? An nulla sit
„ Papae nisi infallibilis auctoritas?
„ An Papa errante nullum reme-
„ dium?

ID esse congruum, & suo quodam modo Ecclesiae necessarium, facile ex dictis colligitur. Congruum enim est, ut Patres & Pontifices docent, esse aliquem in Ecclesia, qui sit fons, radix, & centrum unitatis: Est autem ea vis unitatis, quae principium & originem trahit a Petri Sede, ut cum ea sentiendi ceteris Ecclesiis necessitatem imponat: Nec enim esset centrum, & radix, & origo unitatis, nisi omnes suapte vi & auctoritate sibi conjungeret, & cohaerentes haberet, adeoque nisi esset necesse, quemadmodum saepe laudatus Irenaeus docet, cum illa omnes Ecclesias, propter potiorem ejus principalitatem, in fidei dogmatibus consentire: Nemo autem hanc potest ceteris Ecclesiis necessitatem imponere, nisi indeficientis fidei privilegio ex certa Christi promissione praeditus sit: Quare sic congruum est, esse aliquam in Ecclesia Sedem, in qua qui sederit Pontifex indeficientis fidei privilegio ex certa Christi promissione gaudeat; ut congruum est esse aliquam Sedem, aut sedentem in ea Pontificem, qui ceteras omnes Ecclesias in unius fidei communione & unitate contineat. Quod volumus, uno vel altero exemplo evadet illustrius. Quum Nestorius suis in Christum ejusque Matrem blasphemiis universum turbaret Orientem & Aegyptum, Cyrillus Alex. non ante sibi ab ejus communione abstinendum putavit, quam expositis Caelestino nefariis ejus doctrinis, primae Sedis oraculum accepisset. Qua de re laudato Pontifici scribens, his eum verbis interpellavit (a): *Dignare proinde aperire quid sentias, quo liquido nobis constet, an communicare cum illo oporteat, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet*. Additque, ejus sententiam ad alios quoque Episcopos perscribendam; *ut omnes*, inquit, *uno animo in eadem sententia persistant*. Nimirum hanc esse noverat vim & auctoritatem illius, qui centrum est unitatis, ut omnibus eadem sentiendi necessitatem imponat. „ Verum Nestorius, *inquit ipse* „ *Illustrissimus Bossuetius* (b), Regiae „ civitatis Episcopus ea auctoritate „ pollebat, ea specie pietatis hominum animis illuserat, eos sibi conciliaverat Episcopos, ea denique „ gratia apud Theodosium Juniorem „ Imperatorem & Proceres erat, ut „ facile omnia commoveret. Itaque „ opus erat Oecumenica Synodo, „ quod de re maxima, ac de persona „ in maximam dignitatem evecta „ ageretur: quod multi Episcopi, in „ his Orientales fere omnes, hoc est, „ An-

(a) 1. Part. Conc. Ephes. cap. XIV.
(b) Sup. lib. XII. cap. X.

„ Antiocheni tractus, atque ipse Johannes a Cyrillo abhorrebant, & „ Nestorio favere videbantur: quod „ scissa hominum studia totum Orientis imperium Cyrillum inter atque „ Nestorium fluctuare videbantur „. Haec universalem Synodum postulabant. Et qualem Synodum, si ipsos Adversarios audimus? In qua nimirum Episcopi rem de integro retractarent, & inter Caelestinum & Nestorium, & eis utrinque adhaerentes Episcopos & invicem digladiantes, sententiam ferret. Synodus ergo spectanda erat tanquam radix & centrum & origo unitatis, ut quae sola suapte vi & auctoritate dissentientes animos compescere poterat, & ad concordiam & unitatem revocare; non Caelestinus, cujus sententia usque ad futuram Synodum impune contemnebatur, & cujus auctoritate gliscentes in Oriente de gravissimo fidei dogmate contentiones terminari non poterant.

Alterum in caussa Monothelitarum & sexta Synodo statuamus exemplum. Romani Pontifices Severinus, Johannes IV., Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus, Agatho, sibi invicem succedentes insanam unius in Christo Voluntatis opinionem tota Sedis Apostolicae auctoritate damnarunt. In eo potissimum emicuit Sancti Martini zelus tuendaeque fidei ardor, de quo haec ipse Meldensis Episcopus scribit [a]: „ Sancti „ Martini Lateranense Concilium, „ celeberrimum fuit legatione Africanorum, multarumque Orientalium Ecclesiarum in eamdem fidem „ consentientium: accesserunt ducentorum fere Episcoporum una cum „ ipso judicantium subscriptiones: „ Denique missa sanctae Synodi ad „ omnes Christi fideles toto orbe terrarum Encyclica epistola: tum illud „ maximum a Sancto Pontifice pro „ ea definitione multa perpesso, fidem orthodoxam etiam martyrio „ consignatam. Plura ne a Romano Pontifice, componendis de religione dissidiis & acerrimis contentionibus, revocandisque ad unitatem scissis hominum studiis, praestari potuissent? Illic profecto iste, qui dicitur unitatis centrum & radix, totam vim suam exeruit & potestatem: quare si adhuc obluctari fas fuit, & damnatam ab eo doctrinam tueri, frustra hanc ille sibi praerogativam adsciscit. Videamus ergo quid Bossuetius adjungat? „ Post „ eam tamen, *inquit*, definitionem, „ toto Oriente commoto per Imperatores, atque Patriarchis Constantinopolitanis haeresim praedicantibus, Macario quoque Antiocheno „ Patriarcha, in partes transeunte; „ necesse visum est sub Sancto Dono „ Papa, eoque mortuo, sub Sancto „ Agathone, Synodum Oecumenicam VI. haberi Constantinopoli a „ Constantino Pogonato Imperatore „ convocatam. Et hic rursum quaerimus, qualem Synodum? In qua nimirum juxta Adversarios caussa toties a Romanis Pontificibus definita retractaretur, & cujus tandem auctoritate post tot annos Christi fideles certo cognoscerent, ad quorum partes se se adjungere deberent, & Seniorisne an potius novae Romae Praesulibus inhaerere. His autem positis, quis sanus judi-

(a) Sup. lib. XII. cap. XXIV.

judicet, spectatum fuisse, aut spectari tunc potuisse (si vera sit Adversariorum opinio) Romanum Pontificem velut centrum & fontem & originem unitatis? quum tota ipsius potestate fieri per tot annos nequiverit, ut exortae de gravissimo fidei dogmate controversiae componerentur? Et quis non potius hanc praerogativam sextae Synodo vindicaret, post quam, ut Adversariis placet, amplius in Ecclesia dissentire impune non licuit?

Merito ergo quidam e Protestantium grege Pseudo-Theologus (cujus hac de re sententiam suis rationibus communitam alibi latius repraesentavimus) Gallis Doctoribus objicit, ab eis ἀσύστατα propugnari, quum hinc docent, Romanum Pontificem centrum esse & originem unitatis, inde vero tuentur, non esse illius de fide judicium irretractabile, nisi Ecclesiae consensus accesserit, ac licere ab eis judicio ad Oecumenicam Synodum appellare, cujus sententia & auctoritate gliscentes in Ecclesia de fidei dogmatibus controversiae terminentur. Adeoque, tam congruum est & Ecclesiae necessarium esse aliquem hominem infallibilem, quam congruum est, esse aliquem hominem, qui sit in Ecclesia re ipsa, & non solo nomine centrum & radix & fundamentum catholicae unitatis; cujusmodi esse Romanum Pontificem, tota retro antiquitas persuasum habuit, & identidem testata est.

CAPUT XXXVII.

„ An contraria sententia dignum ali-
„ quid Ecclesiastica gravitate dicat?

PAtiatur Illustrissimus Adversarius, ut eamdem nos de illius sententia, & Gallicana declaratione quaestionem excitemus. Num enim Ecclesiastica gravitate dignum fuit, universo Regno Propositionem praescribere ab omnibus propugnandam, quam, ut re ipsa compertum est, & aliqui ex ipsis Adversariis fatentur, cum Veterum testimoniis conciliare difficillimum sit?

Sed numquid ea, quibus haec illorum sententia seu propositio nititur, majori pondere & gravitate firma consistunt, ut Episcopalis prudentiae fuerit, hanc ceterarum Nationum doctrinae praeferre? Verum & haec ipsa tam levia sunt, tam ἀσύστατα, tam ad arbitrium digesta atque disposita, ut eorum sententiae nullam omnino conferre gravitatem possint.

Nam primo, ne fateri cogantur, singulis qui insurgant erroribus profligandis, totidem ex eorum sententia objiciendas esse Synodos Oecumenicas, ajunt tunc tantum opus esse generalis Synodi congregatione, quum veritas, quae in controversiam adducitur, obscura est, & magnis altercationum nebulis involuta. At quis definire audeat, quando id reapse contigerit aut contingat? Quis enim, nisi temere, adfirmet, magis obscuratam in Ecclesia fuisse quorumdam in Asia Semi Arianorum disputationibus Catholicam de Spiritus Sancti Divinitate doctrinam, quam Pelagianorum disputationibus Ecclesiae fidem de peccati origina-

nalis in Adae posteros propagatione; ut post Damasi ac totius Occidentis, Aegypti, & Orientis adversus Pneumatomachos anathematismos, priori dogmati retranctando opus fuerit altera post Nicaenam Oecumenica Synodo; nec opus fuerit post Innocentii Zosimique Rescripta, Pelagianorum erroribus profligandis Synodi generalis congregatione? Deinde Refractarii hac ipsa regula freti, quaecumque Ecclesiae per orbem dispersae judicia facile contemnent. Semper enim obtendent, de dogmatibus agi difficilibus & obscuris, & magnis altercationum nebulis involutis, quibus proinde enucleandis & excutiendis opus sit Oecumenicam Synodum congregari. Quae an ex meris conjecturis dicamus, an potius quotidianis experimentis rerumque ipsarum effectibus comprobentur, ipsi Episcopi Gallicani compertum & exploratum habent.

Secundo, ne in illius opinionis absurditatem incidere cogantur? quae paucos Episcopos totius orbis Episcoporum consensioni impune refragari posse temere adfirmat; sufficere docent Adversarii, ut Sedis Apostolicae decretorum ineluctabilis sit auctoritas, Episcoporum maximam partem vel eorum moralem unanimitatem, expresso vel tacito consensu, Pontificiis Constitutionibus inhaerere. At quis pariter definire audeat, quantus refragantium Episcoporum numerus requiratur, ut soluta esse moralis Episcoporum unanimitas judicetur? Rem tanti momenti Parisienses Theologi non ad veterum notiones exigunt, sed ad arbitrium definiunt, atque eo res tandem redigitur, ut Gallicanis Episcopis, vel etiam notabili eorum parte, repugnantibus, ad aliquod dogma sanciendum frustra totius orbis Episcopi, praeeunte Romano Pontifice, aggrediantur. Sed eis ratio reddenda est, cur Johanne Patriarcha & ceteris Orientalibus, sive Antiocheni tractus Episcopis repugnantibus, attamen prolata in Nestorium ab Ephesina Synodo sententia totius orbis Christiani sententia judicata dictaque a Patribus sit; & aliquot Occidentalis Patriarchatus Episcopis repugnantibus, reliquorum omnium Episcoporum Capiti suo adhaerentium judicium, velut totius orbis Catholici judicium haberi ac praedicari non possit?

Tertio, juxta veterem, & constantem & universalem Patrum, & Conciliorum, & Romanorum Pontificum traditionem omnino tenendum est, deficere non posse Apostolicae Sedis & Ecclesiae Romanae fidem. Id ne Gallicanae Ecclesiae libertatibus nimis incommodum sit, non ad strictos apices exigendum, sed civiliter intelligendum esse statuitur; ut scilicet etsi ad breve tempus vacillet aut deficiat, non ipsi tamen unquam error inhaereat, quem diu & contumace proposito tueatur. At quis statuet, quamdiu deberet error Sedi Apostolicae inhaerere, antequam fides vere in ea defecisse, merito diceretur? Interim hoc temporis spatium tamdiu protelabitur, quamdiu opus erit ut hypothesi serviatur. Quare quum semel positum sit, Conciliorum generalium celebratione probari, retractationi & errori obnoxias esse Romanorum Pontificum sollennes de fide constitutiones; ad usque sextam Synodum certum omnino non erit, an tot Romani Pontifices, qui tot annorum intervallo pro duabus in Christo voluntatibus etiam usque ad sanguinem decer-


ta

tarant, & infracta animi constantia & fortitudine unius voluntatis adsertores ab Ecclesiae communione repulerant; certum, inquam, omnino non erit, annon, ut Monothelitis videbatur, Nestorianismum imprudentes foverint.

Quarto, Sedem Apostolicam originem esse & radicem, & centrum Ecclesiasticae unitatis; super hanc petram aedificatam esse Ecclesiam; profanum esse quicumque extra hanc domum agnum comederit, & periturum regnante diluvio, qui in arca ista non fuerit; cum S. Hieronymo, & omnibus Catholicis praedicandum est, qui uno ore fatentur, *eum qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non esse; qui vero Ecclesiae unitatem non tenet, nec fidem habere*. Verum, ne Gallicanae Declarationis Vindices S. Columbani,& Guidonis Viennensis hujusque Synodi praesidio & suffragio destituantur, laudanda erunt haec illius verba ad Bonifacium III. seu IV. scribentis: *Merito vestri Juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant*. Et haec item alterius, Paschali II. denuntiantis: *Quia nos a vestra obedientia repelletis*. Haec dum exscribuntur,& in exemplum adducuntur, probantur, adeoque & eorum contumacia ferenda & probanda erit, qui se a Romanis Pontificibus, jamdiu cum fere universi orbis Episcopis generalis Synodi decreta & acta tuentibus, separent: atque aliquot Episcoporum audacia toleranda, qui Romani Pontificis judicium praeveniant, eique palam denuntient, se ab ejus obedientia recessuros, nisi ad eorum sententiam ipse omnium Ecclesiarum & Episcoporum Caput & Magister accedat.

Haeccine aliaque in generis, ἀσύστατα prorsus vel ad arbitrium constituta; Ecclesiastica gravitate digna sunt; & qui sese in adeo absurdos, leves ac futiles sensus induunt illi de nostra sententia quaerunt, *an dignum aliquid Ecclesiastica gravitate dicat?* Perinde atque tot Patrum, Conciliorum, & Romanorum Pontificum testimonia quae adtulimus, & quae, vel ipsis fatentibns Adversariis, difficillimum est in aliam mentem interpretari, non satis Ecclesiasticae ac Theologicae gravitatis sententiae nostrae concilient. Quae porro Bossuetius, ut eam audacium quorumdam ingeniorum sibilis exponat, in praesenti Capite objicit, facile in fumos abeunt, postquam semel constitit, quae a nobis dicantur decreta Pontificum Romanorum ex Petri Cathedra pronunciata; ea nimirum, quibus tanquam summi totius Ecclesiae Doctores, Apostolorum Principis auctoritate adscita, qui fidei columna & Ecclesiae Catholicae fundamentum est, ut in Ephesina & Chalcedonensi Synodo dictum est, aliquid, ea fide qua Christiani sumus, omnibus credendum proponunt, statuunt, definiunt. Quum haec enim decreta ederent, Petrum ipsum adhuc in sua Cathedra praesidentem, & in eis viventem & judicia exercentem tota retro antiquitas venerata est; ac proinde persuasum habuit, eos in ejusmodi de fide judiciis errare non posse, atque certissime credidit fieri non posse, ut illius verba deficiant, qui fidem Petri non defecturam promisit.

FINIS.



INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM, AC RERUM PRAECIPUARUM.

Numerus prior paginam, posterior cum littera c. columnam primam, vel secundam paginarum notat.

A

B

C

Con-

Eccle-

E

Filii-

G

Gallis

H

I

P

S

que *integra Christianae religionis, & perfecta soliditas*. 87. c. 1. 187. c. 1. *Non in ipsa tale unquam contigit dedecus, ut aliquis haeresiarches eidem praesideret*. 98. c. 2. *Nec fefellit, nec ab aliqua unquam haeresi falli potuit*. 99. c. 2. Imo *sanctae fidei spiritualibus munita armis... horrendis atrocibusque haeresum obstitit monstris*. 201. c. 1. Successivo temporum fluxu ab ea *reprobata, convicta, atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, & Fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata*. 200. c. 1. *Unamquamque Synodum sua authoritate confirmat .. pro suo principatu*. 63. *Quod firmavit in Synodo, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potest firmitatem*. 63. c. 2. *Etiam sine ulla Synodo praecedente & absolvendi, quos Synodus inique damnavit, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportet, habet facultatem*. 54. c 2. *Ab* hujus Sedis *Praeside est nutantis fidei stabilitas expectanda*. 186. c. 2. Ubi nempe *Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt*. 188. c. 1. *Sedis istius Praesulem Deus suo sine quaestione reservavit arbitrio*. 312. c. 2. *Christi munere, propter primatum Ecclesiae Romanae in Beato Petro concessum, nemini est de Sedis Apostolicae judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum*. 97. c. 2. III. c. 1.

Praerogativae insignes Apostolicae hujus Sedis exhibentur summatim expressae verbis Conciliorum, Pontificum, Patrum. 113 c. 2. *& seq.* Caeteris fulgentiorem inerrantiae, fideique prorsus indeficientis praerogativam nu[illegible] propemodum Testimoniorum veterum eidem vindicat. 251. Ita quidem, ut pauca Ecclesiae dogmata tam perspicua, solidaque ratione demonstrare contingat. 252. c. 1. Nec minus certò in iisdem Testimoniis Romanae, quam Catholicae Ecclesiae, inerrantia perpetua, ac firmissima asseritur. 252. 253. c. 1. Singularis haec praerogativa a Bossuetio quatuor diversis modis sic explicatur, ut reapse per ambages negari deprehendatur. 115. c. 1. 148. c. 2. 254. *usq. ad* 259. Haud absimili utitur arte, ubi cum nupera quoque Declaratione Cleri Gallicani conciliare tentat duo haec, scilicet Rom. Sedis fidem nunquam defecturam, eamque a nullo posse judicari. 168. c. 1. Horum quippe expositionem proprio systemati ita accomodat, ut a nativo sensu Patrum, & traditionis Ecclesiae spiritu plane recedat. *ibid.* Vid. *Bossuetius*.

Minime porro negandum, ab antiquis Scriptoribus interdum indicatam fuisse distinctionem Sedis Apostolicae, & Pontificis Rom. 113. c. 2. 126. c. 1. Sed prudenter, ac legitime usurpanda, ne hinc ansa sumatur insidiandi Pontificiae authoritati, quomodo nunc a multis fit. 126. c. 2. Potestas indeficiens, & ineluctabilis hujusce Sedis tum ad solvendas fidei controversias, tum ad Synodos probandas, improbandasque, mirum in modum confirmatur testimoniis S. Simplicii, & S. Gelasii Rom. Pontificum. 62. c. 2. 63. In dubiis, & quaestionibus Ecclesiasticis speciatim consulenda, atque audienda est, non ipsa inconsulta judicandum, agendumque. 112. c. 1. Quamvis summa ipsius authoritas aliquandiu contemni videatur, attamen pervincit tandem, & omnes obices victrix perfringit. 54 c. 2.

Senonensis Provinciae perquam commendabiles Episcopi. Vid. *Galliarum Episcoporum haereditas*.


Sensus Sacrae Scripturae allegoricus, vel moralis non evertit litteralem alterum seu historicum, sed potius in eo fundatur. 179. c. 1.

Serrius (Jac. Hiacinthus) Universitatis Patavinae Professor Theologus Opusculum nuper conscripsit *de Rom. Pontifice, in ferendo de fide moribusque judicio, falli & fallere nescio*. 248. c. 1. 259. c. 2. Cui Appendicem adjecit Historicam *de Mente Ecclesiae Gallicanae, & Academiae Parisiensis*. 248. In eo ita tuetur Pontificiam infallibilitatem, ut Viris oculatis videatur reipsa monstrasse magis propriam esse Rom. Ecclesiae, quam ipsius Pontificis. 248. c. 1. Unde ipsum accensere non dubitant iis recentioribus Gallis, qui distinctione facta Apostolicae Sedis, sedentisque in ea Pontificis, illam, non

Pro-

ciae

FINIS.



Pag.	Col.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
10	2	30	*de totibus*	*de dotibus*
200	1	17	*inferi nonnunquam*	*inferi nunquam*
211	2	26	*monftrosi*	*monftruosi*
241	2	29	Epifcopus, nunc autem Senonenfis : *deleatur*	
249	2	3	in fine . judicat effe	non judicat effe
250	2	17	vel in vita	vel invita
258	2	16	firitatem	firmitate
ibid.		32	in texatur	intexatur
261	2	6	Afianae	Arianae
269	1	9	qualis definitionem ; aut eam : *deleatur*	
272	1	41	*judicium*	*judicum*
294	1	4	in fine : impertitur	impetitur
296	1	2	*babeat*	*habebat*
305	1	23	653.	1653.
317	1	3	*ex VII. Synodo*	*ex VIII. Synodo*
318	2	30	*pro fua juftitia*	*pro fua injuftitia*
320	1	12	Haeceo	Haec eo
321	2	34	feggerebant	fuggerebant
322	2	13	*potuerunt*	*poterunt*
323	1	32	tenantur	teneantur
ibid.			confuerunt	cenfuerunt
336	1	25	cogantur ? quae	cogantur, quae
ibid.		36	ut fol uta	ut foluta



